



DBCL
A

De Segovia.

t. 167911

C. 1216678

FRACIUS TROLOU

DE CHARITATE

FRANCIS BUCHANAN

DE ANNA BUCHANAN

FRANCIS BUCHANAN

FRANCIS BUCHANAN



TRACTATUS THEOLOGICUS
DE CHARITATE

EJUSQUE DISCRIMINE AB SPE THEOLOGICA, ET RELIGIONE,
CÆTERISQUE VIRTUTIBUS INFUSIS, IN QUO EXPENDITUR
AD LOCA THEOLOGICA

SYSTEMA

CL. D. JOANNIS VINCENTII BOLGENJ

DE AMORE DEI.

ACCEDIT APPENDIX

SUPER NOVISSIMA EJUSDEM APOLOGIA

AUCTORE

JOSEPHO CHANTRE HERRERA

PRESBYTERO HISPANO.



BONONIÆ MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI THOMÆ AQUINATIS
SUPERIORUM FACULTATE.

STATE OF NEW YORK
IN SENATE
January 10, 1907.

REPORT
OF THE
COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION
PASSED BY THE SENATE
MAY 17, 1906.

ALBANY:
J. B. LIPPINCOTT & COMPANY, PRINTERS,
1907.

THE STATE OF NEW YORK
OFFICE OF THE COMMISSIONER OF LAND OFFICE
ALBANY, N. Y.

REPORT
OF THE
COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION
PASSED BY THE SENATE
MAY 17, 1906.

ALBANY:
J. B. LIPPINCOTT & COMPANY, PRINTERS,
1907.

THE STATE OF NEW YORK
OFFICE OF THE COMMISSIONER OF LAND OFFICE
ALBANY, N. Y.

REPORT
OF THE
COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION
PASSED BY THE SENATE
MAY 17, 1906.

ALBANY:
J. B. LIPPINCOTT & COMPANY, PRINTERS,
1907.



INDIARUM APOSTOLO

SANCTO FRANCISCO XAVERIO.

Non Vota tibi, Suavissime Xaveri, non munera, quæ nulla mihi, vel certe exigua suppetunt, ad Aras tuas appensurus accedo. Tuam ego requiro benevolentiam, auxilium exposco, et intercessionem imploro, qua vere possim Doctrinæ Christianæ Caput, quo majus extat nullum, methodo exponere congruenti, et ratione theologica ex omni petita fonte confirmare. In discrimen adducitur, Amantissime Patrens, quæ in tuo semper fixa fuit animo, vera, et germana notio illius Charitatis, quam infans in Patria pene cum lacte suxisti, Magister in celeberrima Parisiensi Academia tradidisti, et Vas electum ad Dei Nomen portandum in Gentibus, in trecentis ferme Barbarorum Regionibus miro conatu, et uberrimo animarum fructu, supra quam dici potest, exercuisti, innumeris annuncians linguis, et nulla in tot peregrinationibus admissa requie, amandum esse Deum ex toto corde, præciso etiam Inferni metu, et Spe abstracta Cœlestis Beatitudinis, ob ejus meritum ineffabile et Bonitatem infinitam, a qua ut omnia, quæcumque sunt tandem bona, tanquam a fonte inexhausto promanant, sic in eandem ultro, et regressu facili referuntur. Equidem fateor, rem, ta-

meti jam antea per annos plurimos judicatam, explicatu esse difficilem, et ex materia subtili, ac delicata sumptam esse occasionem dissidii, quo multorum animi conturbantur. Tantum quidem abest, ut quæ hinc opinio nata esse videatur, ex animi oriatur malitia, obstinatione, aut perveracia, ut ortum potius habeat ex cujusdam pietatis specie, ex intentione bona, et ex credulitate nimia. At id ipsum mihi creat majorem in re sublimi exponenda difficultatem. Quid enim faciendum est cum hominibus vere piis, beneque de Religione merentibus, ut a sensu proprio deducantur, qui cum intimis animi affectionibus æternæ felicitatis, quas esse honestas, supernas, et necessarias in hoc statu viæ nemo unus ambigat, existimant mire congruere cogitationes, quas versant, de theologica Charitate? Quasi nimirum natura rationis particeps, facta item consors Divinæ Naturæ in eam ferri non posset tota impulsione gratiæ, eique totam se se, ac propter ipsam committere, nihil reputans esse præstantius, quam summo illi propter ipsum placere Bono, a quo tam altam, generosam, et divinam contraxit renovationem. Ad te itaque confugio, Benignissime Pater, ut quod meis ipse viribus obtinere non valeo, tua possim protectione perficere. Fac igitur prece, et obsecratione tua, ut a Patre luminum in me descendat ardor Charitatis, et scintilla sapientiæ, qua possim apte proponere, et declarare sapienter communem, ut arbitror, Ecclesiæ Sponsæ Christi doctrinam, cui certe pro meritis expediendæ imparem esse me tua non fultum ope validissima ut plane cognosco, sic etiam sincere profiteor.

Josephus Chantre.

I N D E X

EORUM TITULORUM, QUI HOC IN OPERE
CONTINENTUR.



P	raefatio.	Pag. 1
	Prodromus Velitatis pro recta intelligentia Charitatis Theologicae, ejusque discrimine ab Spe, reliquisque Virtutibus infusis constans octo Prolegomenis.	9
	Prolegomenon I. De Potentia voluntatis, ejusque affectionibus, et de Passionibus appetitus sensitivi.	Ibid.
	Prolegomenon II. De bono, quod est objectum voluntatis, et de illius divisione in honestum, utile, et delectabile.	12
	Prolegomenon III. Voluntas non potest amare bonum, quod non sit ei conveniens, et quodammodo proprium.	18
	Prolegomenon IV. De diversitate objectorum respectu voluntatis nostrae, et de causa finali.	23
	Prolegomenon V. De diversis amicitiarum generibus.	27
	Prolegomenon VI. De Intentione, et Electione: de actu imperante, et imperato.	32
	Prolegomenon VII. An, et quo sensu actus benevolentiae erga Deum ad virtutem Religionis pertinere possit?	35
	Prolegomenon VIII. De Delectatione, et Fruitione.	43
	Crisis Systematis Bolgeniani circa Theologicam Charitatem.	49
	Caput I. Synopsis primi Capitis Bolgenianae doctrinae.	50
	Proponitur, et definitur argumentum praesentis Dissertationis.	Ibid.
	Responsio.	51
	§. I. Quinam sit Theologorum sensus circa divisionem amoris in amorem amicitiae, seu benevolentiae, et in amorem concupiscentiae?	52
	§. II. Ejusdem explicationis continuatio.	60
	§. III. Quid peccet Bolgenius in propositione argumenti?	65
	Caput. II. Synopsis Capitis secundi, in quo Bolgenius assumptum probare conatur ab Scriptura.	73
	Responsio.	74
	§. I. Amor benevolentiae erga Deum adeo non repugnat Scripto	Ver.

<i>Verbo, ut ex eo potius evidentissime demonstratur; et primo quidem ex intimatione Præcepti diligendi Deum.</i>	75
§. II. <i>Demonstratur secundo ex amore Dei spontaneo, laude, gaudio, et complacentia de bonis Dei in Scriptura commendatis.</i>	81
§. III. <i>Demonstratur tertio amor benevolentiae ex illis Scripturae locis, ex quibus constat Charitatem esse veram Dei amicitiam.</i>	86
§. IV. <i>Demonstratur quarto ex illis locis, in quibus Dei Perfectiones infinitae proponuntur hominibus contemplandae.</i>	88
§. V. <i>Demonstratur quinto ex Oratione Dominica.</i>	92
§. VI. <i>Demonstratur sexto ex amore, quem habet anima justa erga Deum ut Sponsum.</i>	97
§. VII. <i>Demonstratur septimo ex amore Dei erga nos, ex amore Christi erga Patrem, et proximos, et ex amore nostro erga Christum.</i>	101
§. VIII. <i>Demonstratur octavo ex Epistolis S. Pauli.</i>	107
§ IX. <i>Quomodo sint intelligenda, quae pro se adducit ab Scriptura Bolgenius?</i>	115
§. X. <i>Expenduntur reliqua Scripturae Testimonia.</i>	126
Caput III. <i>Synopsis Capitis tertii Bolgenianae doctrinae ex Patribus desumptae.</i>	133
Responsio.	137
§. I. <i>Quid senserint de amore benevolentiae S. Clemens, Polycarpus, Dionysius Areopagita, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, et Hilarius?</i>	141
§. II. <i>Quid senserint Basilii, Nazianzenus, Nyssenus, Epbren Syrus, Chrysostomus, Diadochus, et Cyrillus Alexandrinus?</i>	146
§. III. <i>Quid Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Cassianus, Leo M., Chrysologus, Gregorius, Isidorus Pelusiota, Isidorus Hispalensis, et Ildesonsus?</i>	154
§. IV. <i>Quid S. Joannes Damascenus, Beda, Alcuinus, Anselmus, Agobardus, Theophilactus, Hugo Victorinus, Blesensis, atque Bernardus?</i>	162
§. V. <i>Quid B. Albertus M., S. Thomar, Bonaventura, Antoninus, Carthusianus, Jordanus, Malleolus, Ignatius de Loyola, Xaverius, Salesius, et S. Teresia?</i>	166
§. VI. <i>Demonstratur ex Actis Martyrum, et ex praxi Sanctorum amor benevolentiae Theologorum.</i>	177
§. VII. <i>Quid sentiendum sit de testimonijs SS. Patrum, quae a Bolgenio congeruntur in Dissertatione?</i>	185
§. VIII. <i>Quid Patres intendant, dum significant ad Charitatem pertinere desiderium, sitim, famem, et cupiditatem visionis, seu fruitionis divinae?</i>	189
§. IX.	

§. IX. <i>Quenam sit S. Bernardi mens in Tractatu De diligendo Deo? Ubi et de Juliano Pomerio.</i>	197
§. X. <i>Quo jure Bolgenius S. Thomam laudet pro suo Systemate?</i>	209
§. XI. <i>Ejusdem propositi continuatio.</i>	221
§. XII. <i>An faveat Auctori Seraphicus Doctor?</i>	225
§. XIII. <i>De Hugone Victorino.</i>	229
§. XIV. <i>Perficitur examen capituli tertii.</i>	240
Caput IV. <i>Synopsis Bolgenianæ doctrinæ circa Ecclesiæ praxim.</i>	247
Responsio.	248
§. I. <i>Catechismus Romanus docet Fideles omnes amorem benevolentiae erga Deum.</i>	249
§. II. <i>Amor benevolentiae intimatur Fidelibus a cæteris Catechismis per totum Orbem sparsis.</i>	258
§ III. <i>Qua ratione praxis Ecclesiæ favere possit unico amori concupiscentiæ?</i>	266
Caput V. <i>Synopsis capituli V. Bolgenii ex definitione amoris.</i>	273
Responsio.	274
§. I. <i>Demonstratur amor benevolentiae ex definitione, seu descriptione amoris tum in genere, tum in specie.</i>	275
§. II. <i>Quid valeant testimonia, quæ pro se citat Bolgenius?</i>	277
Caput VI. <i>Synopsis Capituli VI. Bolgenii ex sensu Theologorum.</i>	283
Responsio.	285
§. I. <i>Demonstratur amor benevolentiae ex consensu omnium Theologorum.</i>	ibid.
§. II. <i>Qua ratione Bolgenius aliquos pro se Theologos laudet.</i>	287
Caput VII. <i>Synopsis capituli VII. Bolgenii de incoherencia Theologorum, qui docent amorem benevolentiae.</i>	295
Responsio.	296
§. I. <i>Amor benevolentiae demonstratur ex multiplici incoherencia unius hujus Theologi illum negantis.</i>	297
§. II. <i>Quid de incoherencia Theologorum, quos citat Auctor, sentiendum sit?</i>	303
Caput VIII. <i>Synopsis capituli VIII. Bolgenii de ratione naturali.</i>	309
Responsio.	310
§. I. <i>Demonstratur amor benevolentiae ex ratione ipsa naturali.</i>	311
§. II. <i>Quid de ratione naturali, quam Bolgenius objicit, sentiendum sit?</i>	320
Caput IX. <i>Synopsis Capituli IX. Conclusio Bolgenii.</i>	329
Responsio.	ibid.
§. I. <i>Amor benevolentiae Theologorum est ita certus, et inexpugnabilis, ut Auctor eum impugnare non potuerit, quin inciderit in propositiones, quæ vel ex sola terminorum penetratione Theologica falsæ sunt.</i>	330
§. II. <i>Quid sit sentiendum de Conclusionem Bolgenii.</i>	336

Caput X. <i>Synopsis doctrinae Auctoris, ex qua iudicat satis omnino fieri contrarijs argumentis.</i>	340
Responsio.	343
§. I. <i>Indicatur breviter summa difficultatum, quas non praevidit Bolgenius.</i>	344
§. II. <i>Quam solide solvat Auctor, quæ sibi objicit argumenta.</i>	349
§. III. <i>Quid tandem emolumenti Bolgenius afferat pro Attritionis sufficientia ex novi systematis inventione?</i>	372
§. Ultimus: <i>Extrema ad Bolgenium allocutio.</i>	386
APPENDIX <i>Super extrema Apologia Bolgeniana.</i>	399
§. I. <i>Quid denuo afferat Apologiae Auctor contra amorem verissimum benevolentiae?</i>	402
§. II. <i>De communibus Impugnatorum Bolgenij (ut ipse vocat) erroribus, in quos incidat, necesse est, qui illum impugnaverit, et de alijs erroribus periculosis</i>	414
§. III. <i>Propositiones quaedam in Apologia notandæ.</i>	431



PRÆFATIO.

Inter Opera egregia, quæ non sine incremento pietatis, & rei catholicæ emolumento typis dedit, & hodiedum dare non cessat præclara, Vir eruditione conspicuus Joannes Vincentius Bolgenius, edidit ante annos tres Dissertationem eruditam de Charitate Theologica duos in tomos distributam. Diceres enimvero illam ab alio esse confictam Auctore non ita literis commendando. Cum enim cætera laudati Joannis opera excepta sint comiter à Sapientibus, plaudente Doctorum multitudine elocutionem facilem, copiosam eruditionem, & auctoritatis, rationisque momenta vere Theologica; hæc una Dissertatio passa est fortunam adversam, eo potissimum nomine, quod in ea contenditur, nullam aliam dari posse actualè Charitatem Theologicam præter amorem concupiscentiæ castæ, atque perfectæ, nec nisi *chimericum*, ut ait, ac plane *fictitium* esse amorem benevolentæ in Scholis per tot sæcula decantatum. Et tamen difficile est prorsus, ne dicam ulterius quidquam, persuadere lectoribus, omnes ad unum Scholasticos, qui diu, noctuque se totos lectioni Scripturarum, expositioni Patrum, & divinarum, humanarumque rerum meditationi tradiderunt, omnes, inquam, excepto, ut videtur, nemine, in re momenti maximi, & alteri cuicumque præferenda fuisse deceptos. Quid dicam de Pastoribus, quos posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam suam? Errarunt ne illi per tot Sæcula, nescierunt, decepti sunt turpiter, amorem Dei benevolum commendantes gregi suo & verbo & scriptis, & Institutionibus Christianis? Quid? Fideles per totum orbem sparsi, civitates omnes, gentes, & Regna in tam luctuoso errore versantur? Hæc qui evolvat vel cogitatione levissima, non certe mirabitur, quod Dissertatio Bolgeniana, quem nemo praxi non tenuit, amorem negans, parum sit a Sapientibus, & insipientibus humaniter excepta, vel quod non eam vultu illo placido amplexi sint eruditionis amantes, quo cætera ejusdem Auctoris opera complexi sunt. Nec tamen idcirco omnia, quæ in Dissertatione continentur, mihi improbantur. Longa cum sit, quatuor continet partes, in quarum prima agitur de natura Charitatis actualis, ejusque indole, & conditione, ac potissimum de illius objecto motivo, seu formali. Quod argumentum ita parum tractatur foeliciter, parumque constanter (honore dixerim Auctori servato) ut hic appareat objectum motivum Charitatis *Deus propter se ip-*

sum, nihil que, quod Deus non sit, movere posse videatur ad actum charitatis; ibi formale objectum designetur *beatitudo formalis*; alibi autem insinuetur ejus generis objectum *beatitudo completa* ex objectiva resultans, & formali. Illud autem extra controversiam ponendum judico, omnes ferme probationes Cl. Auctoris, ut ab eodem ornantur, & diriguntur, eo tendere, ut visio Dei, fruitio, possessio, vel gaudium in partem certe objecti motivi concurrant. Nec enim aliter eliminare potest ab suo illo charitatis amore veram benevolentiam. Altera Dissertationis pars tota est in probando, librando, & explicando discrimine charitatis, quam perfectam vocat, ab imperfecta, & contritionis, quam sibi ipse fingit, ab attritione. In tertia sustinet Attritionis sufficientiam, ut ipsi videtur nullo negotio, pro Sacramento Pœnitentiæ. In quarta tandem ostendit, quo sano sensu sit Charitas radix bonorum operum. Adjuncta Dissertationi Appendix defensio est Auctoris, eo potissimum directæ, ut confutet varia doctrinæ capita, quæ in suo de Charitate Tractatu longissimo tradit Vir Doctus R. P. Franciscus Bernardus Maria Rubeis Dominicanus. Porro quæ in extrema Dissertationis parte a Bolgenio firmanur de radice bonorum operum, non ego iis litem intendo. At quæ de *fruitio* amore benevolentiae erga Deum traduntur in prima, & quæ in secundam, & tertiam inde derivantur consecutiones, adeo mihi non probantur, ut omnino contendam, amorem benevolentiae adversus Deum, ipsum illum, qui docetur a Theologis, quique in Christianis Institutionibus proponitur Fideli Populo, rem esse demonstratam, quemcumque locum Theologicum consideres, sive argumentum ab auctoritate tractes, sive illud ad Theologicas, aut Philosophicas rationes expendas. Nec tamen dubito fore nonnullos bonæ fidei Lectores, qui parum instructi principiis Theologicis, in Ethica non firmi, in Psychologia minime versati, & vix non peregrini in re Ontologica novum Auctoris inventum aut laudent, aut probent, aut mirentur. Nam cum legerint, vel audiverint ex una parte verbum scriptum, seu traditum firmiores esse Tabulas pro litibus Theologicis dirimendis, & ex altera videant tot in Dissertatione congesta Scripturæ Sacræ Testimonia, tot Patrum sententias non male rei ad speciem accomodatas; in eam protinus descendunt sententiam, ut litem adjudicent Bolgenio, Theologorum, ut ajunt, subtilitate contempta. Si cum iis mihi agendum esset unis, causa tamen integra esset; namque omissis cæteris rationibus, principiis, & consecutionibus, quibus ad vivum resecanda est argumenti subtilitas ad explicandum difficilis, multorum ego sæculorum possessionem urgerem, quæ non nisi rationibus plane convincentibus deturbanda est, Scripturæ Testimonia meam in causam adducerem multo plura, SS. Patrum & Græcorum, & Latinorum sententias proferrem, vix numero circumscribendas, Ecclesiæ Catholicæ praxim, & communem Fidelium sensum appellarem, productis in medium Christianis Institutionibus to-

tum per orbem sparsis, quarum partem maximam, certe illas, quæ magis in quovis Regno a Catholicis commendantur, vel memoriter, quoad opus est, teneo, vel apud me habeo. His autem monumentis refragari quis posset? Quem illa non vellicarent animum pietatis omnino non surdum? Sed cum apud æquos rerum æstimatores causam agam, qui et rem Theologicam alte tenent, & Philosophicam non contemnunt, illud habentes pro comperto, perfectum Theologum evadere posse neminem, qui prius non jecerit fundamenta in disciplinis inferioribus, quæ superiori omnium famulari debent, nullum ego & auctoritatis & rationis, quibus res omnis transigenda est, momentum prætermittam, quo res jam per tot sæcula judicata, iterum referatur, certoque omnium judicio firmetur. Id ut agere possim pro tenuitate mea, visum est præmittere in Velitari Prodomo doctrinam ab Ontologia, Ethica, & Theologia communiter receptam, qua sine Charitas Theologica nec rite a Theologo explicari potest, nec a cæteris virtutibus infusus ita discerni, ut sua unicuique natura, suumque cuique respondeat objectum particulare. Scio, Bolgenium in sua Dissertatione Philosophos non curare, *Verbum Scriptum, Verbum traditum, Patres, Patres* conclamare. Namque pag. 78. quærens ille definitionem amoris in genere sic scribit: *Videamus igitur, quo pacto definiatur amor, non jam a Philosophis, quorum doctrinam non quæro.* Hinc illæ Declamationes contra Philosophiam Arabum, ut quæ sero nimis venit, nos ut doceret amorem benevolentiam, quasi nimirum digito demonstraretur Aristoteles, & ejus Sectatores oculis designentur. Hinc illa morosa, & delicata ratio tractandi Scholasticos, in quibus ne unum quidem invenire potuit, qui amorem Dei benevolum denegaret. Hinc illæ incusationes perpetuæ contra *subtilitatem*, ut videre licet in Dissertatione, & Declarationibus, quas deinde subjunxit; & ut mihi quidem traditum est ratione non dubia, etiam nonnunquam contra *subtilitates Hispanas*. Sed tamen hoc nomen inane, Cl. Domine, non est Theologica solutio; si autem nomine *subtilitatis* rationem intelligis vacuum, frivolum, aut ambiguum, facile potes, qua polles Dialectica, sophisma detegere, & oculis omnium ambiguitatem subjicere. At non sunt ejus generis subtilitates Hispanorum in Italia degentium. Sunt quidem subtiles, sunt acuti, sed & profundi sunt: quin imo profundi esse non possent, nisi subtilitate valerent. Quid est enim quod profunditati magis aperiat viam, sternatque, quam acumen ingenii, & acies mentis aperta, clara, subtilis? Jam vero quoniam bellum unus indicere videris universis Theologis, Ascetis, & Mysticis, & conditionem proponis, en ego unus cum sim, & pumilio quidam inter tot viros pietate, & doctrina præstantes, conditionem admitto, æquissimam illam quidem penes extremam partem. Neque enim optatius mihi quidquam contingere potest, quam ut res gravissima ab Scriptura Sacra, a Patribus, ab interpretibus dirimatur. Id tamen nnum ad-

4
verto, non ex proprio cujusque spiritu, nec ex Grammatici alicujus expositione doctrinis minime exculti Scripturæ sensum definiendum esse. At vero prima illa conditio, in qua Philosophos non curas, non est æqua, nec rationabilis, nec digna illo, quod in aliis Operibus demonstrasti, expolitissimo ingenio. Quis enim ignorat, Philosophicas Disciplinas deservire quam plurimum Theologiæ, rebusque Sacris, & Fidei arcanis proponendis, & explicandis? Quam sæpe Theologus, supposita Fide, rationes depromit solidissimas in rem suam, & quæ locum habere non possent, si Fides non præiret? Quam sæpe Philosophi etiam Pagani rationes versant pro materia, quam tractant, & acutas, & solidas, & ingeniosas, quibus utuntur fœliciter Sancti Patres, & Theologi Scholastici pro Ecclesiæ doctrina firmanda, & congruenter explicanda? Peritis in arte credendum est semper, ut est in proverbio. Atqui rei hujus experientissimi Viri fidem ipsi faciunt de veritate a nemine sine temeritatis nota deneganda. Sapientissimus Magister Canus, bonus in causa Judex, ut qui in ea versatus est plurimum, & nemini, Philosophorum precipue, adblandiri solitus, sic scribit lib. 10. de locis Theol. cap. 3. *Quod si Philosophia Theologo utilis, & bona est, eam autem nisi Philosophorum libris consequi non potest, non utique sunt ei Philosophi negligendi.* Et cap. 4. propius ad rem nostram, ut videbimus, ita pronuntiat: *Verissima ergo sunt communia Philosophorum placita, nec ab illis licet, si omnes ad unum idem sentiant, dissentire.* Dionysius Petavius (qualis ille vir in re Theologica, quamque versatus in Patribus!) in Prolegomenis ad Theologiam usum Philosophiæ maxime commendat Theologo. Sic itaque disserit cap. 3. *Physica, & pars illa, quæ de moribus agit, non parum in Theologiam conferunt, & quadam cum ea necessitate junguntur, In primis vero disserendi ars, & solertia, quæ Dialectica vocatur, ad divinarum rerum scientiam frequenter adhibetur, ac per universam implicata, & conserta unum cum ea componit Disciplinæ corpus.* Laudat deinde eos, qui Scholastici nominantur, hoc est, ingeniosi quidam divinarum rerum disputatores, & acuti. Contra Scholasticæ cuminatores audi, Bolgeni, quod pronuntiat. *Quo in genere criminationis præ cæteris odiosi sunt, quos sectarum, & dogmatum novitas delectavit; quorum nemo est, quin acerbum, & implacabile subtili isti scientiæ bellum indixerit.* Concludit tandem. *Sed morosos illos, ac delicatos, quibus Philosophiæ, ac Dialecticæ subtilitatis genus omne displicet, satis inique, & importune facere arbitror, qui, quatenus culpandæ sint artes illæ, & ab communione Christianæ Sapientiæ majorum judicio rejectæ, vel propter tarditatem non intelligunt, vel nequiter, & calumniose dissimulant.* Nec est solum gravissimorum in re Theologica virorum commune hoc de Philosophia judicium, est etiam idem SS. Patrum, quorum aliquos juvat adducere. Clemens Alexandrinus in 1. Stromat. lib. inquit: *Philosophiam ad religiosam pietatem utilem esse, eo quod prævia eruditio sit iis, qui fidei*

per demonstrationem fructum colligunt. Et hoc quidem de utilitate Philosophiæ iudicium est Clementis, nam de illius reprehensoribus acrius est multo, atque acerbius. Sic enim scribit eodem libro. *Eorundem est vituperare Philosophiam, & fidem reprehendere.* Qua de re fidem facit thesis illa apud Wintembergam a Luthero defensa. *Qui vult cum Aristotele philosophari, oportet cum Christo stultificari.* Basilius ad cap. I. Isaiaë commendat homini Christiano Dialecticam dicens: *Facultas Dialecticæ muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit diripi, & quorumlibet incursionem patere.* Hilarius lib. 12. de Trinit. sic scribit: *Fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit, quæ quamvis potissima ad salutem sit, tamen, nisi per doctrinam instruat, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recursum, non etiam retinebit constantem obtinendi securitatem.* Quid dicam de Augustino, qui in libris de Doctrina Christiana sic enixe commendat catholicis omne genus Disciplinæ Philosophicæ, ut quæ utilis est, multumque confert ad eas, quæ in Sacris literis occurrunt, enodandas difficultates? Profecto cap. 31. lib. 2. de Doct. Christ. hac ratione disserit: *Sed disputationis Disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ literis sanctis sunt, penetranda, & dissolvenda, plurimum valet.* Eodem item loco sic nostram requirit diligentiam ad detegenda sophismata, falsasque ratiocinationes. *Sunt multa, quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant.* Unde commendat artem definiendi, partiendi, & connexiones detegendi. Hac ego ratione, quam mihi suggerit Augustinus, spero detectum iri aliquas Auctoris cl. ambiguitates. Nec enim semper hoc in Opere ad præcepta Dialecticæ ratiocinationes informat. Sequitur Augustinus laudans Philosophiam, ejusque utilitatem in homine Christiano cap. 40. inquit: *Philosophi etiam qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam injustis possessoribus in nostrum usum vindicanda.* Quibus verbis intendit in spolia auri, & argenti, quæ ex Ægyptijs detulit Dei Populus, unde pergit illa confirmans: *Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspiciamus quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit Cyprianus Doctor suavissimus, & Martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quodque majus mihi esse videtur, finem dictis imponit illa sententia memoranda: *Illud in Exodo sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret, quod sine præjudicio alterius aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.* De S. Thoma, Bonaventura, aliisque Catholicis Doctoribus facere hic verba, nihil volo. Eorum quippe Opera exscribenda essent omnia. Id unum dicere etiam superfluum videbitur cuiquam, Doctorem Angelicum, quem Auctor sequi vix non religiose profitetur, in quæstionibus de charitate tanti in*

ea pertractanda Philosophiam facere, ut quoties non adsunt monumenta ab Scriptura; vel Patribus, ut sæpe contingit, ad Philosophiam se conferat, Philosophum (sic vocat Aristotelem) inservire faciens Religioni. Et quod majus est, ad Philosophiæ regulas semel, iterum, tertio expendit dicta SS. Patrum, atque illud conficit, ut, sin minus interdum videantur illis esse conformia, certe non sint dissentanea, vel aliqua ex parte pugnantia. Non quod humana Philosophia magis valeat ad rem Theologicam, quam regula Patrum, sed quod cum Philosophia jam facta christiana concordant plurimum Sanctorum dicta, & ab illa discordant certe nunquam. Sed sicut Sancto Thomæ Summus fuit in Philosophicis Aristoteles, & ex ejus placitis communiter satis resolvit difficultates, firmat probationes, & responsiones dilatat, ita fuit semper Summus Augustino Plato, ac ex doctrina ejus multa resolvit, & quod mirere magis, res altas, atque divinas ita tractat interdum, ut Platonem advocare videatur. Et quoniam agendum est nobis de charitate, quæ altissima virtus est, & præ cæteris omnibus longe divina, in ea ipsa tractanda, atque explicanda sic, ut ita dicam, *platonizat* Augustinus, ut ex eo quidam sumpserint occasionem errandi circa naturam charitatis. Quid enim in causa fuit Magistro Sententiarum Viro in primis docto, ut teneret charitatem, qua Deum diligimus, esse ipsum Spiritum Sanctum; nisi quod in Augustino lib. 8. de Trinit. cap. 8. & 9. & lib. 15. cap. 17. legerat varias S. Doctoris locutiones indicantes, nos fieri diligentes charitate, quæ est Deus? Certum est id apud S. Thomam, Suarez, cæteros que Doctores Scholasticos. Nec enim advertit Magister in S. Doctore modum loquendi Platonicum, quo tum hic, tum alibi utitur Augustinus. Dicebant profecto Platonici *omnia esse bona bonitate, quæ est Deus*, hoc nomine *bonitate* intelligentes *participationem bonitatis divinæ*. In eundem sensum dicit sæpe Augustinus nos fieri diligentes charitate, quæ est Deus, id est, participatione charitatis, quæ est Deus. Id quod recte notavit S. Thom. 1. 2. q. 23. art. 2. per hæc verba: *Hic autem modus loquendi (sumendi scilicet participationem charitatis pro Charitate increata) consuetus est apud Platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus. Quod quidam non advertentes ex verbis ejus sumpserunt occasionem errandi.* Id ipsum ex parte contigisse Bolgenio in indaganda mente Augustini, ex dicendis patebit. Quod quidem multo magis est certum accidisse illi, cum sensum S. Thomæ conatus est explorare circa virtutem charitatis, ut in hujus meæ Tractationis capite 3. demonstraturum spero. Nam doctrina imbutus Aristotelica Doctor Angelicus multa ex ea principia, multa item placita desumit inter explicandam charitatem, nihilque illi antiquius est, quam resecare difficultates more, verbis, & ratione Aristotelica. Quod, ut credo, Joannes Vincentius non advertens, quia Philosophos non curat, sumpsit inde occasionem aberrandi a mente S. Doctoris, cujus tamen doctrinam tenere se judicat, & suo explicatam

modo Lectori conatur persuadere. Jam vero quorsum ista tendant, quæ longiori forsitan calamo prosecuti sumus, neminem, existimo, non videre, ut nimirum palam fiat omnibus & auctoritate, & ratione, primam illam partem sponsonis Bolgenianæ Philosophos excludentis ab amoris discussione non esse æquam, nec rationabilem, nec dignam Viro, qui sic utitur foeliciter in cæteris ejus operibus doctrina Philosophorum. Quin & ipse parum sibi congruens ad Philosophos se modernos confert in Probatione sexta, quam magni facere ostendit satis, cum non semel in illam intendens de Theologis sibi triumphare videatur. Nec in eo tantum contrarius sibi esse videtur Auctor, quod ex memoratis profecerit Philosophis, sed quod Aristotelis sententiam proponat, repetat, & dilatet, ut unum e præcipuis fundamentis systematis sui. Quænam illa? *Benevolentia neque est amicitia, neque est amatio*. Hanc ille sententiam sumit, ut inquit, ex S. Thoma 1. 2. q. 27. art. 2., cum tamen Angelicus Doctor disserte tradat, hoc esse Aristotelis effatum, sic enim scribit: *Philosophus dicit in eodem loco, quod benevolentia neque est amicitia, neque est amatio*. Cur igitur Bolgenius prima illa verba prætermittit, quibus ostenditur, cujus sit tandem principium illud? Non deerit fortasse, qui dicat, insedissee Auctoris menti illud Maronius: *Dolus, an virtus quis in hoste requirat?* Ego autem nequaquam animum induco credere ommissa esse a Viro ingenuo verba illa, ea scilicet mente, ut Lectorem deciperet; sed potius ei perinde visum fuisse laudare Philosophum, atque omittere in re præsertim quam sine ullo discrimine adoptare Angelicum judicabat. Mitto alia plurima, quæ in Dissertatione tractantur, quæque Auctor cl. explicare minime potest sine recurso ad Philosophos, ut legenti non segniter ejus opus manifeste constabit. Neque res aliter fieri poterat. Cum enim agitur de natura, excellentia, & proprietatibus actus nobilissimi voluntatis nostræ, cum ejus expenditur objectum motivum, causa finalis, fons, principium, & origo, cum bonum discutitur, in quod voluntas rapitur, & cum exprimitur malum, quod illa aspernatur, quis inter homines adeo male lippus existet, quin videat, rem transigi haudquaquam posse sine Philosophicarum auxilio Disciplinarum. Scit hoc optime dissertissimus Auctor, si quisquam alius, & tamen elapsa est ei minus caute propositio illa Philosophis parum favens. Tentanda sunt igitur omnia, quæ inveniet Lector mire congruentia, Scriptura, Patres, res Theologica, Ethica, Ontologica, ex quarum doctrina Facultatum utiliora non sine examine præmitteremus in Prodomo Velitari. Qua in re illud adverto, me in nullius verba Philosophi sive antiqui, sive moderni jurasse, & illis exceptis, in quibus una est vox omnium, cum scilicet naturæ per se loquenti nefas est dissentire, ea me ex unoquoque desumere, quæ videntur esse probabiliora, seu sit Plato, seu Aristoteles, seu Tullius, seu e modernioribus quisquam. Illud tamen experientia didici, ab antiquis potissimum repetendam soliditatem, & ab modernis gratiam. &

amānitatem, quod video a P. Bertholdo Hauser, & ipso Recentiore, sed iudicio gravi, doctrina præstante, & eruditione sæcundo jam pridem oservatum fuisse, cum in Prologo ad Philosophiam sic scribit: *In tanta temporis angustia, & humana mentis imbecillitate, dum non sufficis omnibus & antiquis, & novis, prudentis est, antiqua novis ita temperare, ut antiquis a novitate accedat gratia, & novis ab antiquitate addatur soliditas, utrique veritas concilietur.* Sicuti tamen incommodum accidat, Prodromum legere Velitarem, poterit is, relicto illo, ad Crisim accedere Systematis Bolgeniani, quam non dubito, quin sufficienter intelligat, quoad scilicet satis sit pro vero utcumque tenendo. Sed qui rem ipsam tenere arcte vult, & manu, ut dicunt, veritatem contrectare, illum, precor, ut legat, & observet concordiam rei Theologicæ cum Philosophica in argumento de amore. Ad rationem quod attinet scribendi id unum subijcio, vulgari me sermone non uti, non ob id solum quod, exter cum sim, nativam dictionem non habeam, hoc enim vinci ut cumque posset tametsi cum aliqua difficultate, quam libenter aggrederer, si expedire judicarem. Quæ me potissimum causa movet ad scribendum latine, illa est, quod argumenti dignitas, altitudo materiæ, abstrusa, difficilis, & diversa natura, atque tendentia virtutum infusarum jure suo postulare videntur elocutionem latinam. Quid enim turpius esse potest, magis que indecorum, quam rudibus, imperitis, sciolis, ne dicam, vetulis, librum porrigere, unde se nactos esse occasionem arbitrentur, ferendi omnino temere sententiam in rebus difficillimis, quas non sine magno labore penetrarunt Viri literati, bono ingenio præditi, & omni genere Disciplinarum exculsi? Postremo voces ego barbaras non respuam, dummodo receptæ sint in Scholis, nam earum usus compendium affert claritati, & brevitati, quæ sane dotes cæteris sunt præferendæ in Disputatione, quæ cum obscura sit satis, nec difficilis parum, obscurior certe redderetur ex putidiuscula tractandi ratione. Atque hæc quidem sunt, quæ præfari placuit: jam ad doctrinæ puncta veniamus, quæ præmittenda promisimus.

PRODROMUS VELITARIS

PRO RECTA INTELLIGENTIA CHARITATIS THEOLOGICÆ, EJUSQUE
DISCRIMINE AB SPE, RELIQUISQUE VIRTUTIBUS INFUSIS
CONSTANS OCTO PROLEGOMENIS.

PROLEGOMENON I.

*De Potentia voluntatis, ejusque affectionibus, & de
Passionibus appetitus sensitivi*

1. **V**oluntas est potentia rationalis prosecutiva *boni*. Nam ut intellectus non nisi in *verum* tendere potest intentionaliter, ita voluntas ferri non potest nisi in *bonum* tendentia sua prosecutiva. Quod autem bonum sit reale, vel unice apprehensum ut tale, refert nihil. Non enim bonum nostram permovet voluntatem, nisi ut *cognitum*. Namque *incogniti nulla cupido*; & ut est apud antiquos

Quis quis amat Thaidem, Thaidem putat esse Dianam.

Bonum vero, cum voluntati ab intellectu representari possit multis modis, multis etiam modis in id ferri potest voluntas per actus ex sua tendentia distinctos. Proponi potest voluntati *bonum secundum se*, proponi potest *ut absens*, & proponi potest *ut præsens*. Si primo modo; fertur voluntas in objectum per actus *amoris*. Si secundo; per actus *desiderij*. Si denique tertio, per actus *delectationis*, aut *gaudii*. In amore nobis experientia representat quandam complacentiam, coaptationem, seu conjunctionem affectivam cum bono, in *desiderio* quandam quasi extensionem, seu conatum ad habendum bonum, & in *delectatione*, vel *gaudio* quietem quandam suavem, & vitalem in bono habito.

2. Ex hac tendentia voluntatis prosecutiva, quæ dicitur primaria, oritur & alia, quam secundariam vocant, & aversivam. Ideo enim malum aversamur, & odio habemus, quia bonum ei oppositum prosequimur & diligimus. Unde & illud consequi, necesse est, per totidem actus exerceri voluntatem circa malum tendentia sua aversiva, per quot se in bonum exercet per tendentiam prosecutivam. Quapropter si malum proponatur *secundum se*, voluntas elicit *odium* amoris contrarium; si *ut absens*; *abominationem*, aut *fugam* contrariam desiderio; si vero *ut præsens*, in *tristitiam* incurrit oppositam delectationi, seu gaudio. Ex qua doctrina perspicua, & pervia omnibus sex colligimus actus voluntatis inter se distinctos, *amorem*, *desiderium*, & *gaudium* circa bonum, *odium*, *abominationem*, & *tristitiam* circa malum.

3. Rursus cum bonum, quod voluntati proponitur, sit interdum arduum, difficile, excellens, vel conjunctum cum gravi periculo super-

rando, alij duo actus voluntatis necessarij sunt *Spes*, & *audacia*. Prima tendit, & erigitur in consecutionem boni ardui, difficilis, & excellentis, altera periculum aggreditur, ne ab illius prosecutione desistat. Duabus hisce affectionibus contrariæ sunt *desperatio*, & *timor*, qui actus sunt positivi; nam voluntas desperans, aut timens non modo cessat ab erectione, vel aggressionem, sed proponit desistere a prosecutione ardui, & difficilis, & fugit malum, quod erat aggrediendum. Ultimo loco recensetur *ira*, quæ est appetitus exurgens adversus eum, qui causa mali est appetenti, vel impedit, ne bonum amatum consequatur. Hic actus dicitur non habere contrarium, quia ira supponit malum personæ, quod non potest excitare ad amorem, sed potius ad tristitiam. Unde si ab ira cessatur, succumbit appetitus, & in tristitiam incurrit. Quam ego doctrinam reputo veram, si sermo sit de appetitu sensitivo, qui unice se refert in bonum sub ratione sensibilis; at si sermo sit de appetitu rationali, non video, cur *mansuetudo* non sit iræ contraria? Cum enim objectum iræ sit vindicta, interdum ardua, & difficilis, potest sine dubio mansuetudo ejus impetum directe refugere. At que ex his constat, pro bono arduo, seu difficili quinarium alium numerum affectionum (ne quidquam de mansuetudine dicamus) assignandum esse, *Spem* scilicet, & *desperationem*, *audaciam*, *timorem*, & *iram*, quæ si prædictis modo enumeratis adjungantur, undecim efficiunt voluntatis aciones, quæ totidem respondent passionibus appetitus sensitivi.

4. Scio, velle aliquos, ut & illæ affectiones voluntatis appellentur etiam *passiones*; sed quæstio est inutilis, & de solo vocabulo. Per me *passiones* vocentur, si hoc nomine unice significetur affectio voluntatis, conjunctio, vel disjunctio ab objecto, quod esse potest vel universale, vel singulare, vel spirituale, vel pure sensibile. Sed si proprie nobis loquendum sit, cum passio inde dicatur, quod fiat cum *quâdam transmutatione corporali*, unice videtur apte cadere posse in actus appetitus sensitivi. Unde Damascenus in 2. lib. Orth. fid. cap. 22. eam ita describit: *Passio est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni, vel mali*. Quam dicendi rationem sequitur S. Thom. 1. 2. q. 22. a 3.

5. Hæc passionum divisio in species undecim desumpta est ex diverso modo tendendi, quem habent actus, in objecta sua, & ex peculiari alteratione, vel motu, quem excitant in corporibus. Alij vero Passiones speculantes ex alijs capitibus aliter divisionem statuunt majorem, aut minorem. Nam si ad species ultimas cujusque generis Passionum deveniamus, innumeras esse deprehendemus; si autem genera tantum superiora consideremus, vel id, in quod omnes tendunt tanquam in finem, discutere velimus, paucis sane membris Passionis nomen complectemur. Et hæc est causa, cur Epicurus duabus tantum passionibus *dolore* & *voluptate* omnia metiretur, & S. Ambrosius l. de Jacob, &

vita beata omnes passiones ex duabus hisce oriri conscribat. Nimirum respicit Ambrosius ad finem, quo etiam intendebat Epicurus, & cum omnes passiones desinant vel in *delectatione*, si obtineatur finis, vel in *dolore*, seu *tristitia*, si non obtineatur, sed potius adsit malum oppositum, duabus illis, quasi generibus, passiones omnes appetitus circumscriptere. Eadem de causa Aristoteles, qui 2. Ethic. cap. 5. passiones numerat undecim, eas ad duas illas supra memoratas præcipue revocat, ad quas omnes ordinantur.

6. Cicero cum Stoicis quatuor numerat passiones, *cupiditatem*, & *gaudium* circa bonum, *ac metum*, & *tristitiam* circa malum. Concinit cum Stoicis Æneid. 6. Virgilius ita canens

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque . . .

Quem versum inducit (apud S. Thom. 1. 2. q. 35. art. 1.) Augustinus 14. de Civit. Dei cap. 4. illam Maronis approbans partitionem. Sed tamen Augustinus ipse cap. 7. ejusdem libri loco *cupiditatis* ponit *spem*. Id quod etiam præstitit Boetius lib. 1. de consolatione Metr. 7. dicens:

*Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.*

Et cum uterque secutus fuerit, ut assolet, Platonem in Timæo, illud habendum est pro comperto, Platonem, Augustinum, & Boetium *Spem* posuisse loco *Cupiditatis*, a quibus non videtur dissentire S. Thomas carmen approbans Boetianum, & rationem reddens 1. 2. q. 25. a 4. cur passiones istæ dicantur esse præcipuæ. Et merito quidem tales esse censentur, vel quia causant majorem alterationem in corpore, ob quam maxime tribuitur passionis nomen motui proprio appetitus sensitivi; vel quia sunt nobis præ cæteris notiores. Unde tenuis est amor, & exiguus alicujus boni, ex quo non oriatur boni desiderium amorem manifestans.

7. Ex his primum est intelligere antiquos Philosophos in numero Passionum ad speciem discrepantes, in re tamen omnes convenire. Nam Platonici (idem intellige de Stoicis) non numerabant inter passiones amorem, illum tamen agnoscebant tanquam primum motum, quem obiectum in appetitum imprimeret, & qui deinceps esset primus motor aliarum passionum, ut de Augustino maxime Platónico testis est perquam locuplex S. Thomas q. 25. art. 2. per hæc verba: *Augustinus dicit, quod omnes passiones ex amore nascuntur*. Et q. 30. a. 2. ad 2. dicendum, inquit, *quod illa prædicatio (Augustini scilicet): cupiditas est amor rerum transeuntium: est per causam, non per essentiam, non enim cupiditas est per se amor, sed amoris effectus*.

8. Exposito numero, & qualitate passionum appetitus sensitivi, & recensitis affectionibus appetitus intellectivi, juvat indicare, vel in

ipso limine, quam parum recte incedat Auctor in Dissertatione sua ob neglectam Philosophorum, & Theologorum doctrinam. Enimvero tres ab Ethica, Psychologia, & Theologia discimus esse affectiones voluntatis circa bonum, & tres item circa malum. Præit *amor*, sequitur *desiderium*, & pervenitur ad *gaudium* pro diversa nempe boni representatione, vel *secundum se*, vel *absentis*, vel *præsentis*. Quod idem contingat, necesse est, *in odio*, *fuga*, & *tristitia* de malo. At ille duos tantum actus cognoscit circa bonum, nimirum *desiderium*, & *gaudium*; & duos etiam, si sibi constet, circa malum *fugam*, & *tristitiam*. Tollit igitur tres illas actuum conjugationes, quas Sapientes omnes agnovere, & quas nisi supponas, actum est proisus de maxima Ethices, ac Psychologiæ parte. Deceptus est, ut credo, quod nomen *amoris* frequenter explicatur a Platone, Theologis, & Philosophis per *desiderium*, sed notare debuisse, id ita fieri, quia amoris notio subobscura vix potest a nobis explicari nisi per effectum nobis clariorem, ut præter ea, quæ dedit S. Thomas, nobis etiam commendat P. Suarez Disp. I. de Passion. sect. 5. n. 5. *quamvis ratio amoris*, inquit, *vix a nobis explicetur nisi ex hoc effectu (desiderio)*, *tamen experientia videmus, talem appetitum ex quadam intrinseca conjunctione ad rem amatam oriri, quod in amore amicitia facilius cernitur. Est tamen idem in amore concupiscentia: prius enim quis afficitur rei, quam sibi convenientem æstimat, & postea illam concupiscit: ratio ergo dicti amoris in dicta conjunctione affectiva consistit; ratio vero desiderii in motu quodam ad realem conjunctionem, & consecutionem rei amatae.* Hæc est igitur ratio, propter quam Augustinus, Thomas, Suarius, & cæteri Theologi frequenter utuntur nomine desiderii ad amorem exprimendum, quia licet hunc affectum distinctum esse supponant a desiderio, vix illum explicare queunt, nisi media hac appetitione, per quam amor cæteros etiam affectus causare solet zeli, sollicitudinis, & anxietatis. Hanc etiam loquendi rationem & nos sequemur, supponentes cum S. Thoma, propositiones similes non esse per *essentiam*, sed per *causam*. Id tamen est. reliquum, ut observetur attente, idem esse debere semper objectum motivum amoris, atque objectum motivum desiderii ex amore resultantis, sicuti non est aliud motivum gaudii, ad quod per desiderium pervenitur.

PROLEGOMENON II.

De bono, quod est objectum voluntatis, & de illius divisione in honestum, utile, & delectabile.

1. **Q**uam nobis certum est, & experientia cognitum in rebus esse appetitum, seu naturalem inclinationem ad aliquid, tam est certum, & exploratum omnibus dari bonum, seu bonitatem
in

in rebus. Id autem bonum quid sit, aut quænam sit bonitas rerum, quoniam res difficultate non caret, in varias traxit opiniones non Philosophos modo, sed etiam Theologos. S. Augustinus lib. 1. de Doct. Christ. rectissime inquit, quod *in quantum sumus, boni sumus*: & lib. 3. de nat. bon. cap. 3. *Bonum, ait, consistit in modo, specie, & ordine*. S. Thomas I. p. q. 48. a. 5. Bonum docet per se, & principaliter consistere in perfectione, quæ ipsi rei naturæ inest. P. Suarez Disp. 10. Metaph. sect. 1. ea complectens, quæ habemus ex Augustino & Thoma, & cætera discutiens, quæ tradita sunt a Theologis & Philosophis de natura boni, bonum docet unice significare rationem convenientiæ ad aliquam inclinationem, capacitatem, seu appetitum. Sic enim bene intelligitur, qua ratione res eadem bona sit uni, & mala sit alteri; namque bona erit habenti inclinationem ad illam, & mala non habenti, sed potius habenti inclinationem oppositam. Hac dicendi ratione explicatur etiam satis natura boni absoluti, de quo Augustinus & Thomas. Nam etiam bonum absolutum dicit convenientiam, seu perfectionem sibi convenientem, & appetibilem, quod satis est, ut a nobis concipiatur tanquam conveniens alicui inclinationi, seu capacitati. Nam impositio nominum modum nostrum apprehendendi consequitur. Cum enim *Ens* apprehendimus, ab esse, vel entitate illud concipimus; cum cogitamus *Perfectum*, ex eo quod nihil enti desit ad suam entitatem, tale judicamus; cum vero venit in mentem *Bonum*, quod est conveniens alicui, quodque est appetibile ab aliquo existimamus.

2. Sic igitur statuta ratione boni, ad triplicis boni divisionem deveniamus, quæ, quoniam propius quam cæteræ nostram attingit disputationem de natura Charitatis, diligenter omnino pertractanda est. Bonum ergo communiter dividitur tripartito; aliud enim dicunt *honestum*, *utile* alterum, & tertium *delectabile*. Hujus partitionis mentionem facit, subobscurè tamen, S. Ambrosius lib. I. offic. cap. 9. & 10. Clarius illam tradit S. Thomas p. I. q. 5. art. 6. qui & advertit præfatam divisionem potissimum intelligendam esse de bono humano, vel per comparisonem ad hominem. Qua in re supponimus, sermonem esse de homine, quatenus homo est, seu ratione utitur. Hæc enim est regula omnis boni homini convenientis. Ratio nempe vel naturalis, si philosophice tantum hominem consideres, vel divino illustrata lumine, si eundem consideres Theologice. Ratio autem cur ad humanum bonum restringatur partitio, plana est; quia in illo sine metaphora, vel traslatione reperiuntur propriissime tria illa bonorum genera. Jam vero cum bonum sit idem, atque conveniens, ut supra insinuavimus, duplici ratione potest esse homini conveniens. Primo quidem per se ipsum, quia nimirum illa perfectio, quam in se habet bonum, consentanea est homini, eique congruens. Quod item potest duobus modis contingere; vel enim est conveniens in ordine ad delecta-

ctationem, quam secum affert tale bonum, & erit illud, quod dicitur *delectabile*, vel sine ordine ad delectationem, sed solum quia per se decet, homini convenit, & hoc est bonum, quod appellamus *honestum*. Deinde altero etiam modo aliquid est conveniens homini, non per se ipsum, sed ratione alterius boni, ad quod ut medium ordinatur. Ut enim finis obtineatur intentus, eligenda sunt media, & propter finem amanda. Cum igitur bonitas finis conveniens sit homini, media item ad illum dirigentia dicuntur homini convenientia. Restat igitur, ut medium hoc modo conveniens dicatur, & sit bonum *utile*. Tria hæc bonorum genera sic explicata distingui saltem ratione debent, ut quisque videt; sed re, seu subjecto non semper distingui necesse est. Quis enim non intelligat, devotionem v. g. esse per se honestam, jucundam, & utilem?

3. Divisio ita proposita & explanata videtur esse perspicua, & ad intelligendum facilis, sed, re inspecta penitus, suas habet difficultates, quas nisi prævenias, non satis omnino constabit, quæ sit cuique membro divisionis notio subjecta. Primum itaque circa bonum honestum observandum est, duobus modis dici, & sumi posse bonum honestum, & in *ordine ad mores*, seu actiones humanas recta ratione regulatas, & in *ordine ad naturam*, ejusque perfectionem, aut connaturalitatem. Bonum honestum in primo sensu spectatum id est, *quod per se, & ex se decet hominem, vel personam ratione utentem*, quo sane modo de illo loquitur S. Thomas 2. 2. q. 145. art. 1. In hac decentia, vel convenientia non spectatur aliqua commoditas, quæ per tale bonum accrescat personæ, cujus est bonum. Hæc enim licet sæpe intercedat, per se tamen necessaria non est ad constituendam honestatem, cui stabiliendæ una sufficit decentia, & convenientia memorata. Itaque elargitio eleemosynæ honesta est, quia consentanea naturæ ut rationali, etiamsi nullam inde perciperes utilitatem, vel commoditatem præter ipsum *recte operari*. Hoc item modo dicitur respectu Dei esse conveniens, & honestum sese communicare, benefacere, ac misereri, non quia illi sit commodum (quid enim ei ex talibus elargitionibus accrescit?), sed quia per se decens, ac proportionatum Divinæ Bonitati. Bonum honestum ita explicatum non solum se extendit ad operationes honestas, sed & habitus, atque objecta comprehendit. Nam ratio decentiæ, & convenientiæ tria illa pervadit. Et ut ex Theologia suppono, ex objecto maxime in actu derivatur honestas; neque enim esse potest in actu formalis honestas, nisi præcedat honestas objectiva, quæ hominem per se deceat.

4. Bonum honestum in secundo sensu spectatum, seu in ordine ad naturam est illud, quod eam perficit, vel quod connaturalitatem affert seclusa ratione virtutis, ut sanitas, vita ipsa, quam interdum amare, ac tueri, non solum decens non est, sed etiam turpe, quamvis naturæ maxime conveniens. Quapropter vel antiqui Philosophi,

ut ex Tullio constat lib. 3. & 4. de finibus, appellarunt ea *bona naturæ*, & a bono honesto, quod *per se decens* esse affirmabant, accurate distinguebant. Tamen quia ita comparatur naturæ appetitus ad bonum naturæ, cui est per se conveniens, & amabile, sicut appetitus rationalis ad bonum per se decens, idcirco bonum naturæ in ordine ad eam sub honesto bono comprehendi solet. Accedit, rationem hanc boni videri sufficientem ad appellationem *honesti*, nisi aliunde adsit aliquid impedimenti. Cum enim homo regi, & gubernari debeat recta ratione, ad eam pertinet ea homini proponere, quæ sunt naturæ consentanea, nisi tamen quid obstet, majusve aliquid incommodum sequatur. Hoc igitur modo inter bona honesta naturæ computandæ sunt animæ potentiæ, & ipsum vivere, ac sapere honesta sunt.

5. Atque hæc quidem de bono honesto, quod per se hominem decet, in bono autem delectabili duo sunt accurate distinguenda, delectatio nimirum, & objectum ipsum delectans. Jam vero delectationem esse convenientem, & appetibilem, manifestum est omnibus, cum sit actus valde invitans, & trahens appetitum. Objectum etiam delectans, si a delectatione, ut sæpe fit, distinguatur, debet esse sine dubio conveniens, nam actus animæ supponit objectum suum, neque ob id objectum est conveniens, & bonum, quia est objectum delectationis, sed a contrario, quia objectum est conveniens, & bonum, idcirco est objectum delectationis, cum delectatio, ut per se patet, sit de bono convenienti. Hoc autem bonum conveniens, quod delectationi supponitur, cum non sit præcise bonum utile, & ad aliud ut finem ordinatum, solum esse potest bonum naturæ, vel bonum honestum in ratione moris. Ex quo illud existit, ut bonum *delectabile qua tale*, vel ut distinctum a bono naturæ, vel honesto in ratione moris, sit delectatio ipsa, vel complexum ex bono *honesto*, seu *naturæ*, & *ex ipsa delectatione*, quod apprehensum per modum unius objecti dicitur bonum delectabile. Hæc est sententia constans, & perpetua S. Thomæ, qui 1. p. q. 5. art. 6. hanc nobis tradit regulam generalem: *Id, quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quedam res, in quam per se appetitus tendit, vocatur bonum honestum, quia honestum dicitur, quod per se desideratur. Id autem, quod terminat motum appetitus, ut quies in re desiderata, est delectabile. Idem tradit fere 1. 2. q. 32. a. 1. & in solutione ad 2. observat, illa proprie dici bona delectabilia, quæ nullam aliam habent rationem appetibilitatis, cum alioquin sint & noxia & inhonesto. Quæ tamen verba non sic intelligit, ut nulla in objecto præcedat convenientia ante delectationem, sed quod illa convenientia non appeteretur seclusa delectatione. Hanc S. Thomæ doctrinam ad bonum delectabile requirentis delectationem, ut a bono naturæ, vel moris distinguatur, validissime confirmat P. Suarez loco laudato hoc argumento. Amor, desiderium, & gaudium in idem objectum tendunt, sub diversa tamen ratione propositum, nimirum vel *secundum se*, vel*

ut *præsens*, vel *ut absens*; sed amor, & desiderium tendunt in bonum naturæ, vel moris pro arbitrio amantis, vel desiderantis; ergo & delectatio tendet in idem objectum, dum nimirum jam est *præsens*, seu habitum. Hinc vera est hæc propositio: *Gaudeo de bono moris, vel naturæ jam habito, quod amavi, & desideravi*. Bonum igitur, quod delectationi præsupponitur, est ipsum bonum naturæ, vel moris. Ex quo illud necessario fit, ut bonum delectabile, quatenus distinctum a bono naturæ, vel moris includat delectationem.

6. Fateor, nos sæpe loqui de bono delectabili per ordinem ad delectationem, quam potest causare, ex qua relatione nominis impositio, vel etymologia videtur esse desumpta. Sed vero hæc loquendi ratio permitti quidem potest, cum intima natura bonorum non discutitur accurate. Cum vero rerum rationes singulas secernere opus est, via ineunda, quam indicat S. Thomas, ne bonum delectabile cum utili confundatur. Nam si bonum delectabile unice dicitur tale in ordine ad delectationem, quam causare potest, erit bonum ipsum utile, seu species sub ratione generica boni utilis contenta. Nam cibus exempli gratia si ametur, quia sanitatem confert, amatur ut bonum utile ad sanitatem; si autem amatur, quatenus delectationem affert, amabitur ut utile ad delectationem. Hoc igitur sensu acceptum bonum *delectabile* non magis esse potest bonum, quam utile, nec ab eo distingui potest, cum solum dicatur tale per habitudinem ad delectationem, quam potest ingenerare.

7. De bono utili, quod ex S. Thoma unice amatur ut ducens in aliud, qualis est *sumptio medicinæ amaræ*, id unice observandum, posse bonum illud, quod dicitur utile, habere rationem convenientiæ, & appetibilitatis propter se. Unde possunt bona honesta ad aliquem finem extrinsecum ordinari, sicut etiam possunt ordinari delectabilia. Cur enim ego non possim exercere actum misericordiæ erga pauperem, ut Deo satisfaciam pro peccatis? Hæc autem ordinatio actus misericordiæ ad pœnitentiam respicit actum misericordiæ ut utilem ad finem pœnitentiæ, cum tamen actus misericordiæ sit vere honestus, & propter se vere appetibilis. Idem contingit in mille aliis, nam quod honestum est, & delectabile, potest etiam utile esse ad aliquem extrinsecum finem ab operante intentum.

8. Hæc sunt, quæ præmittenda putavi de natura boni, ejusque celebri divisione in honestum, utile, & delectabile. In quibus lector advertet, non leves explanandas esse difficultates ei, qui velit informare animo notiones rectas, & accuratas bonorum, in quæ tendere potest voluntas per actus amoris, desiderij, & gaudij, per intentivos, & electivos, per directos, & reflexos. Quod sane cum difficultate non careat in actibus animi naturalibus, multo est difficilius in supernaturalibus a sensu magis remotis, & experimento proprio minus subjectis. Unde bonitatis speciem designare, quæ ad actus movet supernaturales,

is unus præstare potest, qui multum sit in Theologia versatus, & ab ijs Disciplinis optime instructus, quæ debent supremæ omnium inservire.

9. Clar. Dissertationis Auctor de amore Dei ab his omnibus expedit se facile iudicavit, unum agnoscens in sua Dissertatione genus boni, idque *delectabile*, & ita sibi consentit hac in re, ut si occurrat in latino verbum *bonum*, vertat sine hæsitatione in rem suam *dolce, dilettevole*. Ubi est igitur illud *per se decens* in ordine naturæ homini ratione utenti congenitum? Ubi est aliud longe majus, & excellens, quod *per se decet*, in ordine supernaturali homini ad hunc ordinem elevato, & per virtutem fidei dirigibili omnino intimum, conforme, & consentaneum? Profecto bonum honestum negare, illudve confundere cum delectabili, & deturbare hominem a gradu dignitatis, quem obtinet ex ratione naturali, & ex fide supernaturali, videntur esse maxime juncta. Lege, precor, charissime Bolgeni, (id tibi, honorem præfando, consilium do) lege, precor, Patrem Franciscum Suarez disp. 10. Metaph. sec. 1. & 2. ubi & boni naturam, & ejus species diversas explicatas invenies ea soliditate, acumine, & perspicuitate, quæ in modernis difficulter requiras. Illum si legas, non dubito fore, ut nimis restrictam notionem boni, quam nobis tradis in Dissertatione, deponas. Ex illo nos proficimus in hoc puncto, si proficimus quidquam, nec enim pudet id ingenue fateri. Nec propterea contendo, non esse legendos Recentiores alios, qui rem Ontologicam tractaverunt; sed cave, ne quemquam illorum anteponas Suariorum. Nec enim est quisquam in re metaphysica aut doctior, aut profundior, aut solidior, ut, qui post illum scripsere sapientes, unanimi sensu comprobant, nec antiqui solum, sed etiam moderni, quos inter audi, quod de illo reliquit scriptum clarissimus Bertholdus Hauser in Præf. ad Ontolog. §. 5. P. Francisci Suarez *Metaphysicæ Disputationes complectuntur id omne, cujus capax est subtilitas, & soliditas Scholastica. Opus hoc eminent profunditate, & amplitudine doctrine. Addit Rapinus (Reflex. sur la Metaph. §. 3.) libros Suariorum Metaphysicos nunquam satis commendari posse Theologiae alumnis, qui nova quadam metodo corrupti Scholasticam in disputando abjiciunt, historicam sectantes: eo quod minori impendio liceat ostentare vim memoriæ, quam probare robur ingeni.*

PROLOGOMENON III.

*Voluntas non potest amare bonum quod non sit ei conveniens,
& quodammodo proprium.*

1. **P**ræfixa in capite prolegomeni hujus propositio videtur accedere ad principium, seu postulatum non in Philosophia modo, sed & in Theologia. Enimvero illius veritas sponte sua descendit ex dictis de natura boni, imo & fundamentum est, seu radix aliorum, quæ longe forsitan discussa sunt nobis. Nec vero perspicuæ, ut existimo, veritati dissentire quisquam potest, si recte intelligatur. Sicut enim appetitus innatus ferri non potest nisi in bonum physicum naturæ conveniens, ita similiter elicitus quærere sibi debet bonum consentaneum. Uterque datus est a natura, ut supposito quærat proprio bona convenientia. Quo respexit Aristoteles, dum 5. Ethic. cap. 8. scripsit illud in ore omnium versatum, & Bolgenio gratissimum: *amabile quidem bonum, unicuique autem proprium*. Quod sane quam sit verum, quem pariat sensum, & quousque tandem se extendat, opportuno in loco discutiemus. Nunc vero satis est, illud supponere, agnovisse Philosophum convenientiam, quæ inter voluntatem, & objectum debet intercedere, ut in id ferri possit voluntas per aliquem sui actum.

2. Præterea amor est pondus, & inclinatio in objectum, in quo tanquam in centro quiescit amans. Si autem bonum non esset conveniens, & proportionatum amanti, quo pacto fieri posset, ut in illo tanquam in centro conquiesceret amans? Id ipsum ostenditur ex amoris natura, qui, ut habet Augustinus 8. de Trinit. cap. 10., est unio quædam, vel nexus. *Unio* item, ut docet S. Thomas, *pertinet ad rationem amoris, in quantum per complacentiam appetitus amans se habet ad id quod amat, sicut ad se ipsum, vel ad aliquid sui*. Hæc autem unio, vel nexus affectivus esse non potest sine convenientia præfata, ex qua bonum apprehendatur, ut amantis quodammodo proprium. Sed vero hic videtur mihi exultare Bolgenius, & lætitia perfusus conclamare: omnis igitur amor est amor concupiscentiæ. Si enim voluntas amare non potest nisi bonum, quod sui proprium sit, quod sibi sit conveniens, & consentaneum; jam tandem in se ipsam revertit, se ipsam quærît, propriumque commodum, delectationem, aut utilitatem intendit. Quid autem est aliud amor ille, quem nomine *concupiscentiæ designamus*? Porro amor concupiscentiæ non est ille, quem vulgus hominum & inordinatum, & rationi rectæ judicat esse contrarium; sed is, per quem voluntas commodum subjecti, seu fœlicitatem procurat, qui quidem rectus est, & bene ordinatus, si modo eam curet fœlicitatem sive naturalem, sive supernaturalem, quam ratio recta præscribit, vel fides docet esse appetendam; pravus autem erit, ac inordinatus, si ad fœlicitatem tendat rationi, aut fidei contrariam.

3. Ratio hæc, quæ cl. Auctoris mentem illicò subibit, ut arbitror, nobis affert necessitatem plura dicendi de proprietate, & convenientia boni, in quod fertur voluntas per amorem. Unitas itaque, proprietas, seu proportio boni respectu voluntatis non est præcise repetenda ex utilitate, delectatione, seu commoditate boni, sed ex convenientia cum voluntate. Convenientia hæc interdum fundatur in utilitate, vel delectatione, sæpe autem in consentaneitate, seu decentia, quam habet bonum cum appetitu rationali, & pro diversitate convenientiæ diversi sunt amores. Si primi generis convenientia sit, voluntas trahit bonum ad se, illud concupiscit ad se revertens, utilitatem intendens, & delectationem quærens. Si vero convenientia fundetur in decentia, proportione; & consentaneitate cum appetitu ut rationali, nullam ex amore quærit voluntas utilitatem, sed, vel ea præcisa, rectitudinem sequitur, non se quærens, nec ad se reflectens.

4. Ponamus hominem volentem pauperi succurrere ex uno motivo intrinseco misericordiæ, quæ alienæ miseriæ subventio est. Quam in eo casu intendit utilitatem, qui ita succurrit pauperi? Plane nullam. Quia nempe operatur ex solo motivo misericordiæ, quod totam in pauperem utilitatem refundit. Misericordem utique consequetur utilitas & quidem major, & alterius ordinis, præsertim si actus elargiendi sit meritorius, ut qui eliciatur ab homine existente in gratia. Sed verò hæc non intenditur præcise ex vi actus unice eliciti ex motivo misericordiæ, ut suppono. Ponamus alium vinum, cibum, pecunias amantem, quia delectabilia ex potu, sumptione, & retentione: hic intendit directe commodum, utilitatem, delectationem, ad se revertit ex amore, in se reflectit trahendo ad se quæ intendit, procurat, & quærit. Quis est igitur, qui non videat, hos amores esse natura sua valde diversos? Quodsi ad personas discursus transferatur, varietas, & discrepantia magis adhuc in aperto collocabitur, ut videre licet in amicitia tum *utilis*, tum *honesti*. Amat Octavius Antonium, amat Lepidum, quia sibi utiles, quia illis indiget ad finem, quem sibi præfixerat; amat Epaminondas Pelopidam, quo non indiget, sed unice quia probus est, quia sui similis in arte, professione, & virtute. Primus ille amor nonne ad Octavium revertit, ad quem utilitatem trahit, in eundemque reflectit? Nonne hic amor potius est amor Octavij, quam Lepidi, quam Antonij? Rem satis commonstravit eventus. Contra vero amor honestus Epiminondæ non ad eum revertebat, nec ad amantem reflectebat, sed totus erat in amico, quem propter se amabat, eoque præsentem fruebatur, & absente illo condolebat. Tanti refert naturam convenientiæ & proprietatis, quæ est in bono amato, considerare, ut inde possis colligere naturam amoris, & amicitiam fucatam secernere a vera, honesta, & laudabili.

5. Quæ dicta sunt numero superiori, adeo mihi videntur esse perspicua, ut majori declaratione non egeant, juvat tamen alia subnec-

tere, quibus res satis clara clatior, si fieri potest, evadat, & ut nonnulla, quæ, ut arbitror, decipere Bolgenium, in limine ipso explicata prædicantur. S. Thomas 1. 2. q. 27. art. 3. statuit, similitudinem esse causam amoris, ut enim habemus Eccles. 13. *Omne animal diligit simile sibi*. Et ratio esse potest, quia similitudo satis est, ut hoc in loco insinuatur, ut bonum amatum sit unum cum amante, & sit ejusdem quodammodo proprium. Sed vero, ut diversas amorum naturas discernamus, acute etiam distinguit Angelicus diversas naturas similitudinum. Est enim similitudo, inquit, *uno modo ex hoc, quod utrumque habet idem actu, sicut duo habentes albedinem dicuntur similes. Alio modo ex hoc, quod unum habet in potentia, & in quadam inclinatione illud, quod aliud habet in actu . . . vel etiam secundum quod potentia habet similitudinem ad actum ipsum*. Hac supposita unitate similitudinis inter personam amantem & amatam pro diversitate similitudinis colligit diversitatem amorum addens: *Primus ergo similitudinis modus causat amorem amicitiae, seu benevolentiae. Ex hoc enim quod duo aliqui sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa: sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, & duo albi in albedine, & ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi, & vult ei bonum, sicut & sibi*. Concludit tandem Angelicus Doctor definiens, *secundum modum similitudinis causare amorem concupiscentiae, vel amicitiae utilis, & delectabilis, quia existenti in potentia inest appetitus sui actus, & in ejus consecutione delectatur*. Ex quibus habemus ex diversitate similitudinis diversam esse convenientiam, & unitatem amati cum amante, & amores evadere diversos. Igitur amor fundatus in unitate, convenientia, & similitudine in potentia, ob quam appetitus in boni consecutione delectatur, quando jam sibi habet, quod habere desiderabat, pertinet ad amorem concupiscentiae; & amor fundatus in actuali similitudine, ex qua unam quasi formam habere censetur amans, & amatum, pertinet ad amorem amicitiae, seu benevolentiae.

6. Hæc, quæ in genere sunt verissima, si ad amorem creaturæ seu naturalem, seu supernaturalem erga Deum contrahantur, deprehenduntur esse certissima. Deus summe bonus, ut lumine naturali cognitus, maximam habet convenientiam cum rationali natura per rectam rationem dirigibili; ut cognitus item per fidem habet convenientiam, proportionem, & consentaneitatem cum natura elevata hominis illustrati per fidem. Quod est enim objectum magis per se decens hominem utentem ratione recta, vel lumine fidei, quam Dei bonitas? Si enim habitus honestus decet hominem, quia elicit actum honestum, qui per se hominem decet, quanto magis objectum, a quo & actus, & habitus honestatem desumunt, ut tradit S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 1. & q. 20. art. 1. qui & honestatem objecti *primordiale* appellat? Cum ergo bonitas Dei sit supremum bonum honestum, bonum erit, quod

quod creaturam rationalem pro omni statu vel naturali, vel supernaturali supreme deceat, quia nimirum homo in ordine naturæ factus est *ad imaginem, & similitudinem Dei*, & in ordine supernaturali factus est *consors naturæ divinæ*. Et en tibi similitudo, quæ secundum S. Thomam est causa amoris *amicitiæ*, seu *benevolentia* ut contradistincti ab amore *concupiscentiæ*, cum duo aliqui sunt similes quasi habentes unam formam. Charitas igitur Theologica, quæ in Deum tendit, quia Summum Bonum honestum, & maxime decens hominem consortem divinæ naturæ, in Deum fertur per amorem benevolentia. Contra vero amor, in quo Spes innitur, tendens in Beatitudinem æternam, *in cujus consecutione appetitus delectatur*, est amor concupiscentiæ, quia non fundatur in similitudine illa, *quasi penes unam formam*, sed in similitudine, & inclinatione, quæ inest potentiæ ad actum, quem non habet, & quo obtento quiescit, & delectatur.

7. Sed cum ad rem per se claram magis, & magis demonstrandam multa, quo te cumque veritas, occurrant principia, placet illud proponere, ex quo P. Suarez tum alibi, tum lib. 5. de Anima cap. 2. solidissime explicat, quænam sit unitas, proprietas, & convenientia boni divini cum voluntate nostra. Illud autem iis terminis continetur. *Deus est universale bonum rerum omnium, atque adeo nostrum*. Propterea dictum est Moisi. *Ego ostendam tibi omne bonum*. Igitur si Deus summe bonus est bonum universale, ergo in eo tanquam in causa, fonte, vel origine includitur bonum ipsum privatum creaturæ rationalis: ergo creatura rationalis non debet solum amare Deum, sed amare debet Deum magis quam se ipsam, & eo magis, quo præter sui bonum cætera omnia bona inveniuntur in Deo, a quo & pendet ipsa creatura, & cæteræ res creatæ dependent. Quis vero dubitat, quin ejus generis amor sit propriissime amor benevolentia minime reflectentis in creaturam, sed potius tendentis in Deum, & in eodem sistentis tanquam in Oceano Bonitatis universalis?

8. Ex eodem principio, & eadem ratione concludit S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 3. hominem debere Deum amare magis quam seipsum, quia nimirum *est commune omnium bonum*. Et ut ostendat, amorem hunc non esse concupiscentia, sed benevolentia, licet respiciat *bonum sibi conveniens*, addit acute: *bonum totius diligit quidem pars, secundum quod est sibi conveniens; non autem ita quod bonum totius ad se referat, sed potius ita quod se ipsam refert in bonum totius*. Quod idem advertit in 3. sent. dist. 29. art. 3. ad 2. per hæc verba: *Quamvis unicuique sit amabile, quod sibi est bonum, non tamen oportet, quod propter hoc ametur, quia est sibi bonum, cum amicitia non retorqueat ad se ipsum bonum, quod ad alterum optat*. Ex quibus planum est, bonum esse amabile, & appetibile a voluntate pro ratione convenientia, quam habet cum potentia appetente, & esse certissimum, quod scribit S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 13. *Dato per impossibile, quod Deus non esset*

hominis bonum, non esset ei ratio diligendi. Item: unicuique erit (in Patria) Deus tota ratio diligendi, eoquod Deus est totum hominis bonum. Duo hæc Angelici testimonia sumit, & premit Cl. Dissertator pro suo amore concupiscentiæ, sed non satis advertit animum ad diversitatem convenienciæ, & proprietatis objecti, in quibus fundantur amores isti diversi.

9. Certum est igitur, Deum ut summe bonum esse hominis bonum & quidem proprium, & propriissimum, nec ab homine amari posse, nisi ei esset bonum conveniens. Sed non ideo amor elicitus ex summo illo motivo reflectit in amantem, in ipsumve retorquetur, quin potius & se, & amantem refert in bonum illud universale. Contra vero amor concupiscentiæ amat bonum proprium, illud retorquendo in propriam utilitatem personæ, ut physice distinctæ a cæteris. Primi generis est amor charitatis Theologicæ, quæ ad Deum transit, in eo sistit, nec, ut ex eo sibi aliquid utilitatis proveniat, intendit. Secundi generis est amor ille concupiscentiæ, quo Spes Theologica innitur. Sic enim ad Deum terminatur, ut in amantem reflectat, intendens, ut ex Deo proveniat amanti æterna beatitudo. Ex quo fit, ut bonum quærat proprium tanquam cedens in utilitatem personæ amantis, quatenus physice distinctæ ab amato. At amor benevolentæ cum alteri bonum velit, solum vult, & intendit bonum affective proprium personæ amantis, quia nempe per amorem amans est unum affective cum amato. Unde scriptum est, *qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Quis jam non videat discrimen inter hæc duo amorum genera? Quis non contrectet manu nobilitatem, celsitudinem, & perfectionem amoris amicitæ erga Deum præ amore concupiscentiæ, ex quo Beatitudinem nostram, & felicitatem amamus? Beatos nos esse volumus ex amore concupiscentiæ: beatum esse volumus Deum ex amore benevolentæ. Nos ipsos ex illo (quamvis laudabiliter, & honeste) quærimus, bonumque nostrum procuramus; Deum vero ex isto esse, & vivere, & bona sua habere intrinseca optamus, & extrinseca, quanta possumus animi contentione, habere illum desideramus. Quam sit amor benevolentæ erga Deum & fortior, & sublimior, & generosior, quam amor concupiscentiæ, insinuat S. Thomas in 3. Sent. dist. 29. a. 3. ad 5. sic inquit: *Si esset possibile, quod ex nostris operibus aliquid ei (Deo) accresceret, habens charitatem multo plura faceret propter Beatitudinem ei (Deo) consequendam, quam propter eam sibi adipiscendam.*

10. Quæ dicta sunt hactenus, clariora fient consideranti, quæ in amicitia politica, seu erga Rempublicam, Civitatem, aut Regnum contingere solent. Amat exempli causa Politicus verus bonum publicum Reipublicæ, vel Civitatis, amat item bonum suum privatum, & particulare. Hoc tamen inest discriminis inter hos amores in ordine, & perfectione diversos, quod licet uterque respiciat bonum amanti conveniens, primus fundatur non in convenientia utilitatis propriæ, sicut

ti secundus, sed in convenientiâ decentiâ. Est enim veri Politici, ipsum que maxime decet bonum publicum, & universale curare, augere, & conservare etiam cum detrimento, si opus sit, boni privati. Unde multi posuere vitam laudabiliter pro bono Reipublicæ universali, & facto ipso comprobarunt amare se magis bonum publicum, quam particulare, ea ducti honesta ratione, quod publica privatis præponenda sunt. Amor autem proprius hominis politici est amor concupiscentiæ in propriam intentus utilitatem, rectus, si placet, & ordinatus (nec enim de hoc disputo) sed qui non sufficit ad veram amicitiam politicam. At alter amor intentus unice in bonum commune Reipublicæ est amor benevolentiae quærens, & procurans bonum, non sibi ut personæ a cæteris distinctæ, sed sibi ut personæ, quæ est una moraliter, & affective cum Republica, cujus est pars, & ad quam omnia refert, quin ad se quidquam referat ut personam a Republica physice distinctam. Quod autem in Politico vero contingere videmus, id in Sanctorum civibus reperiri late ostendit S. Thomas, ut videbimus. Interim exemplum hujusmodi innuisse sufficiat, ut dicta in hoc prologo sub oculos cuique subjiciantur. Hæc fere sunt, quæ ex Theologis dicere habui de convenientia boni cum potentia voluntatis, & quæ si Cl. Auctor ante dissertationem confectam sedato animo, menteq; tranquilla perpendere voluisset, mediam credo dissertationis partem, dicam ulterius quidquam, integram, quæ sua est ingenij bonitas, omisisset.

PROLOGOMENON IV.

*De diversitate objectorum respectu voluntatis nostræ,
& de causa finali.*

I. **N**omine *objecti* id intelligimus, quod ipsa sibi objicit potentia intentionalis suis in actibus. Illud intellectus proponit voluntati, quod tamen ea pro sua libertate in humanis actionibus aut complectitur, aut aspernatur; nisi forte omittat actionem positivam prosecutionis, aut aversionis circa rem propositam pro indole libertatis, quam dicunt penes *specificationem*, aut *exercitium*. Jam vero bonum, quod est objectum voluntatis, appeti potest ab ea vel *propter se*, vel *propter aliud*. Si primo attingatur modo, bonum appetitum erit *objectum formale*, seu *motivum*, quia ex forma sua intrinseca ex merito dignitate, & intrinseca sufficientia (id enim significat *propter se*, *per se*, *in se*, & *ratione sui*) movet voluntatem ad amorem, desiderium, aut gaudium. Si vero objectum altero modo attingatur, propter aliud scilicet, ad quod ordinatur, ut primo, & principaliter amatum, erit objectum *materiale*, seu pure terminativum. Quod quidem multiplex esse potest vel intrinsecum, vel extrinsecum, vel proximum, vel remotum

tum pro habitudine intrinseca, vel extrinseca, proxima, vel remota ad objectum formulæ. Res clara est satis cuicumque suos in actus reflectenti. Et ut exemplum obvium omnibus proponamus, dum proximum diligimus propter Deum, proximus est objectum materiale, seu pure terminativum amoris, Deus autem objectum formale, seu motivum, quia in ejus intrinseca Bonitate invenit voluntas formam moveantem ad amorem, qui sistit in ea ulterius non progrediens. Auctor cl. in sua dissertatione explicat optime notiones horum objectorum, sed cum ad ratiocinationis acumen ventum est, eas interdum confuse proponit, interdum non satis discernit: cumque majus erat operæ pretium pro veritate assequenda, eorum, quæ opportune jecerat, recteque statuerat, oblivisci videtur; ut ejus ratiocinationes attente legens non poterit varijs in locis non observare.

2. Huic objectorum explanationi affinis est doctrina, quæ tradi ab Ontologis solet de natura finis, ejusque partitione; quæ quia est in primis necessaria argumento, de quo agimus, penitus discutiendo, prætermittenda non est. Finis proprie talis dicitur esse communiter id *cujus gratia*, vel *propter cujus bonitatem aliquid fit*. Unde *to propter* significare debet finem aliquem proprium, qui ab agente cognitus ut bonus bonitate sua moveat cognoscentem ad operandum, invitando, alliciendo, trahendo. Quod si operatio ponatur ab agente, seu eliciatur opus, ut conducens ad assecutionem finis, vocatur medium, quod item multiplex esse solet ad finem unum, sic tamen ut verum sit semper, appeti finem *propter se*, & medium, seu media appeti propter finem.

3. Sic adumbrata natura finis dividitur primo in finem *qui*, & finem *cui*. Primus is est, quem agens intendit assequi. Alter est persona, vel subjectum, cui finis *qui* procuratur tanquam bonum ejus. Fac medicum ægro salutem procurare, salus erit finis *qui*, & æger finis *cui*. Magna solet esse inter Philosophos dissensio, quinam eorum vocandus sit finis, attenta ejus causalitate? Facile inter eos iniri potest concordia, si dicamus, utrumque participare rationem finis, & in allato exemplo, sicut in alijs, intendi potius, ac procurari concretum illud *sanum*, vel *homo sanus*, quanquam negari non potest, finem *qui*, nisi addatur quidquam, jure quodam proprio vindicare sibi rationem absolutam finis, seu causæ finalis. Quod quidem in causa est, ut finis a pluribus definiatur: *Quod ad sui consecutionem movet per medium, seu per media*.

4. Dividitur secundo finis in *formalem*, & *objectivum*. *Formalis*, qui & nuncupari solet finis *quo*, & interdum a S. Thoma *finis sub fine*, est actualis possessio, aut consecutio boni, quod intendimus obtinere. *Objectivum* est res ipsa obtenta, vel bonum habitum, & consecutum. Ubi vides finem *objectivum* recurrere in finem *qui*, quod erat primum membrum divisionis primæ. Exempla sunt facillima: sit illud

satis. Dum per opera bona Beatitudinem quærimus, Deus est finis *ob-*
jectivus, visio autem beata, vel actualis Dei possessio, seu fruitio est
 finis *formalis*. Hujus divisionis mentionem facit S. Thomas 1. 2. q. 1.
 art. 8. et q. 3. art. item 8., et tandem q. 11. art. 3. ad 3. ubi ad-
 vertit, hos non tam esse duos fines, quam unum. Et ratio esse po-
 test, quam tradit P. Suarez disp. 23. Metaph. sect. 2. quia neque ob-
 jectum attingi potest nisi per actum, neque actus fieri potest nisi cir-
 ca objectum. Ex quo efficitur, ut ex utroque quasi partiali fine coale-
 scat finis unus integer, seu completus. Sed cum actus, et objectum
 sint res plane diversæ, possunt inter se comparari, et actus ad ob-
 jectum, ut quisque videt, referri. Hæc, quæ in medio sunt posita,
 et tanta, ut arbitror, luce donata, ut nemo possit umbram prætex-
 re obscuritatis, sic ab Auctore nostro sua in Dissertatione confundun-
 tur, ut mirari non desinam, acutum hominem, ac plane eruditum to-
 ties sumere finem *qui* pro fine *quo*, formam pro objecto, Deum pro
 fruitione, et pro creata re ipsum esse Dei increatum, et aeternum. Qua
 de rerum confusione fuse dicemus suo in loco. Veniamus ad alias finis
 divisiones, quas non judico fore inutiles pro argumento præsentis.

5. Dividitur tertio finis in eum, qui fit, et in eum, qui pure
 obtinetur, cum jam ante conatum agentis existere supponatur, qualis
 est Deus respectu quærentis beatitudinem in eo habendam. Quarto di-
 viditur in *finem operis*, ad quem actio, seu operatio per se ordinatur,
 ut miserix sublevatio respectu erogantis eleemosynam, et in *finem ope-*
rantis, quem pro arbitrio intendere potest agens, etiam præter geni-
 um, et naturam operationis, cum non raro ob finem gloriæ vanæ præ-
 steretur eleemosyna. Solet etiam alijs terminis frequenter tradi prædicta
 divisio, in finem scilicet *intrinsicum*, et *extrinsicum*, id quod ex so-
 la verborum penetratione notum est omnibus. Illud tamen in præsentis
 observatum velim, præ oculis semper habendam divisionem præfatam,
 dum agitur de intentione finis, et electione mediolorum, de actibus im-
 perantibus, et de imperatis, qui quidem interdum pertinent ad diver-
 sas potentias, interdum autem ad unam. Præterea non minus est ne-
 cessaria recordatio isthæc, dum de virtutibus inter se comparatis in-
 stituitur sermo. Nam sæpe talem inter se nexum habent, concatenationem,
 et ordinem, ut nisi fines illos scruteris attente, unam ab altera
 virtutem non plane discernas, nec quinam sit actus immediate e-
 licitus a virtute aliqua, quinam vero sit imperatus, facile expedias. Nos
 vero tenentes arce divisionem istam nonnullas cl. Joannis Vincentij pro-
 lapsiones in verbis ipsis latentes, unde manca evadit ratiocinatio, de-
 tegemus.

6. Extrema finis divisio est in *ultimum*, et non *ultimum*. *Ultimus*
 est, in quo tandem sistit operantis intentio. Finis *non ultimus* censen-
 dus est is, propter quem ponitur aliquod medium, sic tamen ut in eo
 non sistat agentis intentio, sed ad alium finem ulteriorem progredia-
 tur.

tur. Hic vero finis non dicitur simpliciter talis, sed tantum respecti-
ve, in ordine scilicet ad actionem, quæ ad illum terminatur, ut op-
time notavit S. Thomas verbis illis, quæ habentur 3. contr. Gent. cap.
2. *Omnia intermedia inter agens et ultimum finem sunt fines respectu prio-
rum*. Nam si consideremus causalitatem, seu finalizationem, ut dicunt,
causæ finalis, ea provenit, seu emanat a bonitate finis ultimo intenti.
Clarissimus Auctor in Append. n. 411. accusat obscuritatis, et nimix
subtilitatis Patrem de Rubeis Dominicanum, propterea quod cap. 21.
Dissert. suæ de Charitate tot nomina finium adhibeat, *cujus* scilicet,
qui, *in quo*, *quo*, *objectivus*, *formalis* &c. ut opus sit ingenti mentis
conatu ad intelligendam, quæ tradi perspicue deberet, de charitate
doctrinam. Fateor equidem Dissertationem illam longam, ac operosam
Dominicani et esse molestam aliquantulum, et subobscuram interdum,
cum ob frequentes earumdem rerum repetitiones non certe necessarias,
tum ob methodum, et rationem scribendi mihi saltem minus probandam.
Hac in re non ego Bolgenio contradicam, sed negabo constanter
reddi implexam, aut obscuram doctrinam ex præcisa usurpatione
vocularum, quas ille commemorat. Quis enim e puerulis, non dicam
ingeniosis, sed non tardis vocular illas brevissimas non penetrat, si se-
mel earum explicationem, propositis quidem exemplis clarissimis, au-
dierit?

7. Ad summam id ait Pater de Rubeis in illo loco, nimirum dum
quis amat Deum ex amore benevolentix ei volendo bonum, Deum esse fi-
nem *qui* amatur, finem, *cujus* gratia amatur, finem *cui* bonum amatur, nam-
que Deo ipsi bonum amatur; dum vero illum amat amore concupiscentix
ut habendum, possidendum, tenendum, Deum esse finem *objectivum*,
et *in quo* quiescit animus, possessionem, seu fruitionem esse finem *for-
malem*, seu *quo* possidetur, et hominem esse finem *cui* procuratur.
Quid his notionibus clarius quidquam, aut brevius efferri potest? Con-
tendit Rubeis, et quidem recte contendit, in amore benevolentix
Deum esse finem *cui*, et in amore concupiscentix esse finem *cui* ho-
minem ipsum concupiscentem. Cujus rei rationem illam reddit nun-
quam a Bolgenio expugnandam, quod scilicet amor benevolentix vult
bonum amico, amor vero concupiscentix vult bonum concupiscenti?
Ex hoc igitur præciso capite non est quidquam, de quo jure possit
Rubeis condemnari.

De diversis amicitiarum generibus .

Amicitiæ nomen commune est , et patens longe , lateque . Solet sa tis frequenter extendi ad conjunctionem quamque inter homines ex quavis causa , sive ea sit utilitas , sive delectatio , sive sanguinis conjunctio , sive similitudo , sive virtus , seu probitas . Nomen amicitiae in tanta sumptum amplitudine in tres nimirum classes distribuitur . Namque alia est amicitia , quam vocant *utilis* , alia quam dicunt *delectabilis* , et alia tandem , quam *honestam* appellamus . Amicitia *utilis* est ea , in qua amatur amicus propter utilitatem amantis , altera , in qua idem amatur propter voluptatem , tertia denique in qua per se amatur propter honestatem . De hac amicitiae partitione mentionem facit S. Thomas 2. 2. q. 23. qui accurate notat , charitatem Theologicam *esse maxime amicitiam honesti* . Sed duo illa priora amicitiarum genera non esse computanda inter amicitias veras , docet multis in locis hac in re Philosophis omnino consentiens ; quia scilicet non important conjunctionem animorum per veram benevolentiam . Rursus amicitia honesta in duplici specie ponitur ; namque alia est æqualitatis simpliciter , quod est inter omnino æquales , altera est excellentiæ , quod est inter personas habentes quidem communicationem , et convenientiam ad unum finem honestum , sed tamen constitutas in dignitate diversa , quas inter non servatur æqualitas simpliciter talis , sed æqualitas unice proportionalis , quia unaquæquæ id amoris , officii , et honoris alteri tribuit , quod ei pro sua congruit dignitate , vel conditione . Tandem ad genus tertium amicitiae honestæ maxime pertinet amicitia politica , quam habet civis , seu politicus erga Communitatem , seu Rempublicam , de qua S. Thomas tum alias , tum q. 5. de Charitate .

2. Ex discrimine valde notando inter amicitiam *utilis* , seu *delectabilis* , et amicitiam *honesti* , quod verba ipsa præferunt , jam satis apparet diversitas amorum magna , in quibus illæ fundantur . Nam amor , quo quis amat amicum , quia sibi utilem , seu delectabilem , est amor sui ipsius , nec sic ad amicum terminatur , ut in eo sistat , seu amet illum propter honestatem , seu probitatem , quæ in eo resideat , sed potius quantum amat , tantum ad se trahit , unde dicitur a Theologis , et Philosophis amor concupiscentiæ ad veram honesti amicitiam omnino insufficientis . Non quod hujusmodi generis amor non possit esse rectus , et honestus , sed quod benevolus non est adversus amicum , quocum amans conjungi debet per affectum benevolentiae ad honesti amicitiam prorsus necessarium . Contra vero amor , in quo fundatur amicitia honesti , sic ad amicum terminatur , ut in eo sistat , nihil ad se trahens , et nullam ex eo quærens utilitatem , aut delectationem , sed unice intendens conjunctionem affectivam amantis cum amato per af-

fectum benevolum, aspirans tamen ad unionem maximam, quæ sine corruptione personarum intercedere potest inter amantem et amatum, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 28. a. 1. Hac igitur de causa amor hic dicitur aptissime amor *benevolentiae*, seu *amicitiæ*, et primus ille trahens ad se quidquid amat, dicitur *concupiscentiæ*.

3. Atque hæc quidem est doctrina Philosophorum omnium antiquorum, qui de amicitiâ scripserunt; ut mihi sane videatur ex communi naturæ sensu descendere tanta inter Sapientes ætatis omnis consensus. Hos Theologi in sentiendo, et loquendo sequuntur, et Sancti Patres, ut videbimus, non in re tantum, sed etiam in ratione exponendi verum amorem eosdem imitati sunt. Longum esset catalogum texere Philosophorum ex omni Schola, vel secta, nec è Christianis modo, sed è Paganis, quibus res ista comprobatur; sed tamen aliqui producendi sunt, atque illi maxime, quibus Augustinus, et Thomas multum deferunt. Credit Augustinus nullum esse Philosophorum omnium Christianæ disciplinæ magis concordem, quam Platonem. Judicavit S. Thomas, Aristotelis placita, pauca si excipias, opportuniora esse pro Philosophia christiana et proponenda, et explicanda. Unde suo quisque delectatus Philosopho eum quasi Ducem sequitur, non in re solum philosophica, sed in explicandis etiam, et sæpe quidem, rebus altissimis, et divinis, ut in Proemio tetigimus. Hos itaque Philosophos, qui cæteros inter eminent, et longo intervallo omnes post se relinquunt, producemus, non quia cæteri antiqui Philosophi ab illis, ut aiebam, in argumento præsentis dissentiant, est enim una vox omnium; sed quia majoris sunt auctoritatis, et quia chari magis Augustino, et Thomæ, queis Bolgenius in materia de amore jure merito tantum defert.

4. Primum itaque Plato, qui Princeps inter Ethnicos habendus est, ubi de amore tractatur, ut qui affectionis hujus naturam optime perspexit, et intimas proprietates mirum in modum declaravit, tradit aperte in libris de Legibus et Amicitia discrimen nuper insinuatam duplicis amoris, veram describens amicitiâ honestam, eamque a fucata, et adulterina distinguens. Legantur, precor, ejus libri de Amicitia et legibus, in quibus lector inveniet illum in hac sententia firmum, sibi que semper consentientem. *Id solum amatur proprie, quod per se, ac gratia sui desideratur, queritur, et exoptatur; id autem quod alterius amatur gratia, non nisi improprio vocabulo amari dicitur.* Sed ne multus sim in congerendis eximii hujus Philosophi testimoniis, juvat audire egregium illius Commentatorem Marsilium Ficinum in *Lypsidem de Amicitia* sequentibus verbis doctrinæ Platonianæ summam proponentem. *Amicitiam esse vult (Plato) honestam perpetuæ voluntatis communionem. Hujus finem esse vitam unam: Principium ejus cognationem: Medium autem amorem.* Explicat deinde singula ita pergens: *Ut honestam dicit, excludit improborum hominum contubernia, lascivorumque congressus. Ut*

per-

perpetuæ, *leves adolescentulorum benevolentias, etsi honestæ sint, nondum amicitias appellandas monet. Ut voluntatis, significat non similitudinem opinionis cujusdam, vel artis ad amicitiam perficiendam sufficere. Ut communionem, benevolentiae vicissitudinem indicat. Hujus finis est, ut è duobus animis unus voluntate fiat, ex una voluntate vita una, ac demum ex una vita numinis, ejusdemque ideæ fruitio.*

5. Paucis interjectis proponit idem Ficius breviorē ad sensum Platonis definitionem amicitiae veræ ex animi pulchritudine, et sapientia profectæ verbis hisce: *reciproca benevolentia*. Ex hac doctrina Platonis quatuor sunt arte tenenda, quæ nobis usui futura sunt. Primum: inter amantem, et amatam debere esse aliquam convenientiam, cognationem, similitudinem, aut consentaneitatem: alterum, *leves benevolentias non esse satis ad amicitiam veram, sed ad summum esse posse amicitiae principium: tertium, amicitiam eo tendere, ut è duobus animis fiat unus, unde passiones, dolores, et gaudia debeant esse communi: Quartum denique, amicitiam esse communionem benevolentiae, vicissitudinem benevolentiae, benevolentiam reciprocam*. Hæc ex Platone, quem in Philosophicis Augustinus præfert. Veniamus ad illum, quem in iisdem præponit S. Thomas.

6. In eadem Platonis sententia extitit Aristoteles circa amicitiam honestam, et discrimen duplicis amoris benevolentiae, et concupiscentiae. Namque in lib. 8. Ethic. cap. 3. clarissime distinguit amorem perfectum amicitiae ab amore imperfecto concupiscentiae, qui est in amicitiiis per accidens (sic appellat amicitias non veras ad voluptatem, seu utilitatem amantis terminatas) et aperte significat, amorem amicitiae veræ esse, et vocari debere amorem benevolentiae. Sic itaque scribit loco citato: *Qui igitur ob utilitatem amant, ob suum diligunt bonum. Et qui ob voluptatem, ob id quod est ipsis jucundum, et non quo talis est is, qui amatur, sed quo est utilis, et jucundus. Bonorum autem, similiumque virtute perfecta est amicitia. Hi namque sibi mutuo bona similiter volunt, quo boni sunt. Quia tamen virtus, animus, et voluntas amici non statim innotescit amicitiam imire volenti, monet prudenter non esse temere, et derepente ineundas amicitias. Tempore, inquit, et consuetudine opus est. Secundum enim Proverbium non fit, ut mutuo se agnoscant, priusquam simul consumant dictam salis mensuram. Quæ quidem eo tendunt, ut ostendat benevolentiam levem, non firmam, nec radicatam ad amicitiam non sufficere. Quæ de re fusius oportuiori loco.*

7. Nunc vero unice observo, idem omnino scribere, et forsitan clarius pro amore benevolentiae lib. 9. Ethic. cap. 5. ubi cum advertisset, non intervenire benevolentiam in amicitiiis, quæ sunt ex utilitate, seu voluptate; *impossibile est, inquit, amicos esse, nisi benevoli fuerint. Qui vult aliquam prosperitatem habere spe commodi alicujus consequendi per illum, non illi, sed sibi potius benevolus est, quemad-*

modum nec amicus, si illi propter aliquam utilitatem præstat. Omnino autem benevolentia ob virtutem, ac bonitatem aliquam fit. Sed de Aristotele quid plura? Nota est enim omnibus amoris definitio, quam tradit 2. Reth. cap. 4. dicens: *amare est velle alicui bonum*: ex quibus verbis desumptum, seu confirmatum est nomen *benevolentia* competens amori ad alterum propter suam bonitatem. Definitionem illam ætatis omnis Sapientes amplexi sunt, utpote quæ clarior, et expeditior est cæteris aliis, quæ excogitari possunt. Sentit igitur Aristoteles idem prorsus, quod senserat Plato circa naturam et divisionem amoris, neque ullum quemquam probati coloris Philosophum adducet facile Dissertationis Auctor, qui non assentiatur omnino hisce placitis, ne dicam, principiis Platonis, et Aristotelis.

8. Profecto Tullius non ferme major Orator, quam Philosophus, ut qui Philosophorum omnium alicujus nominis doctrinam expressit cum in aliis, tum potissimum in iis, quæ ad veram, et honestam pertinent amicitiam, adeo est Platoni, et Aristoteli consentiens, ut uterque ore Tulliano loqui videatur. Infinitus essem, si vellem proferre in medium loca omnia, in quibus duos illos amores tanquam summe distantes inter se, summeque diversos designat, id semper intendens, nec, ut in dubium revocetur, permittens, sine vera benevolentia, ex qua duo amentur propter se, veram, sinceram, et honestam amicitiam esse non posse. Aliqua tamen ex libris ejus philosophicis seligam, ut appareat, rem adeo claram nemini, qui vel obiter illum legerit, occultari potuisse. *Non est sancta*, inquit lib. 1. de leg. *amicitia, nisi ipse amicus per se ametur toto pectore, ut dicitur, qui quidem amandus est, desperatis emolumentis, et fructibus.* De Natur. Deor. I. *Charum ipsum verbum amoris, ex quo amicitia nomen est dictum, quam si ad fructum nostrum referamus, non ad illius commodum, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. Prata, et arva, et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur: hominum charitas, et amicitia gratuita est.* Lib. 1. de Fin. *Etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur.* Ibid. *Me ipsum ames oportet, non mea, si vere amici futuri sumus.* Lib. 2. de Fin. *Nihil est aliud amare, a quo amicitia nomen dictum est, nisi velle bonis aliquem affici quam plurimis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat.*

9. Quid dicam de Lælio, seu de Amicitia? Vix in eo libro sententiam leges, quæ ad rem nostram non faciat. Definit amicitiam his verbis: *Est autem amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum, humanarum que rerum cum benevolentia et charitate summa consensio.* Quam definitionem a Pagano fuisse traditam demiratur S. Augustinus lib. de amicitia. Addit ipse Tullius: *sublata enim benevolentia, amicitia nomen tollitur.* Laudat item Ennium scribentem, esse non posse vitalem vitam, quæ non in amici benevolentia conquiescat.

10. Eruditissimus Auctor non separans accurate illa, quæ ex amicitia consequuntur, ab objecto motivo amoris, excludit ab ea delectationes illas, et voluptates, quæ ex rebus extrinsecis amici, puta, pecuniis, et id generis aliis, ab amico intenduntur; sed negat omnî animi contentione excludendas esse a ratione objecti motivi voluptates illas delicatas et suavissimas delectationes, quæ habentur ex præsentia, colloquiis, et conjunctione intima amicorum. Hæ quippe intenduntur, inquit, ab amicitia vera, honesta, atque sincera. Verum qui sic sentit de amicitia, nec ejus ortum, et naturam alte penetrat, nec objectum motivum bene considerat, nec utilitatem, seu fructum, et officia, quæ illam consequuntur, a cæteris, quæ in amicitia concurrunt, apte secernit. Audiat, quem laudamus Philosophum, solida subtilitate discernentem omnia, quæ ibi concurrunt, et singulis aptissime distribuentem, quæ cujusque sunt propria. Pergit igitur Tullius in Lælio scribens: *Quid si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod majus est, in hoste etiam diligamus; quid mirum si animi hominum moveantur, cum eorum, quibus conjuncti esse possunt, virtutem, et bonitatem (en objectum motivum) perspicere videntur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta (en causas ex S. Thoma ad amicitiam animum disponentes) quibus rebus ad illum primum motum animi, et amoris adhibitis, admirabilis quædam exardescit benevolentia magnitudo (en amicitia actualis).* Ex quibus illa colligit sub finem libri: *Amare nihil est aliud nisi eum diligere quem amas, nulla utilitate quaesita, quæ tamen ipsa efflorescet ex amicitia (en fructus), etiam si tu eam minus secutus sis.* Item: *Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.* Ex quibus efficitur, ut delectatio, quæcumque sit tandem, sive crassior, et pinguior, sive argutior, et delicatior, non sit objectum motivum amoris amicitia, sed quid eam consequens, aut comitans, ut fuse demonstrandum est nobis S. Thomæ sententiam cap. 3. declaraturis.

11. Cum in omnibus aliis conformis sit Tullius Platoni, et Aristoteli, notat etiam rem illam ab iisdem stabilitam, ad amicitiam non sufficere benevolentiam quamcumque levem, aut imperfectam, sed esse necessariam benevolentiam stabilem, et constantem: *Benevolentiam*, inquit lib. I. offic. *non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicemus.* Atque hæc est causa, cur Exim. Doctor prævidens fore, ut quisquam in errorem posset induci legens in aliquo Philosopho, seu Theologo benevolentiam non esse amicitiam, accurate notavit Disp. 2. de Charit. sect. I. *Interdum a Philosophis distingui benevolentiam ab amore, ita ut amor significet stabilem amicitiam, et firmam; benevolentia vero sit repentinus quidam affectus, qui interdum oritur, quam primum res placet.* Hunc Philosophorum, seu potius naturæ sensum exprimunt SS. Patres, quorum ca-

talogum , longum illum quidem , excribemus cap. 3. , cum ad eorum mentem declarandam veniamus . Nec enim ea , quæ a nobis dicta sunt è Philosophis , intelligunt solum de amicitia honesta naturali , sed illa potissimum applicant amicitiaè supernaturali hominis erga Deum . Gratia quippe naturam non destruit , sed eam potius perficit , ut sæpe S. Thomas et cum eo cæteri Theologi . Unde quidquid perfectionis , nobilitatis , et excellentiaè invenitur in amicitia honesta , et naturali unius ad alterum , reperitur , et perfectiori quodam , ac excellentiori modo , in amicitia supernaturali erga Deum , quæ et maxime honesta est , et omnium amicitiarum longe perfectissima .

PROLOGOMENON VI.

De intentione , et electione : de actu imperante ; et imperato

I. **C**um actus virtutum supernaturalium sint interdum inter se ita connexi , ut unus alterum moveat , aut determinet tum intensive , tum imperative , dicenda sunt aliqua de intentione finis , et electione mediorum , atque de actibus imperantibus , et imperatis . Hoc genus intentionis , et electionis , et hæc imperij notio invenitur sæpe inter virtutes Theologicas mutuo comparatas , et videre etiam licet inter cæteras virtutes infusas supernaturales , tum inter se , tum in ordine ad Theologicas . Porro hic ordo virtutum sese invicem foventium reddit interdum difficilem naturam earum , etiam homini ingenioso , qui ordinem intentionis finis , et electionis mediorum , ac naturam imperij , et actus imperati non bene tenet . Contra vero qui doctrinam istam probe callet , haud difficulter investigabit principia , naturam , proprietates , et objecta motiva cujusque virtutis , omni sublata confusione , nec Spem Theologicam cum Charitate miscebit , nec hanc esse virtutem Religionis existimabit . Primo itaque de intentione dicemus , et de electione , dicturi deinceps de imperio , et de actibus imperatis .

2. Cum voluntas intendit assequi finem aliquem , tres ejus potentiaè actus intervenire solent , qui hoc ordine designantur a Theologis : *Voluntas , intentio , et electio* ; qui quidem actus eandem respiciunt bonitatem finis , ut objectum motivum , a quo speciem eandem virtutis desumunt . *Voluntas* est primus actus voluntatis , quæ est quasi prima ejusdem inclinatio in objectum sibi propositum ut amabile , unde est , et dicitur amor , ex quo cæteri actus consequuntur . *Intentio* est absolutum , et efficax desiderium obtinendi finem amatum per media fini obtinendo consentanea . *Electio* est volitio efficax alicujus rei particularis , quæ non propter se , sed propter finem intentum amatur . Uti dari potest intentio ab electione minime distincta , cum nempe voluntati simul proponitur et finis , et medium determinatum omnino sufficiens ad obtinendum finem ; ita omnis electio formalis debet esse semper

per intentio, ut tradit S. Thomas 1. 2. q. 8. a 3. et q. 12. art. 4. Nam electio vult formaliter medium ut utile, et quia utile ad finem: attingit ergo bonitatem finis, ab ipsoque movetur. Unde et medij bonitas, si qua in eo sit, unice attingitur materialiter, vel per modum objecti materialis ab electione, quæ omnia refert in bonitatem finis. Fac enim Medicum ægro præscribere potionem dulcem, sed utilem ad sanitatem obtinendam; si æger potionem eligit ut utilem ad sanitatis recuperationem, electio illa est intentio sanitatis, et hujus bonitas erit objectum motivum electionis, dulcedo autem unice attingitur materialiter, alioquin potio non assumeretur ut medium. Simili modo si quis eligit elicere actum misericordiæ, ut Deo pro peccato satisfiat, electio illa pertinebit ad virtutem pænitiæ, cujus est intendere satisfactionem illam.

3. Verum hac in re id accurate observandum, utrum nimirum *executio* medij electi sit actio interna voluntatis, an actio externa ab altera proveniens potentia? In primo casu executio medij suum finem intrinsece respiciens ab eo sumit speciem, sicut in actu interno misericordiæ nuper memorato, qui cum intrinsece respiciat sublevationem alienæ miseriæ, et tantum extrinsece satisfactionem pro peccato, pertinet elicitive ad virtutem misericordiæ, non autem ad pænitiæ. Non est igitur confundenda *electio* præcedens cum medij *executione*. Contra vero si *executio* medij sit actio externa nullum respiciens intrinsecum finem, sed indifferens, ut ex hoc, aliove fine ponatur, ad diversas virtutes revocari potest pro diversitate finium, quos sibi voluntas in electione præfigat. Exempli gratia: præscribit Medicus ægro potionem non jam dulcem, sed amaram. Sumptio externæ potionis, quæ est *executio* medij, pertinere potest vel ad obedientiam, vel ad mortificationem, seu pænitiæ, vel ad amorem rectum, et honestum sui. Si enim æger potionem sumat, quia præscriptam a Medico, elicit actum obedientiæ; si eam sumat, quia sensui incommodam, actum mortificationis; si ut sanitatem recuperet, actum amoris sui. Hæc vellem a quibusdam proposita clare, et distincta subtiliter, qui *electionem* medij confundentes cum ejusdem *executione* doctrinam tradunt minime probandam.

4. Et hæc quidem satis sint in præsentī de intentione, et electione; jam vero ad divisionem aliam satis affinem actuum in imperantes, et imperatos veniamus. Est enim utilis valde illorum consideratio pro argumento, de quo agimus, penitus discutiendo. Actus imperans dicitur imperium voluntatis determinans actus ejusdem, aut etiam alterius potentiæ, et actus ipse determinatus ab imperio vocatur actus imperatus. Porro hoc imperium potest esse efficax, vel inefficax, de actu eliciendo de præsentī, vel de futuro, potest item esse indeterminatum, aut confusum, ut si quis nunc efficaciter proponat cras elicere contritionem perfectam, aut saltem attritionem, vel actum virtutis exer-

cere, quoties se occasio dederit. Imperium hoc maxime convenit charitati respectu aliarum virtutum; tum quia earum est forma, tum quia est finis omnium. Unde charitas est *plenitudo legis*, non quia per se se immediate eliciat actus virtutum omnium, qui a lege præscribuntur, nec enim facit ipsa actus Spei, aut Fidei, qui sub præcepto sunt, sed quia ut finis omnium habet ex se se, et natura sua, atque inclinatione eas movere, et imperare. Imo ex hoc eodem principio, quod charitas est *plenitudo legis* probat optime S. Thomas, et cum eo cæteri Theologi necessitatem aliarum virtutum, propterea quod charitas ex se se non elicit immediate actus omnes præceptos; eos ergo elicit per alias virtutes, quæ ipsi debentur, et simul cum ea infunduntur in anima. Proprium itaque charitatis est imperium suum exercere circa virtutes reliquas, idque per se se primario, et frequentissime, quanquam et virtutes cæteræ quasi per accidens, nec tamen omnino raro, imperare possunt actus virtutum distinctarum, ut constabit ex ijs, quæ in sequentibus propono.

5. Primum itaque charitas non modo cæterarum virtutum actus frequentissime imperat, sed potest unus charitatis actus alium actum ejusdem virtutis imperare. In promptu est exemplum; quia charitas intendens vel augere, vel firmare magis divinam amicitiam imperare potest, et eligere ut medium ad præintantum finem, iteratum odium peccatorum, quatenus sunt Dei malum, vel quod eodem redit, propter Deum summe dilectum: ubi vides, intra eandem omnino virtutem exerceri imperium, et actum imperatum, quorum idem est objectum formale. Deinde potest virtus perfectior imperare actus virtutis imperfectioris, ut omissa charitate, clarum est in virtute pænitentiae verbi gratia respectu temperantiae, aut justitiae, quæ sunt virtutes illa inferiores. Cur enim pænitentia non poterit ex suo proprio motivo satisfactionis peccatorum imperare actus temperantiae, et justitiae? Tandem potest actus virtutis inferioris imperare actus virtutis superioris. Patet in virtute Religionis, quæ imperare potest Fidem, Spem, et Charitatem ad Deum colendum, de quo late dicemus sequenti prologomeneo. Nunc vero exemplum propono ejus, qui voveret actum internum amoris Dei, et postea ex intentione illud suum implendi votum actum amoris Dei eligeret, aut imperaret. Ratio omnium eorum, quæ in hoc numero sunt proposita, et quidem *a priori*, ut dicitur, illa est, quia et in Philosophia, et in Theologia id habetur tanquam principium a nemine non admissum, quod potest idem *actus internus esse bonus essentialiter ex objecto, et accidentaliter ex fine extrinseco*: ergo potest idem actus assumi, vel eligi tanquam medium ad finem illum extrinsecum.

6. Scio fuisse inter Scholasticos, qui docuerint, excipiendum esse a ratione actus imperati, vel electi ad finem extrinsecum actum charitatis Theologicæ, quia nimirum per actum charitatis imperatum non
ama-

amaretur Deus propter se, quin potius ad alium finem inferiorem referretur, quod nefas est. Sed hæc ratio adeo est omni pondere destituta, ut unice fundetur in ignorantia doctrinæ, quæ ab omnibus traditur, circa finem intrinsecum, et extrinsecum. Namque amor Dei etiam imperatus suum semper habet finem intrinsecum, seu objectum formale, nempe Divinam Bonitatem, et ex hoc unico motivo conciperetur, et solum respiceret extrinsece finem actus imperantis, qui esset amoris electio ut medij ad suum finem conducentis. Unde non Deus, qui est objectum amoris, sed amor ipse referretur ad finem inferiorem sine intrinsece intento per amorem, sic tamen ut finis inferior actus imperantis sit semper ad Deum referibilis. Qua quidem ab re procul abest inordinatio prætensa.

7. Ex hoc ordine, atque connexionione inter actum imperantem, et imperatum non raro evenire solet, ut actus unius virtutis alteri reipsa distinctæ tribuatur, quem modum loquendi secuti sunt non semel Sancti Patres. Itaque S. Augustinus docet, Deum perfectissime coli Fide, Spe, et charitate, non quia charitas, fides, et Spes virtutes non sint a Religione distinctæ, vel quia Religio eliciat immediate actus illos, sed quod eos imperat, ut pote conducentes ad finem intrinsecum actus elicitum a Religione, unde actus elicitus a Religione non explicatur per illa verba, *credo, spero, amo*, sed per illa *volo ex honestate supernaturali divini cultus amare, credere, sperare*. Ex quo fit ut volitio illa præcedens suum illum intrinsecum finem habeat distinctum ab objectis virtutum Theologicarum, id quod explicabitur fusius sequenti Prologomeno. Similiter S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 1. docet, actum Martyrij, seu fortitudinis ex amore Dei, esse amorem Dei, et materialiter tantum actum fortitudinis, quia nimirum suscipit denominationem ab actu imperante, qui hic saltem, cum nobilior sit, prævalere debet. Quod ego ipsum intelligo de Spe viva per charitatem imperata: unde et via regia indicatur ad varias Sanctorum Patrum lucutiones in vero, et germano sensu, quem ipsi intendunt, explicandas.

PROLOGOMENON VII.

An et quo sensu actus benevolentia erga Deum ad virtutem Religionis pertinere possit?

1. **Q**uamquam cl. Auctor declamare non cessat in Dissertatione sua contra amorem benevolentia ut chimæricum, et fictitium, id que ipsum et ratum habet, et firmum in suis illis, quas deinceps addidit, Declarationibus, actus tamen benevolentia non est ausus ulla ratione impugnare. Quis enim usque adeo desipere potest, ut affectum benevolum unius ad alterum experimento ipso non plane cognoscat? Agnovit illum omnino Bolgenius, sed ejus generis affectum

erga Deum ad virtutem revocat Religionis, et eum excludit a charitate, *cujus est, inquit, velle bonum sibi, non alteri*. Hoc effugium habet ille paratum ad eventus varios, et ex eo conatur explicare, quo sensu actus concupiscentiæ vera sit ad Deum amicitia, et quo pacto per amorem concupiscentiæ magis Deum amemus, quam nos ipsos, scilicet si addatur amori concupiscentiæ actus benevolentiam ad Religionem pertinentis. Quam sit inutile effugium hocce, vel ex terminis ipsis cum veritate pugnans, palam ostendam opportuno loco. Nunc vero in id unice negotij incumbendum est in præsentî Prolegomeno, ut discutiat attentè, an verum esse ulla ratione possit, ad virtutem Religionis pertinere benevolentiam erga Deum? Quod cum fieri nequeat exacte prorsus, nisi natura Religionis consideretur, et ejus actus elicitî, et imperati, materia et objectum, tum directum, tum indirectum ad regulam Theologicam exigantur, percurrenda sunt singula. Nec enim labori, quem omisit cl. Auctor, cujus tamen intererat maxime, si rem per se incredibilem persuadere lectori conabatur, parcendum existimo. Video rem senticosam esse, difficilem, et obscuram nimis. Non tamen refert; certum est mihi, latebras observare omnes, ne in eis delitescat error, et detrimenti quidquam veritas patiatur. Quinimo et hæc ipsa, ut spero, clariori in lumine collocabitur, si declaratur semel, quoad ejus fieri possit aperte, quam habeat Religio propinquitatem cum virtutibus Theologicis, et quid intersit discriminis inter Religionem, cæteras que virtutes infusas, quæ versantur erga personam alteram.

2. Principio igitur Virtus Religionis est habitus supernaturalis infusus inclinans ad reddendum cultum Deo debitum ratione suæ supremæ Excellentiæ, vel ut ait S. Thomas ratione Principij universalis rerum omnium. Porro cultus non ideo dicitur Deo debitus, quod fieri non possit nisi per actus hic, et nunc in particulari præceptos, cum certum sit, illum peragi frequentissime per actus spontaneos, et supererogatorios; sed quod per singulos Religionis actus solvitur, et expletur aliqua ex parte debitum Religionis, eo scilicet sensu, quo is, qui ex justitia aliquid debet, etsi ante tempus, in quo tenetur, solvat, vere debitum solvit. Præterea Excellentia Divina jure suo postulat talem actum cultus, qui licet non semper necessarius sit, tamen aliquando esse potest, et saltem semper est necessarium non operari contra illum.

3. Ex data descriptione constat, habitum Religionis cum charitate infundi, et illum amitti amissa charitate, non aliter atque discurrunt Theologi de cæteris virtutibus infusis præter Fidem, et Spem, quæ ex peculiari Dei miserentis benignitate peccatori relinquuntur, ut respiscere possit minus difficulter. Sed licet virtus Religionis non sit in peccatore quoad habitum, est tamen in illo quoad actus. Id quod mihi saltem certum esse videtur. Quia potest peccator, cum auxilio ta-

men Dei, elicere actus proprios illius virtutis. Potest enim orare Deum ut Authorem supernaturalem, et quidem cum debita fiducia, cæteris que requisitis ad impetrandum. Oratio autem supernaturalis ab actu provenit Religionis. Idem intelligo de Sacrificio, nec solum ut fit exterius, sed ut procedit ex vera existimatione, et interiori affectu colendi Deum, ut fide propositum. Hanc enim existimationem de Deo, deque cultu ipsi debito sufficienter præbet, quæ inest peccatori, fides supernaturalis, qua supposita, voluntas cum Dei auxilio, quod paratum est omnibus, potest pro sua libertate velle Deo cultum exhibere. Fatendum est tamen, eos Religionis actus non fieri modo quasi conaturali ex defectu habitus supernaturalis, sed tamen negari non potest, quin fiant et quidem satis frequenter. Id quod mihi satis est, ut ego te, cl. Domine, hac ratione conveniam. Actus benevolentiae est per te actus Religionis; fieri ergo potest a peccatore, cui fides sufficienter præbet existimationem de Deo, et de cultu ipsi debito. Rursus amor concupiscentiae erga Deum elici potest a peccatore: potest enim iste sine dubio sperare, spes autem sine amore concupiscentiae esse non potest, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 6. verbis hisce clarissimis: *Spes præsupponit amorem ejus, quod quis adipisci se sperat, qui est amor concupiscentiae*. Ergo potest peccator amori concupiscentiae supernaturali erga Deum addere actum benevolentiae adversus eundem. Erit igitur peccator sperans, et colens Deum verus Dei amicus. In his quippe duobus actibus consistere, ais, amicitiam erga Deum. Si neges hanc consecutionem extremam, et tuum item principium, ex quo descendit legitime, negandum est. Id quod alio etiam ex capite urgeri potest. Quis enim mente concipiat, posse Deum odio eum prosequi, qui erga Deum ex corde benevolus sit, aut Deum non esse benevolum erga illum, qui veram habet in Deum benevolentiam? Hæc qui deglutiat, non ille Deum misericordem, benevolum, milleque nominibus prævenientem nos considerare videtur, et multo minus informat animo *Virtutem illam benevolentissimam* (sic Deum vocat Bernardus lib. 5. de Consid. ad Eug.) *formantem nos ad benevolentiam*.

4. Ex ijs facile quisque colliget, quam apte parum scripserit Auctor in Declarationibus, non videri sibi æquum, ut contra se tantopere declametur. *Admittunt*, inquit Scholastici *benevolentiam, ego quoque illam admitto. Contendunt illi, amorem esse; ego vero actum Religionis esse contendo. Pares igitur in causa sumus, nisi quod illi vocant amorem actum illum, quem ego non amorem, sed actum Religionis appellandum iudicio. Pares sumus, o Bolgeni, in nomine benevolentiae, sed nimium quantum sumus impares in re ipsa. Tuus ille benevolentiae actus non est conjunctus cum gratia sanctificante, ut modo probavi, et est necessario conjunctus, ut ipse supponis. Tua illa benevolentia non est actualis charitas, quam esse talem Scholastici probant, firmant,*

at.

atque demonstrant. Discedis igitur in re ipsa a Theologis omnibus, quos in re ipsa tecum convenire contendis.

5. Exposita natura habitus Religionis, ad ejus actus elicitos, et imperatos veniamus, ubi et Auctoris æquivocationes observabimus, et quantum valeat opinio ante concepta in ingenio nedum bono, sed etiam terso, polito, atque subacto, demonstrabimus. Actus internus elicitus a Religione non est Dei cultus internus, aut externus, sed est affectus internus erga Dei cultum, quem respicit ut materiam suam, vel ut objectum materiale. Hinc *petitio*, *honoratio*, *susceptio* Sacramentorum, *exolutio* voti, in quibus residet verus Dei cultus, non sunt actus immediate elicti a virtute Religionis, sed sunt materia virtutis, et actus ab illa imperati. Actus igitur immediate elicti a Religione sunt affectus intimi erga illum cultum, nimirum *velle* petere, *velle* honorare Deum propter ejus Excellentiam, *velle* suscipere Sacramentum, *velle* votum exolvere. Porro ratio cultus inveniri potest tum in actione interna, tum in externa, tum in actu ex duabus mixto. Nam Dei cultus est oratio pure interna, genuflexio externa, et officij divini persolutio, quæ sine actu interno, et externo consistere non potest. Imo. ut bene probat Suarius multis in locis, nullus est actus honestus intellectus, aut voluntatis, qui ab homine non possit assumi ut signum servitutis suæ, et honoris erga Deum. Unde scripsit Augustinus in Enchir. cap. 2. et 3. *Deum coli a nobis Fide, Spe, & charitate*, ut supra insinuavi, et lib. 10. de Civit. cap. 9. de Amore Dei dixit: *hic est Dei cultus, hæc vera Religio*. Nec dubitandum est, quin Religio imperare possit actus virtutum Theologicarum, ut satis significat S. Thomas hic q. 81. art. 8. adscribens Sanctitati, quam Religionem vocat, extensionem imperij ad omnes omnino virtutes. Hæc cum vera sint, et a nemine in dubium revocanda, negari non debet, benevolentiam hominis erga Deum pertinere ad Religionem posse, non per modum actus a Religione immediate elicti, sed per modum materiæ, vel actus imperati, haud aliter atque actus fidei, spei, et charitatis, in quibus veri cultus ratio invenitur. At semper actus benevolentia pertinetur immediate, et elicitive ad illam unam virtutem, ex cujus objecto formali, seu motivo efficitur. Id quod commune est actibus internis a Religione imperatis. Hac igitur ex doctrina nihil quidquam proficere potest Bolgenius pro suo stabiliendo Systemate; sed potius ipsa detegit, non recte illum de Religione sentire, cum tradit, actum benevolentia immediate fieri ab illa virtute. Quod cum clarum esse videatur ex dictis, fiet, ut credo, magis manifestum ex inspectione objecti formalis, quod sic explico.

6. Cum eo tendat Religio, ut debitum Deo cultum exhibeat per actus seu internos, seu externos, non attingit Deum immediate, vel ut objectum *quod*, ut utar verbo Theologorum, eo nimirum sensu, quo fides, Spes, et charitas, quia Theologica virtutes, Deum im-

mediate respiciunt. Nam actus elicti a virtutibus Theologicis feruntur in Deum omnino immediate, et nullo interveniente medio; sed actus a Religione facti immediate feruntur in cultum, et medio cultu exhibentur Deo tanquam objecto *cui*, ut sermo habet vigens in Scholis. Opus est igitur, ut aliud assignemus virtuti Religionis objectum motivum, seu formale. Quodnam illud? Honestas illa supernaturalis resplendens in redditione cultus Deo debiti ratione suæ Excellentiaæ supremæ. Id est enim proprium cujusvis virtutis moralis, ut propriam, et peculiarem honestatem respiciat, ex qua suam trahat diversitatem specificam. Si sit pure naturalis, seu acquisita, honestatem respicit pure naturalem, quæque a Theologis explicatur per conformitatem ad naturam rationalem qua talem, seu per rectam rationem dirigibilem; si vero supernaturalis sit, et infusa, honestatem intuetur supernaturalem, quæ alia esse non potest, quam conformitas ad naturam hominis supernaturalem, quam habet ex elevatione ad gratiam, vel si placeat, ad hominem per fidem directum, et illustratum. Atqui benevolentia hominis erga Deum ejus generis honestatem supernaturalem non respicit ut objectum formale, seu motivum, sed aliud respicit motivum altius, divinum, et increatum, Bonitatem scilicet infinitam, ex qua immediate movetur creatura ad Deo bene volendum tum bona ejus intrinseca de illis gaudendo, et complacendo, tum bona extrinseca, ea Deo tanquam amico procurando. Actus igitur benevolentiaæ non pertinet ad Religionem, cujus motivum prætergreditur, sed ad habitum charitatis, ex cujus motivo formali concipitur, atque perficitur.

7. Nec tamen negandum est, virtutem Religionis magnam habere propinquitatem cum charitate Theologica. Ut enim hæc virtus bonum Dei curat, extendit, atque dilatat, ita virtus Religionis eo tendit, ut cultum Deo tribuat in ejus quasi commodum (modo scilicet nostro concipiendi), obsequium, et honorem. Sed vero illud est discrimen apertum, quod charitas immediate movetur ex divina Bonitate, ut hanc Deo velit, et ut cætera bona extrinseca Deo tanquam amico procuret; virtus vero Religionis immediate movetur ab honestate supernaturali cultus, ut eum Deo tribuat tanquam Superiori, ex cujus Excellentia debetur. Exemplo claro illustranda res est. Persona inferior colens ex actu virtutis observantiæ alteram Personam conspicuam, seu excedentem in dignitate, curat quodammodo bonum ejus, et exhibet honorem debitum, qui in ejus gratiam, et commodum resultat. Vult item amicus bonum amico ex vera in illum benevolentia, non solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum ex motivo intimo veræ amicitiaæ. Primus ille actus honestatem observantiæ immediate respicit, et ex hoc motivo concipitur, atque unice respicit personam ut objectum *cui* honor debitus exhibetur, unde non est vera erga illam benevolentia. Contra vero secundus actus immediate respicit amicum, cum ex ejus bonitate moveatur ad bonum amico ut pote tali volendum,

dum, et procurandum, atque adeo verissima est erga illum benevolentia. Sicut igitur actus *observantiæ* in humanis est omnino distinctus ab actu *amicitiæ*, et hic actus vera est benevolentia, secus illa, ita et actus Religionis distinguitur ab actu charitatis, neque huic competens benevolentia potest illi congruere.

8. Nec refert, quod actus Religionis Deum respiciat ut objectum *cui* exhibetur honor et cultus, ut idcirco dici possit benevolentia erga Deum; nam etiam Pœnitentia, Obedientia, et Pia affectio credendi Deum respiciunt ut objectum *cui* fit satisfactio debita, præstatur obedientia injuncta, et pia exhibetur affectio credendi, nec ideo tamen actus isti vera sunt erga Deum benevolentia, quia nimirum Pœnitentia immediate movetur ex honestate, quæ resplendet in jure divino servando, seu in recompensatione juris divini per peccatum violati, Obedientia ex honestate actus per præceptum inducta, et Pia credendi affectio ex honestate assensus Deo revelanti præstandi. Quod in Pœnitentia, Obedientia, et Pia affectione credendi non obscure dignoscitur, idem omnino reperitur in Virtute Religionis, cujus non est actum benevolentia erga Deum immediate elicere, sed solum imperare, vel eligere tanquam cultum Deo præstandum, sicut etiam Pœnitentia frequenter imperat odium peccati propter Deum summe dilectum; nec ideo simile odium elicitur immediate a virtute Pœnitentiæ, quæ solum respicit pro objecto motivo honestatem creatam.

9. Satis jam dicta credo de benevolentia hominis erga Deum; dicendum modo de benevolentia supernaturali unius hominis ad alterum. Hæc enim, ut negari non potest de facto dari, sic ad actum Religionis minime pertinet. Id ultimum extra controversiam pono. Quis enim ita rerum notiones evertat, ut credat, exercere me actum Religionis erga Proximum, dum ei volo supernaturalia bona, seu æternam Beatitudinem propter Deum? Id autem non tam esset judicare, quam mirum in modum desipere. At illud primum verissimum est, nec a Bolgenio ulla ratione negandum, cum veram ipse amicitiam non cognoscat sine actu benevolentia. Charitas autem erga Proximum vera est ejusdem amicitia, cum Proximus ex dilectione ut amicus diligatur. Id quod multis argumentis demonstratur. Primum enim quia proximus diligitur non ut res irrationalis, et amicitia incapax, sed ut rationalis, et ex *charitate*, quæ vox amicitiam significat. Deinde quia siquid obstaret huic amicitia supernaturali inter proximos, id esset maxime, quod Proximus amatur propter Deum; hoc autem impedimento non est amicitia veræ. Nam etiam Deus nos amans amore amicitia nos diligit potissimum propter suam Bonitatem. Imo et se ipsum magis amat, quam nos, quia ille respectus est intimus, nec excludi ullo modo potest ab amore Dei. Igitur si amor noster est propter Deum ad imitationem amoris Dei adversus nos, erit sine dubio amor amicitia ad proximum. Præterea id ipsum significat Christus Dominus illis

verbis : *Hoc est præceptum meum , ut diligatis invicem , sicut dilexi vos .* At Christus nos ut amicos dilexit , ut constat ex illo Joan. 15 *Vos amici mei estis &c.* Item : *sicut dilexit me Pater , et ego dilexi vos .* Postremo quis neget unitatem illam , et concordiam animorum , quæ Act. 4. proponitur : *Multitudinis credentium erat cor unum , et anima una :* fuisse veram , et supernaturalem amicitiam inter credentes . Res certe ita intelligitur a Patribus apud Lorinum . Firmum est igitur , nec ulla obscurandum cavillatione , charitatem fraternam veram esse amicitiam inter fratres ; ergo veram ad eosdem includit benevolentiam . Sed hæc nec est , nec esse potest Religionis actus . Quid erit igitur ? Verus amor , actus verissimus charitatis . Neque enim est ulla supernaturalis virtus , ad quam revocari possit vel sub minima probabilitatis specie .

10. Cum multa sint a nobis discussa de benevolentia supernaturali , adjuvenda sunt aliqua de benevolentia naturali unius hominis ad alterum . Sic enim fiet , ut quacumque ex parte actus benevolus inspicitur , ad nullum affectum pertinere intelligatur , nisi ad amorem , quem *benevolentia* , recta loquendi ratione servata , nuncupamus . Crediderim ego , exitisse neminem post memoriam hominum , qui unius ad alterum negarit affectum benevolentia immediate terminatum ad personam ipsam , et non præcise ad aliquam actionem . Quis enim non cognoscit experimento proprio , se velle interdum bonum alicui personæ , quam propter ejus bonitatem amat , et non ob id solum , quia aliqua in se ipsum derivatur utilitas ? Et vero Bolgenius ipse , nisi negare velit contra commune omnium judicium amicitiam honestam , quod esset de medio tollere decus maximum , et decentia partem nobilissimam , hunc ipsum affectum benevolentia supponere debet . Nec enim dari potest amicitia , ut variis in locis profitetur , sine benevolentia vera . Quæro igitur ab illo , ad quam pertinet virtutem moralem actus hic honestus benevolentia ? Profecto talis actus nec Religio est , nec ad Religionem pertinet , ut pertinere contendit in amicitia supernaturali erga Deum . Est ne actus observantia ? Minime quidem gentium . Nam benevolus quisque potest esse erga personam inferiorem , vel non excedentem in dignitate . Est ne actus obedientia ? Ne id quidem . Est enim , et datur satis frequenter benevolentia , nullo supposito præcepto , vel insinuatione voluntatis alterius . An potest ad justitiam spectare benevolentia ? Nulla ratione probabili dici potest pertinere ad justitiam vel commutativam , vel legalem , vel distributivam . Quod enim jus benevolentia supponit , ex quo debitum oriatur bene volendi ? Nec est item misericordia , vel pietas in Parentes , seu Patriam ; quia non tendit in sublevationem miseria , cum possim esse benevolus erga non indigentem , nec fundatur benevolentia debitum in principio generante , vel gubernante . An est affabilitas , liberalitas , eutropelia ? Sed hæc virtutes aliam honestatem respiciunt longe diversam , quæ nimirum resplendet in verborum officio , in largitate mune-

rum, et in dictis ludicris, factisque gratioſis per prudentiam regulatis.

II. De Fortitudine, ac Temperantia, quæ non sunt virtutes ad alterum, nihil dico; cum enim illa occupetur in honesta perſeſſione malorum, vel in aggrediendis periculis, et altera in moderandis paſſionibus; nihil habent commune cum officio benevolentia. Omitto virtutes intellectuales intellectus, prudentia, ſcientia, vel ſapientia, nam benevolentia ad voluntatem ſpectat, non ad intellectum, affectus est animæ, non cognitio mentis. Et tamen Auctor (quis crederet?) benevolentiam, quam tradunt Theologi ad Deum terminatam propter ſummam ejus Bonitatem in ſe conſideratam, actum eſſe contendit intellectus, non voluntatis, addens confundere (ſi ſuperis placet) Scholaſticos unius potentia actum cum actu alterius potentia. Unde ſi huic ſit ipſe doctrina conſentiens, etiam actum benevolentia naturalis propter perſonæ bonitatem ad actum intellectus revocare tenetur, commune totius humani generis (ut mihi videtur) criterium corrigens. Sed de hac idearum inversione ſuo loco. Nunc vero concludo illud univerſim affirmans tanquam certum, nullam virtutem moralem, in voluntate residentem, præter amicitiam honeſtam, ſeu benevolentiam, reſpicere immediate perſonam, ſed honeſtatem actionis, quæ verſari ſolet circa perſonam. Benevolentia autem afficit immediate perſonam, eſt enim affectiva conjunctio cum ea, ſicut amicitia; unde et ſiquæ alia reſpicit tanquam bona, ea vult propter perſonam ipſam, ad quam omnia refert, dirigit, atque ordinat. Mento itaque S. Thomas 2. 2. q. 31. art. 4. charitatem, benevolentiam, et beneficentiam unum eſſe habitum indiviſibilem docet. Nam amici eſt amare, benevelle, et etiam benefacere, ſi adſit facultas; nec enim benevolentia actualis, et actualis beneficentia differunt, niſi ſicut actus interior, et exterior; cum beneficentia exterior ſit executio actus interni benevolentia. Ex quo concludit S. Doctor: *quod ſicut benevolentia non eſt alia virtus a charitate, ita nec beneficentia*. Reddit item rationem ab Auctore valde notandam: *quia virtutes diverſificantur ſecundum diverſas rationes objecti. Eadem autem eſt ratio formalis objecti Charitatis, et Beneficentia; nam utraque reſpicit rationem communem boni. . . . Unde Beneficentia non eſt alia virtus a charitate, ſed nominat quendam charitatis actum*. Igitur ex S. Thoma actus benevolentia eſt actus charitatis reſpiciens immediate perſonam, et ſi ſit in amante potestas ad benefaciendum, ex eodem actu charitatis, & benevolentia natura ſua descendit actus exterior beneficentia.

De Delectatione, & Fruitione.

1. **C**larissimus Auctor occasione *delectationis*, quam ut inimicam de-
pingit amoris benevolentiae, et quam vix cum ejus generis a-
more conciliari posse arbitratur, multa, eaque mira conscribit contra
Theologos benevolentiae Patronos; nec solum in Dissertatione illos in-
sequitur, sed etiam in Declarationibus verbis castigat asperioribus.
Enimvero cap. 3. Dissert. pag. 68. sic scribit: *Negari non potest, quin
falsae ideae (amoris benevolentiae) amorem Dei valde retardent, et sua-
vitatem, ac fervorem tollant ab eorum corde Theologorum, qui falsis
hisce notionibus sunt imbuti.* Et pag. 80. cap. 4.: *Spiritus isti discursus
effingunt melancholicos, ex quibus maxime affliguntur. Nam imbu-
ti ut sunt opinione sua, quod unus amor benevolentiae sit amor Dei pu-
rus, atque perfectus, cum Deum amare conantur, ut infinite in se bo-
num, et corda sentiunt aridissima, videntur sibi versari in perditionis
statu Deum non amantes, ex quo mirum in modum coarctantur.* Haud
aliter in Declarat. pag. 48. *Eo sum, inquit, intentus statuens amorem
concupiscentiae... ut fundamentum evertam, quo hujus nostri Saeculi
qui dicuntur Philosophi, blasphemare non cessant contra Moralem Evan-
gelicam ut impossibilem, eam inniti dictitantes amori cuidam benevolen-
tiae, quem chimericum credunt, et impossibilem, ut pote naturae hominis
contrarium, et ejusdem destructivum.* Et paucis interjectis: *firmus sit,*
ait, *et maneat unicus amor concupiscentiae necessarius, ut credo, ad res-
pondendum incredulorum impugnationibus.*

2. Quis haec, aliaque ejusdem generis perlegens in Auctoris scriptis
non demirabitur, piissimum hominem, et doctrina sacra verissime excultum
sic refragari Theologis omnibus, Mysticis, Ascetis, et Sacrae Scrip-
turae Interpretibus? Quis enim horum ausus fuit unquam negare amo-
rem benevolentiae? Profecto nullum ego legi sic opinantem singulariter,
sed nec ullum adduci ab Auctore in Dissertatione sua oculatus
Lector observabit. Unde verba, quae ab illo proferuntur parum mo-
deste contra benevolentiae Patronos, tangere certe videntur Doctores
eximios maximi semper habitos et eminentia pietatis, et excellentia
doctrinae. Sed quod majus est mihi, illud est, quod propositiones il-
lae scribi non possunt a Bolgenio, quin Ecclesiae repugnet communi
satis consensioni, ut suo loco abunde demonstrabitur. Nunc vero no-
stra interest declarare, Theologos, quibus cordi est, ut esse debet
omnibus, amor benevolentiae, plures, et majores, perfectioresque in
hoc statu viae agnoscere delectationes, suavitates, et gaudia, quam
Auctor agnoscat, sublato amore benevolentiae. Nam tria agnoscunt il-
li genera bonorum, pauciora Bolgenius: Tres agnoscunt illi actus vo-
luntatis circa quodlibet bonum, amorem scilicet, desiderium, et gau-

dium; duos unice admittit Bolgenius, desiderium, et gaudium; atque adeo in via circa bonum maximum, quod est Deus, vel, ut ipse ait, æterna Beatitudo, unum tantum, scilicet desiderium. Jam vero replicatis actibus, et objectis, replicentur, necesse est, delectationes consequentes actus, et objecta. Et ob eandem rationem delectationes de bono honesto puriores erunt, et perfectiores, quam delectationes de bono delectabili. Id vero ut ostendatur, explicanda est radicitus delectationis natura, proponendæ sunt ejus causæ, et exponendæ sunt conditiones objectorum. Quæ sane doctrina non parum serviet pro intelligentia Patrum, præsertim Augustini, quem non semel ex hoc capite contra nos Dissertator adducit.

3. Delectatio, ut ex ipsa vocis significatione constare satis videtur, est dulcedo quædam, suavitas, seu quies vitalis in objecto proportionato jam habito, seu præsentis: quæ sane si sensibilis sit, erit delectatio appetitus sensitivi; si vero spiritualis, erit delectatio propria appetitus intellectivi, seu voluntatis. Porro ad delectationem præter bonum proportionatum appetitui duo requiruntur a Theologis cum S. Thoma 1. 2. q. 32. art. 1. *Consecutio scilicet boni convenientis, et cognitio hujusmodi adeptionis.* Ex quo infert S. Doctor, quod *omnis delectatio aliquam operationem consequatur.* Si enim tollas vel cognitionem boni jam præsentis, vel si objectum non sit præsens, seu habitum aliquo modo, tollas, oportet, quietem in bono, ut per se patet. *Sed vero potest,* pergit S. Thomas art. 3., *esse aliquid præsens dupliciter; uno modo secundum cognitionem, prout scilicet est in cognoscente secundum suam similitudinem. Alio modo secundum rem, prout scilicet unum alteri conjungitur realiter vel actu, vel potentia secundum quemque conjunctionis gradum.* Quod ultimum verbum *vel potentia* idcirco addit S. Doctor, ut nobis declaret delectationem, quæ oritur ex spe. Nam delectatio, quæ spem consequitur, non solum supponit præsentiam *secundum cognitionem*, sed etiam in *potentia* secundum *facultatem*, vel *possibilitatem adipiscendi bonum, quod delectat.* Hinc magna, & incredibilis esse solet delectatio spei, cum jam quasi manu tenetur bonum, quod speratur. Unde dixit Apost. ad Rom. 12. *Spe gaudentes.*

4. Ex hac fundamentali doctrina facile quisque intelliget, quo pacto memoria, imo et tristitia delectationem causet juxta illud, quod habetur Psalm. 76. *Memor fui Dei, et delectatus sum: & illud Ps. 41. fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte:* cum per panem refectio delectationis intelligatur. Nam in memoria, et in tristitia habetur objecti præsentia secundum cognitionem rei dilectæ. Nec vero solum memoriam, ac tristitiam delectatio consequitur, sed etiam voluntatis operationem honestam, quæcumque sit illa, consequitur necessario honesta sua delectatio: id que ex duplici capite, ex natura videlicet operationis, et ex natura objecti per operationem attacti. Et quidem ex parte operationis in promptu ratio est. Quia operatio re-

cta et honesta bonum est potentiae proportionatum, et praesens; ex illa igitur delectationem capit. Unde scripsit verissime S. Thomas q. 1. de Charit. art. 1. *Actus charitatis est maxime delectabilis, et maxime promptus existenti in charitate, et per eum omnia, quae agimus, vel patimur, delectabilia redduntur.* Rationem addit adiungens, quia conformatur inclinationi charitatis, sicut in naturalibus. Nimirum ut operatio naturalis voluntatis, quia est bonum praesens, eique conforme, non potest non causare in voluntate delectationem naturalem, sic operatio charitatis causat delectationem ejusdem ordinis in voluntate per charitatem informata. Alterum delectationis caput, et quidem potissimum, est objectum ipsum bonum, et connaturale quodammodo praesens, seu habitum per operationem ipsam, Amat quis exempli causa Deum ex toto corde, ut est in praeepto. Non solum amor Dei super omnia, quod est bonum animae praesens, causat in ea delectationem, sed multo magis mira Dei Bonitas per operationem attackta. Quia etsi Deus non sit animae praesens per visionem, est tamen ei conjunctus per amorem, & haec conjunctio satis est, ut delectetur de Deo. Id quod cum aliis in locis, tum 1. 2. q. 70. art. 3. traditur a S. Thoma sic disserente: *Ad amorem charitatis ex necessitate sequitur gaudium: omnis enim amans gaudet ex conjunctione amati. Charitas autem semper habet praesentem Deum, quem amat secundum illud 1. Joan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Unde sequela charitatis est gaudium.* In eundem sensum scripsit Bernardus de gradib. humil. *Dulcis est, et suaviss charitas, quae fessos allevat, debiles roborat, mæstos letificat, propter delectationem scilicet, quae charitatem consequitur.*

5. Nec id solum verum est in amore, sed etiam in quacumque, ut aiebam, operatione virtutis tum Theologicæ, tum moralis, et in actibus, qui respondent donis Spiritus Sancti. Ut enim docet, et probat S. Thomas loco proxime citato art. 1. 2. 3. et 4. omnes actiones virtutum, imo et beatitudines ipsæ sunt fructus Spiritus Sancti, quia nimirum sunt delectabiles, et de ratione fructus est quod sit *ultimum delectabile*. Notat etiam hic opportune S. Doctor ex Augustino plures esse fructus præter duodecim ab Apostolo ad Galat. 5. enumeratos. Quia *Apostolus non hoc ita suscepit, ut doceret, quot sunt vel opera carnis, vel fructus Spiritus, sed ut ostenderet, in quo genere illa vitanda, ista vero sectanda sint.* Unde S. Ambrosius illam nobis reliquit generalem regulam non solum in lib. de Parad. cap. 13., sed etiam in lib. de Isaac. *Opera virtutum dicuntur fructus, quia suos possessores sancta, et sincera delectatione reficiunt.*

6. Hæc sane si Auctor considerasset, durum illud scribendi genus omisisset contra Patronos amoris benevolentiae, et vidisset multo plura, quam quæ necessaria esse videantur ad respondendum incredulis tantopere pugnantibus pro delectatione. Respondere illis potuisset, nul-

nullam esse rectam, et honestam operationem, quæ suam non habeat delectationem adjunctam. Respondere potuisset, amorem Dei supernaturalem, et benevolentiam verissimam, prout traditur in Catechismis Christianorum, esse apprimè consonum animæ consorti Naturæ Divinæ, atque adeo maxime delectabilem. Respondere potuisset, ex amore benevolentiam erga Deum ex necessitate sequi gaudium. Quia charitas habet Deum præsentem, quem amat. Respondere tandem potuisset, Deum Optimum Maximum minime à cultoribus vinci in liberalitate, nedum in æterna illa, et fœlicissima vita, sed nec in hac ipsa peregrinatione terrestri, quemadmodum Hom. 17. in Evang. considerare nos jubet S. Gregorius per hæc verba: *Considerandum est, quod uni nostro operi duæ mercedes debentur: una in via, altera in patria. Una, quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque, quæ in præsentibus accipitur, hoc in nobis agere debet, ut ad sequentem mercedem robustius tendamus.* Quod si increduli suis illis insistentes delectationibus doctrinam istam Sanctorum, et in Ecclesia communem intelligere nolint, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, et contra naturam hominis esse contendant, eum amare Deum affectu benevolo plusquam se ipsum, eos illi commendet Bolgenius oratione frequenti, ut qui lumen mentibus infundere, et emollire corda facile potest. Nec vero dubito, quin id boni suis in orationibus exoptet incredulis Pissimus Auctor; sed vel ex hoc ipso illud in rem nostram commodi derivatur, ut quem amorem benevolum erga Proximum renuit ille in speculatione fateri, eundem ipsum praxi, usu, et exercitatione fateatur.

7. Quanquam ea, quæ dicta sunt nobis, de delectatione, futura sunt usui maximo pro intelligentia Patrum, addenda sunt etiam aliqua de fruitione in particulari; ejus namque notio bene discussa multum deserviet pro diversis Charitatis actibus exponendis. Licet omnis fruitio sit delectatio vera, non omnis delectatio etiam spiritualis est vera fruitio. Nam fruitio ex S. Thoma 1. 2. q. 11. art. 3. non est talis respectu cujusque boni, seu finis, sed per comparisonem ad ultimum finem. In hoc enim unice voluntas quiescit perfecte, quin aliud restet inquirendum. Video esse inter Theologos contentionem aliquam, utrum nimirum fruitio sit amor, an gaudium, an aggregatum ex utroque? Quæ quidem res mihi videtur pertinere potius ad modum loquendi, quam ad rem ipsam bene perspectam. Certum est enim in fruitione duo illa concurrere, dicente Augustino 8. de Civit. cap. 9. *nemo beatus est, qui eo non fruitur, quod amat*; sed vero fruitio proprie talis gaudium significare videtur, ut Auctor est S. Thomas, qui supponens identitatem inter fruitionem, et gaudium de ultimo fine non egit in 1. 2. de gaudio voluntatis, sed de fruitione. S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 4. explicat potius fruitionem per amorem jam inhærentem perfecte alicui rei propter ipsam. *Frui, inquit,*

est amore inherere alicui rei propter ipsam. Sed cum amor beatificus, in quem hic intendit S. Doctor, perfectus, perpetuus, et inamissibilis sit ille conjunctissimus cum gaudio plenissimo, et ab eo inseparabilis, non incongrue fruitio illa, quam nobis exhibet per inhæsiōnem amoris in re propter se ipsam, gaudium dici debet.

8. Hic autem illud præ cæteris alte imprimendum est animo, quod non fuit satis observatum ab Auctore cl., ejusque conatus evertit omnes, et Systema convolvit, duplicem esse fruitionem ultimi finis, alteram respondentem Spei Theologicæ, et alteram charitati; primam respicientem Deum ut habitum, possessum, et obtentum, secundam respicientem Deum in se, a se, et per se bonum. Unde illa fruitio pertinet ad gaudium concupiscentiæ, hæc autem spectat ad gaudium benevolentæ. *Dicendum, inquit S. Thomas 2. 2. q. 28. art. 1. ad 3. quod de Deo potest esse spirituale gaudium dupliciter: uno modo secundum quod gaudemus de Bono divino secundum se considerato: alio modo secundum quod gaudemus de Bono divino, prout a nobis participatur. Primum autem gaudium melius est, et hoc procedit principaliter ex charitate; sed secundum gaudium procedit etiam ex Spe, per quam expectamus Divini Boni fruitionem. Quamvis etiam ipsa fruitio perfecta, vel imperfecta secundum mensuram charitatis obtineatur.* Similia tradit in corpore articuli, ubi etiam ostendit, quomodo in hac vita possimus habere gaudium respondens amori benevolentæ, quamvis Deus nedum nobis sit præsens per visionem, sed per amorem, et inhabitationem gratiæ, quia nimirum Deus in se habet immutabiliter bona, quæ illi volumus. Audi eum, Bolgeni, quem tuum esse judicas, et tuum tandem sensum de mente S. Thomæ depone. *Gaudium, ait, ex amore causatur, vel propter præsentiam boni amati, vel etiam propter hoc, quod ipsi bono amato proprium bonum inest: et hoc secundum maxime pertinet ad amorem benevolentæ, per quem aliquis gaudet de amico prospere se habente, etiam si sit absens. E contrario autem ex amore sequitur tristitia, vel propter absentiam amati, vel propter hoc, quod amatum, cui volumus bonum, suo bono privatur, aut aliquo modo deprimitur. Charitas autem est amor Dei, cujus Bonum immutabile est, quia ipse est sua Bonitas. Et ex hoc ipso, quod amatur, est in amante per nobilissimum suum effectum secundum illud Joan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet. Et ideo spirituale gaudium, quod de Deo habetur, ex charitate causatur.*

9. Ac ne ista fortasse cuiquam disputata lente videantur, juvat ad calcem Prolegomeni vividius ea proponere. En tibi geminum syllogismum ad mentem S. Thomæ omnino tornatum. Id est objectum motivum charitatis in via, quod est objectum perfecti gaudij Beatorum in Patria: at objectum motivum perfecti gaudij Beatorum in Patria est Deus secundum se, suamque Bonitatem infinitam: Deus igitur secundum se, et secundum suam Bonitatem infinitam est objectum moti-

vum charitatis Theologicæ in via. Item: illud est objectum amoris, in quo Spes innititur, quod est objectum motivum fruitionis Spei respondentis: atqui objectum hujus fruitionis est Deus visus, obrentus, possessus: ergo Deus videndus, obtinendus, et possidendus est objectum vere motivum illius amoris. Utriusque ratiocinationis præmissæ traduntur à S. Thoma, ut partim constitit, partimque constabit. Consecutiones siquis neget, non jam ratione premendus, sed tanquam tardus in Logicis in pace abire jubendus. Et quoniam id ad te non pertinet, mi Bolgeni, ut pote cui natura dedit ingenium larga manu, dic mihi sodes, ad quem tandem ex illis duobus amoribus revocandus sit tuus ille amor concupiscentiæ æternæ foelicitatis? Si ad secundum, manus dabimus, sed cave, ne amorem deneges benevolentiae. Si ad primum, manus oportet conseramus. Namque objectum illius amoris motivum nimium quantum discrepat ab objecto motivo, quod tuo illi præfigis amoris. Id a me demonstratum esse judico hac in pugna, tametsi velitari, in qua id a me negotij perficiendum esse ante omnia credidi. Primum ut jacerem fundamenta earum Disciplinarum, quæ argumento præsentis pro meritis discutiendo necessariæ sunt. Alterum, ut indicarem ea, ex quibus haud multo negotio detegantur æquivocationes Dissertationis tuæ. Tertium demum, ut aditus tibi obstruerem, quando in arcto positus vias inire tentas salebrosas, et a nemine tritas. Quod quidem ego ante pugnam majorem agere statui in primo, proximo, altero, reliquisque Prolegomenis. Nunc vero gravioribus armis decertandum nobis est, et ne hostem fingere videar, quem feriam, collato pede dimicandum est, auctoritati auctoritate objecta, rationi ratione, et argumento cuilibet responsione, ut cui nostrum adjudicanda sit causa, liquido constet sapientibus, etiam non habita ratione possessionis, quam tamen a me stare, nonnisi contentiose negabis.



CRISIS SYSTEMATIS BOLGENIANI

CIRCA THEOLOGICAM CHARITATEM.

Quoniam prima Dissertationis pars est plane fundamentum, & robur systematis Bolgeniani, et quæ illam consecuntur proximæ partes, sunt totidem consecutiones, quæ ab illa derivantur; visum est nobis eam accurate discutere, et ad examen, prolixum illud quidem, sed vero necessarium adducere, id habentibus pro comperto, ruiturum protinus ædificium omne, si ejus fundamenta concutiantur fortiter, nec erigendum iterum, si vel ab imis rudera convellantur. Pars igitur prima Dissertationis Bolgenianæ in capita, seu puncta decem distributa est, in quorum primo argumentum præfigitur controversiæ. Quid Theologi sentiant, exponit Auctor, et quid existimet ipse, declarat, inquires, chimæricum esse, ac fictitium prorsus amorem benevolentiae erga Deum, nec alium esse posse amorem charitatis Theologicæ, quam amorem concupiscentiæ, ex quo quis quærit, procurat, intendit æternam sui fœlicitatem. In altero capite id conatur ostendere a Verbo Scripto. In proximo a Patribus, et Ecclesiæ Doctoribus. In quarto, quinto, et sexto a praxi Ecclesiæ, a definitione amoris, et a communi sensu Theologorum. Quæ ultima ratio firmatur ab ipso in capite septimo ex incohærentia quorundam Theologorum, qui cum amorem benevolam satis apte explicare non possint, in amorem tandem concupiscentiæ, natura vincente, relabuntur. Caput octavum situm est totum in ratione ipsa naturali perscrutanda, ex qua in rem suam refert, quæ pro uno amore concupiscentiæ valere plurimum possunt, ut ipse judicat. Denique capite nono, et decimo consecutiones elicit doctrinæ suæ, et rationibus, quæ fieri in contrarium possunt, facit satis. Hæc est idea germana Systematis Bolgeniani, et hi sunt in genere fontes, ex quibus eruit fundamenta, ut illud erigat, atque firmet, et ab omni incursione tueatur. Ut quod sentio, dicam aperte; id mihi non parum placet in Dissertatione Bolgenii, quod methodum respicit, et scribendi rationem, quæ sane sapit bonitatem ingenij Dissertatoris. Quapropter eam ipse sequar libenti animo in expugnatione, et responsione, singula percurrens capita, eodem nempe ordine, quo sunt ab illo conscripta. Qua in re eam mihi viam ineundam esse duxi, atque tenendam. Primum ut synopsis proponerem expressam, sinceram, et accuratam cujusque capituli Bolgeniani. Deinde sententiam firmarem communem ex eodem ipso fonte, quem Bolgenius aperit. Postremo facerem satis rationibus Auctoris nulla earum, quæ movere utcumque possint, omissa. Tria hæc agenda sunt mihi in singulis, quoad fieri potest, capitibus. Sic enim fiet, ut omni dissimulatione sublata, nullus sit locus querimoniæ, ut alias contigisse inau-

dio, et testimonia objecta testimonijs, sententiæ cum sententijs comparatæ, et rationes oppositæ rationibus planius, et apertius veritatem ostendant.

C A P U T I.

Synopsis primi capituli Bolgenianæ doctrinæ.

*Proponitur, et definitur argumentum præsentis
Dissertationis.*

I. **N**on agitur in hac Dissertatione de charitate habituali, quæ dicitur etiam Gratia sanctificans, sed de charitate actuali, quæ et dicitur, et est amor Dei. Caritas igitur actualis, seu amor Dei dividitur communiter a Theologis in Scholis in amorem benevolentia, et in amorem concupiscentiæ. Primus ille amor apud eos est actus, quo quis amat Deum, quia infinite bonum, sanctum, justum, et perfectum in se ipso, sine ullo ad bonum nostrum, seu felicitatem respectu, seu relatione. Secundus est, quo Deus amatur, quia bonus nobis, id est, quia perfectiones ejus, et attributa relationem important, et respectum ad bonum, et felicitatem nostram. Quare si quis dicat: Amo te Deus meus, quia es Ens summe bonum, et infinite perfectum in te ipso, actum elicit amoris benevolentia. Si vero dicat: Amo te Deus meus, quia es summum Bonum meum, nempe ultimus finis meus, mea summa felicitas, et desidero te frui, et te in æternum possidere; actum exprimet amoris concupiscentiæ. Id tamen accurate notandum, posse objectum aliquod duobus amari modis. Primo quia objectum ipsum per se se, et ob inirinsecam suam naturam, qualitates, et perfectionem est bonum, dulce, et delectabile amanti, qui suam in eo invenit felicitatem. Secundo quia objectum bona defert distincta a se ipso, adeoque felicitatem quamdam non sitam in objecto. Amor igitur concupiscentiæ, quem assero esse charitatem Theologicam, primo modo ferri debet in Deum, non autem secundo.

2. Porro Theologi Scholastici conveniunt quoad rem in divisione præfata. Quamvis enim in modo loquendi discrepantiam aliquam forsitan offendas, non illa rem tangit, et unice ostendit confusionem idearum, et notionum; omnes igitur conveniunt in sensu distinctionis, et divisionis amorum, quos supra proposui. Hoc itaque statuto, illud ego contendo, communem amorum divisionem sustineri non posse, quia natura, et essentia charitatis respicit necessario Deum ut summum hominis Bonum, unde et consistere debet in desiderio fruendi Deo, et eum possidendi tanquam objectum beatitudinis, et æternæ felicitatis hominis. Erit igitur charitas perfecta, et extra Sacramentum sanctificans amor concupiscentiæ illis

51

illis clarissimis descriptus verbis apud Augustinum lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. amor inhians habere, quod amatur, cupiditas est. *Propositio hæc mea videbitur sine dubio falsa, imo etiam absurda plerisque Theologorum; eam tamen probare accingimur, firmare, et stabilire ab Scriptura, Patribus, sensu Ecclesie, Theologis, et rationibus.*

R E S P O N S I O .

3. **V**ideo ego jam primum ab ipso propositionis exordio, Clarissimum Joannem Vincentium Bolgeni non satis assecutum esse sensum Theologorum circa prætensam divisionem amoris; id quod ex cæteris capitibus Dissertationis ejusdem exploratum mihi est. Nec enim inter hominem doctum, et Scholasticos omnes tanta posset esse dissensio, ut quem amorem amicitiae, seu benevolentiae tradunt ij tanquam omnino certum, et nulli obnoxium dubitationi, eundem Vir Sapiens contenderet esse chimæricum, si partis utriusque sensus esset ultro, citroque bene perspectus. Hæret intellectus in rebus dubiis, cumque obscura res est, nec ratio occurrit gravis, huc illuc tenuiter volvitur, nec tamen judicat; si tamen rationes inveniat aliquas momenti gravis, judicat quidem probabiliter, nec vero asserit fidenter omnino, verum se tenere, vel certum assecutum esse. Unde et contingere facile potest, varias esse, et discrepantes multorum hominum opiniones circa rem aliquam nedum omnibus exploratam. Sed quod in uno aliquo argumento Viri omnes graves, ingenio acres, et doctrina præstantes, qui illud tractavere, non nisi veritatem inveniant, ac certitudinem deprehendant; et quod unus aliquis nec tardus quidem, aut indoctus non nisi chimæras, fictiones, atque pugnantia in eodem ipso invenire se dicat asseveranter, fieri vix posse videtur, nisi quid lateat erroris in verbis, ideis, aut notionibus. Id enim videtur esse perinde, atque mille hominibus oculorum acie acuta pollentibus, et hunc esse colorem *album* attestantibus, unus aliquis repugnaret, non certe cæcus, sed oculatus, asseverans eundem illum colorem non esse *album*, sed *nigrum*. Cum hæc animus fingit, subit statim mentem illa cogitatio, non satis discernere hominem illum ita pertinaciter repugnantem, quid album sit, quid nigrum, quæve cuique nominum subjecta sit notio, vel potestas significandi. Id ipsum ex parte contigisse Bolgenio certo credo, unde et contraversia præsens est solum de nomine in punctis quibusdam; at vero in aliis plurimis discrimen situm est in re ipsa, ut ex dicendis constabit. Explicandus est ergo Theologorum sensus circa præfatam divisionem amoris; proponendæ accurate sunt notæ, characteres, et proprietates amoris utriusque; et quinam respectus in objecto motivo requiratur in amore concupiscentiae, et quinam respectus abstrahatur ab objecto amoris benevolentiae ex Theologica doctrina probandum, firmandum, et stabilendum est, ut vera cujusque a-

moris notio, veraque duorum amorum idea omnium oculis subiiciatur. Posuero quid peccet Auctor Cl. in propositione argumenti, et in his, quæ suæ, quasi aliud agens, propositioni adjungit, discutiendum est diligenter. Id autem agam per aliquos paragraphos.

§. I.

Quinam sit Theologorum sensus circa divisionem amoris in amorem amicitiae, seu benevolentiae, et in amorem concupiscentiae.

4. Pater Franciscus Suarez cum alias, tum disp. I. de Passion. sect. 5. ita proponit vulgarem divisionem amoris in amorem concupiscentiae, et amorem amicitiae, ut statuatur, *amorem esse concupiscentiae, quando bonum amatum ad commodum amantis refertur; amicitiae vero, seu benevolentiae, cum alteri bonum appetimus propter ipsum; unde omnis amor, seu impulsus appetitus, qui fertur in objectum, prout est congruum, et commodum ipsi appetenti, sub amore concupiscentiae comprehenditur; quodcumque vero bonum judicatur per se amabile, et ob id appetitus in illud impellitur, et in illo sistit absque conversione ad se ipsum, vocatur amor benevolentiae.* Hæc in genere intelligenda sunt de amore quocumque seu naturali, seu supernaturali, sive in ordine ad Deum, sive per respectum ad homines. Si vero ad amorem erga Deum referatur divisio, sic illa statuatur ab eodem Doctore, et cæteris Theologis, ut amor concupiscentiae tendat in Deum ut amanti bonum, ut habendum, et possidendum, atque adeo ut sibi delectabilem per visionem, et amorem beatificum; amor autem amicitiae, seu benevolentiae tendat in Deum ut Summum Bonum in se, et infinite amabilem, et dignissimum omni nostro amore; obsequio, vel laude. Hinc primus ille amor reflectit in amantem, et ad eundem revertit, et sic tendit in Deum, ut ex eo aliquid, quod sibi proveniat, manifeste quærat. At secundus sic in Deum tendit, ut in eo sistat, ut sit ejus, quem amat sine reflexione ad se, et quin intendat, ut ex eo quidquam ipsi commodi proveniat. Unde et illud etiam consequitur, quod amor concupiscentiae est amor formalis personæ concupiscentis, cui nimirum bonum appetitur; at amor benevolentiae, seu amicitiae non est amor personæ amantis, cui non quærit bonum, sed unice personæ amatæ, cui bonum appetit, vult, aut desiderat.

5. Hæc est perpetua Theologorum doctrina, quam innumeris locis tradit S. Thomas in Sententiariis, in Disputatis, in Summa, et quidem sic aperte, ut mirum cuique videatur, non eam tenuisse Bolgenium, cum pro se toties laudat Angelicum. Satis sit in limine disputationis indicare, quod ait 2. 2. q. 23. *Fides, et Spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis cognitio veri, vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non*

ut ex eo aliquid nobis proveniat. Clarius autem locutus fuerat q. 17. a. 8. statuens discrimen a nobis ostensum inter duos amores: sic enim inquit eo loci: *Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, ut puta, cum aliquis secundum se vult alicui bonum; sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat, non secundum ipsum, sed ut bonum illud sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhaeret Deo secundum se ipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.*

6. Scio S. Thomam 1. 2. q. 26. art. 4. aliam etiam tradere divisionem amoris, ubi ait: *quod amare, sicut Philosophus dicit, est velle alicui bonum; sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel aliis; et in illud, cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiæ: ad illud autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiae.* Verum si in hoc S. Doctoris sensu incedere placet Auctori, qui hanc D. Thomæ partitionem in rem suam trahit pag. 80. Dissertationis, jam a principio profligata esset ejus quæstio, et ad exitum usque perducta. Ratio est evidens: quia amor concupiscentiæ, de quo eo loci S. Thomas, non est amor simpliciter talis, sed unice secundum quid meretur nomen amoris. Sic enim pergit scribens: *Id, quod amatur amore amicitiae, simpliciter, et per se amatur: quod amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter, et secundum se amatur, sed amatur alteri. . . . Et per consequens amor, quo amatur aliquid, ut ei sit bonum, est amor simpliciter; amor autem, quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius, est amor secundum quid.* Hanc si Bolgenius velit adoptare divisionem amoris, sciat, oportet, in suo systemate illud futurum necessario, ut homo sibi desiderans æternam beatitudinem, se amet simpliciter, æternam autem beatitudinem unice secundum quid. Nam sibi amat bonum illud. Actum est igitur de amore Dei super omnia Bolgeniano. Dicam tamen ego, quod res est, et, quid hic intendat S. Doctor, in veritatis obsequium indicabo. S. Thomas loco laudato non instituit divisionem amoris generice sumpti in amorem amicitiae, et in amorem concupiscentiæ tanquam in species diversas amoris, sed unice considerat, ut bene hic Cajetanus, terminationes cujusque amoris, sive sit amicitiae, sive concupiscentiæ: et terminationem ad personam vocat *amicitiæ*, terminationem ad bonum vocat *concupiscentiæ*, quamvis terminationes sint realiter indistinctæ. Quo eodem sensu loquitur interdum aliis in locis, et eum sæpe imitantur Theologi.

7. At ut bene notat P. Suarez disp. 1. de Passion. sect. 5. huic divisioni S. Thomæ illa limitatio adhibenda est, ut locum non habeat in amore, quo Deus amatur super omnia ob suam Bonitatem infinitam; cum enim hæc a Deo non distinguatur, velle bonitatem Dei nul-

nulla ratione dici potest amor concupiscentiæ. Nec admitti ullo modo potest, quod amor, cui spes innititur, dicatur amor *secundum quid* penes illam tendentiam, per quam terminatur ad Beatitudinem, quam quis sibi amat, quia cum vere Deum attingat, et principaliter, est Dei verus amor, quamvis non ita perfectus, ut amor charitatis Theologicæ. Quare solum erit amor *secundum quid* tendentia illa quæ feratur in bonum particulare, seu finitum, non autem in bonum universale, et infinitum. Hæc dicta sunt, ut apte intelligatur divisio, de qua eo loci S. Thomas.

8. Sed vero non est hæc vulgaris divisio, de qua Theologi, dum amorem sumptum genericè dividant in species suas, nempe amicitiae, et concupiscentiæ. Quem item modum dividendi tenet S. Doctor, et servat frequenter in sentent, in quæst. disput., et in summa. Quin et hoc in loco nuper laudato in illum relabitur, scribens: *Ad primum ergo dicendum, quod amor non dividitur per amicitiam, et concupiscentiam, sed per amorem amicitiae, et concupiscentiae. Nam ille proprie dicitur amicus, cui aliquod bonum volumus. Illud autem dicimur concupiscere, quod volumus nobis.* Amor ergo concupiscentiæ æternæ felicitatis vult eam amanti, et amor benevolentiae, seu amicitiae erga Deum vult bonum Deo ut amico.

9. Atque hæc quidem in genere certa sunt Theologis omnibus, non tamen est ita certum, quinam sit in specie sua hic amor concupiscentiæ erga Deum; qua in re tres video inter se discrepantes sententias. Prima est P. Vazquez, qui licet bene supponat actus Spei, et Charitatis esse supernaturales in substantia, existimat tamen, amorem concupiscentiæ Dei, etiam ut est bonum supernaturaliter hominem beatificans, non posse non esse naturalem, et acquisitum. Pro quo opinandi modo eas adducit rationes. Prima est, quia hic amor concupiscentiæ est amor benevolentiae hominis ad se ipsum, atque adeo maxime naturalis, utpote qui oritur ex complacentia, quam ad se ipsum quisque naturaliter habet. Secunda: quia nisi id asseratur, opus esset quatuor assignare virtutes Theologicas contra illud Apostoli: *Nunc autem manent tria hæc.* Consecutio absurda sic ab illo probatur; quia ille actus non pertinet ad Fidem, ut per se constat, non ad Charitatem, quia ad creaturam per benevolentiam revertitur; nec item ad Spem, tum quia actus ille in Beatitudine permanebit, ubi jam Spes esse non potest, tum quia Spes habet supernaturalitatem suam non præcise ex objecto concupito, quod arduum est, sed ab eo, ex quo speratur, nempe a Deo supernaturaliter operante. Actus autem ille concupiscentiæ unice respicit Beatitudinem convenientem homini. Id quod illi est maxime connaturale.

10. Verum hæc sententia probanda non est. Nam actus concupiscentiæ Dei ut objecti hominem supernaturaliter beatificantis est amor per se infusus, et ejusdem ordinis cum cæteris actibus ad Spem Theolo-

logicam pertinentibus, ut modo vidimus ex S. Thoma, qui et eandem tradit doctrinam quæst. de Spe art. 3. In quo consentiunt cæteri Theologi docentes unanimi consensione, ex amore præfato Spem ipsam provenire. Nam sine amore Spes esse non potest, ut bene Augustin. in Enchyr. Ob eandem rationem gaudium de participatione Dei, ut ultimo diximus prolegomeno, supernaturale est, et ad Spem pertinet, quia ejusdem est virtutis amare, desiderare, gaudere. Deinde objectum illius amoris est supernaturale, est enim beatitudo, quæ sive sit formalis, sive objectiva, sive complexa ex utraque resultans, est sine dubio supernaturalis. Actus igitur tali objecto proportionatus, et in suo genere perfectus debet esse supernaturalis. Postremo, quia timor amittendi supernaturalem beatitudinem est actus supernaturalis, cum sit *Dei donum, et Spiritus Sancti impulsus*: ergo potiori ratione amor ejusdem supernaturalis beatitudinis, cui timor innititur. *Illud enim timet homo amittere*, inquit S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 3. ex August. lib. 83. quæstion. q. 33. *quod amat*: et art. 6. dicit: *Ejusdem rationis est, quod homo cupiat proprium bonum, & quod timeat eo privari.*

II. Ex his jam fere responsum est rationibus P. Vazquez: prima enim non videtur esse momenti: nam amor benevolentiae sui potest esse supernaturalis, si nempe respiciat objectum supernaturale, ex quo sumit speciem. Sicut cum Mater desiderat Filio æternam beatitudinem ex benevolentia erga illum, supernaturaliter movetur per actum, qui est amor benevolentiae erga Filium. Nec ad amorem concupiscentiae æternæ fœlicitatis prærequiritur complacentia sui, ex qua oriatur; id enim nulla ratione probari potest. Quod idem intelligo de alio quocumque amore naturali, qui si præcedat, vel erit impertinens, vel interdum impedire poterit amorem illum concupiscentiae supernaturalem, vel ad summum poterit remote, et quasi per occasionem juvare. Tandem actus ille concupiscentiae supernaturalis pertinet ad Spei virtutem, et ab ejus habitu efficitur, sicut et gaudium de possessione Dei, qui duo actus manent in Patria: lege D. Thomam tum 2. 2. q. 28. art. 1., tum 1. 2. q. 4. art. 2. et 3. Unde et concluditur, quod licet in Patria non maneat Spes quoad actum nempe sperandi bonum absens, et arduum, unde et ipsa denominationem accipit, manet tamen habitus Spei quoad cæteros actus amandi, et gaudendi, imo et ante resurrectionem corporis potest etiam elicere actum illum sperandi, qui quidem actus est in beatis, ut patet ex Apocal. 6., et licet secundarius sit, pertinet ad virtutem Spei supernaturalis. Atque hæc quidem satis sint dicta de opinione P. Vazquez, quæ licet mihi non probetur ulla ratione, suggeret tamen lectori reflexionem illam contra systema Bolgenianum. Namque vir doctus, et in primis acutus judicat amorem concupiscentiae erga Deum sic esse congenitum naturæ nostræ, ut naturalem arbitretur, et ad virtutem etiam Spei pertinere posse neget. Bolgenius contra sic illum actum perfectum esse dicit, ut prætergre-

diens.

diens Spem Theologicam ad Charitatem unus ipse pertineat. Quis, quaso Theologorum ita opinantium extreme a vero minus recedet? Profecto Vasquius suos habuit in re ista sectatores non certe ignobiles. An autem Bolgenius habiturus sit aliquem vere Theologum, vehementer dubito. Ego quidem ad incitas redactus Patris Vasquij opinionem præferrem.

12. Altera est sententia Durandi in 3. dist. 26. q. 2. et Paludani ibidem q. 2. docentium, amorem concupiscentiæ Spei proprium non attingere Deum ipsum immediate, sed solum mediante actu nostro creato, visione scilicet aut amore beatifico. Cujus opinionis tria præferunt fundamenta. Primum, quod Deus non est honeste amabilis isto modo per amorem concupiscentiæ. Esset enim id amare Deum propter nos, quod videtur esse plane contra rectum ordinem. Alterum quod Deus ipse non est *formale* bonum nostrum, id enim soli competit conjunctioni cum Deo; amor autem concupiscentiæ versatur circa bonum formale. Ultimum, quia objectum, quod speratur, est aliquid futurum arduum; Deus autem non est proprie futurus, nec arduus; sed visio est quid arduum, & futurum, et Dei consecutio est ardua, atque difficilis. Accedit, idem esse debere objectum amoris hujus concupiscentiæ, quod est objectum delectationis in Patria: hujus autem objectum erit visio, vel consecutio. Sed vero nec hæc Durandi, et Paludani sententia probatur cæteris Theologis. Nam virtus Spei non tantum visionem, sed et Deum debet attingere immediate, alioquin non esset virtus Theologica magis quam Religio, Pænitentia, aut Obedientia contra illud Apostoli: *manent tria hæc Fides, Spes, Charitas*. Debet igitur Deum attingere ut objectum *quod*, scilicet immediate. Ergo et amor ille concupiscentiæ, qui ad Spem pertinet ex Durando. Præterea Deus est Summum Bonum nostrum ratione suæ intrinsecæ Bonitatis, et nobis intime conjungitur; nec ad rationem Boni requiritur *inherentia formalis*, nam etiam suppositum Divinum est maximum Bonum Humanitatis Christi. Deinde recte argumentatur D. Thomas hunc in modum. Ille, in quem primario sperat hæc virtus, Deus est: ergo et id, quod primario sperat. Ut enim finis respondeat principio, a Deo sperare debemus aliquid eidem proportionatum. Unde cum Genes. 15. dicitur: *Ego merces tua magna nimis*, id ipsum significatur: et Patres per *denarium diurnum apud Math. 20*. Deum intelligunt; et ad Heb. 8. dicitur: *Spes intrare usque ad interiora velaminis*. Vide Aug. 12. de Civit. cap. 33.

13. Quod Durandus afferebat, nihil omnino refert. Non primum; quia non amamus proprie Deum propter nos, sed nobis ut perficiendis, et intime conjungendis cum Deo tanquam cum fine nostro supernaturali, quamvis in hoc foelicitatem, et commodum nostrum intendamus. Qua quidem ex causa amor ille est benevolentiae erga nos, sed tamen non est proprie usus, quia usus versatur circa medium, hic autem amor versatur circa finem. Nec tamen nego, interdum vocari ab

Augustino *usum*, ut in lib. 6. de Trinit. cap. 10. et in lib. 10. cap. 11., sed unice intendit S. Doctor significare verbo illo, non esse fruitionem, sed ad fruitionem tendere, quo in sensu lato quidem, et minus proprio non omnis usus Dei, vel potius amoris Dei malus est, si tamen totus ad fruitionem ordinetur. Non secundum, quia licet Deus nobis per bona creata intime conjungatur, est tamen per se se bonum nostrum, et non præcise ratione visionis, aut amoris, quin et hæc non sunt bona nostra, nisi quia habent ad Deum ordinem, nosque cum eo conjungunt. Non tertium; quia Deus est futurus non secundum se, sed respectu nostri: est enim nobis futurus præsens, sicut modo est absens, quamvis ratio absentiae non ipse, sed imperfectio nostra sit. Quid quod habitus Spei non in omnibus actibus requirit fruitionem istam? Similiter Deus est bonum excellentissimum, et in hoc sensu arduum, ex quo fit ut tam ardua sit ejus consecutio. Quod ultimo loco opponebatur, potius firmat sententiam nostram; nam objectum fruitionis in Patria, quæ respondet Spei, est Deus jam habitus, obtentus, et possessus, ut alias insinuavimus.

14. Est igitur vera, plana, et facilis sententia D. Thomæ, Suarezij, et aliorum Theologorum, qui unanimi consensu docuerunt, amorem supernaturalem concupiscentiæ erga Deum sic Deum attingere immediate, ut etiam attingat visionem, vel amorem beatificum, adeo ut objectum motivum, seu formale hujus amoris sit complexum ex Deo, et ex visione, ubi licet Deus principem habeat locum in movendo, sua quoque vis partialis movendi visioni competit. Prima ratio est, quia hic amor concupiscentiæ, ut dicebat. S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 8. *amat aliquid non secundum ipsum . . . quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit*: ergo possessio, vel visio Dei movet etiam partialiter ad illum amorem Dei. Deinde Deus est summum hominis bonum; ergo non solum est amabilis propter se ipsum, sed etiam in commodum amantis. Præterea per illum amorem præfert creatura Deum omni concupiscibili, et omni beatitudini; tendit igitur in Deum, ut beatitudinem ejus.

15. Sed quamvis ea certa esse debeant apud Theologos de amore illo, cui Spes innitur, qui certe ad Charitatem pertinere non potest, tum quia elicitur connaturaliter ex habitu Spei a peccatoribus, tum quia proprium respicit commodum, nec sistit in Deo sicut actus Theologicæ charitatis; video tamen aliquam esse inter eos discrepantiam circa actum, per quem quis beatitudinem æternam sibi sperat. Nam S. Bonaventura in ea est opinione, ut asserat, Deum sub ratione *ardui, & excedentis hominis facultatem* esse objectum formale, seu motivum actus sperandi. Quæ sententia, qua parte ponit *arduum* ex parte objecti, verum tenet, ut arbitror, sed quatenus ponit illud ut objectum motivum, vera esse non potest. Quid enim intelligitur nomine *ardui*? An bonum excedens omnem humanam facultatem? At

Bonitas Divina, quæ est objectum formale charitatis, omnem nostram facultatem excedit. Non erit igitur arduitas, unde sit repetendum discrimen inter eas virtutes. Si autem dicatur, charitatem tendere quidem in *Bonitatem Excellentem* sic ut *Bonitas* formaliter attingatur, et *Excellentia* materialiter; et Spes tendat contra in *Bonitatem* materialiter, et in *Excellentiam* formaliter, intelligi id minime potest; namque Spes est motus voluntatis prosequentis objectum; in hoc igitur necessario tendit sub ratione *boni*. Fac tandem illud *arduum* significare difficultatem obtinendi bonum, non ideo proficies quidquam pro hac explicanda sententia; nam difficultas non movet appetitum ad prosecutionem objecti, sed potius retrahit appetitum. Bonitas est igitur, quæ appetitum movet ad difficultatem superandam. Est et aliud non leve incommodum hujus opinionis, quod duo illi actus *confidere*, et *expectare*, quos hæc sententia Bonaventuræ ponit, si ad voluntatem referantur, non possunt non esse quædam volitiones, seu prosecutiones *boni*. Nam *confidere* in aliquo erit velle ab eo habere bonum, quod judicatur dandum vel absolute, vel sub quadam conditione, et hæc eadem voluntas ab bonum comparata erit ejus *expectatio*. Oh hæc igitur displicet hæc sententia, quæ tamen est vera, qua parte ponit arduitatem ex parte objecti; at vero ratio motiva actus Spei esse non potest, sed unice circumstantia quædam, ex qua actus Spei *Bonitate præeminente* in objecto fortius, validius, et cum majori conatu, ac erectione tendit in *bonum*.

16. Sunt et alij Theologi doctissimi, qui dicunt, Deum ut primum Authorem et Principium bonorum supernaturalium esse objectum formale, et motivum actus Spei. Sic, inquit, Fides tendit formaliter in *Veritatem Divinam*, Charitas in *Bonitatem*, et Spes in *Omnipotentiam*, ratione cujus Deus est principium omnium bonorum. In hunc dicendi modum inclinare videtur S. Thomas varijs in locis, apud quem sicut Fides innititur Deo dicenti, ita Spes Deo auxilianti, qua etiam ratione loquuntur non pauci, qui judicant, in eo esse discrimen Spei supernaturalis a naturali, quod illa Deo nitatur, hæc autem alijs causis. Et vero in hac sententia verum est, in Deo principaliter fundari Spem infusam, quod arbitror esse de fide, dicente Jeremia cap. 7. *Nolite confidere in vobis ipsis*: et cap. 17. *Benedictus homo, qui confidit in Deo*. Sed verò quod Deus, quatenus speramus in ipsum, sit objectum formale, seu motivum, difficile forsitan videbitur. Ratio est in promptu, quia sperare in aliquem duos includit actus, credere nimirum, seu existimare, illam futurum esse mihi auxiliatorem, meque sine illo non posse consequi, quod spero, quod pertinet ad intellectum, et in Spe christiana ad fidem; et voluntatem tendere in illud bonum, et in Auctorem ejus. Hic sane actus ad voluntatem pertinet; sed quatenus tendit in Auctorem bonorum, et ex quo auxilium ad bona obtinenda provenire debet, unice respicit Deum tanquam causam

extrinsecam, et efficientem, non autem tanquam causam motivam. Quod tradit aperte S. Thomas q. 17. art. 4. inquit: *Bonum, quod quis sperat, habet rationem causæ finalis; auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis.* Quod item confirmat art. 5. Cujus etiam rei manifestum est indicium, quod expectare exempli causa sanitatem sive per medicinam, sive per alia media non variat rationem formalem objecti, si in sanitate eadem ipsa bonitas appetatur. Præterea speramus a Deo quædam ex liberalitate, ut primam gratiam, quædam ex justitia, et ex meritis, ut gloriam; quia tamen ratio boni sperati est eadem, est item eadem virtus Spei christianæ. Ratio igitur formalis virtutis Spei est sine dubio ratio boni ad me pertinentis, quod voluntas prosequitur, quocumque tandem modo, sive hoc, sive illo sit bonum obtinendum.

17. Propter hæc tenenda est sententia illa mihi verior, sibi que per omnia consentiens, quæ idem formale objectum assignat spei, atque actui amoris concupiscentiæ, cui eadem innititur. Nam ex amore nascitur desiderium, quod quidem si versetur circa rem excellentem, et ad consequendum difficilem, erit spes, quæ non debet distinguui saltem realiter a desiderio. Nam quod res sit excellens, sit alta, sit difficilis, efficere id quidem potest, ut desiderium sit difficilimum ad eliciendum, nobilius, aut generosius; efficere autem non potest, ut tale non sit. Et vero quis neget, desiderare me posse bonum absens amatum, quantumvis arduum, et excellens? Profecto intentio efficax obtinendi salutem non differt a desiderio quodam, perfecto tamen, absoluto, et efficaci; illa autem intentio efficax est verissimus actus spei. Illud tamen omittendum non est, actum spei, et desiderium perfectum supra descriptum, licet in eodem actu concurrant, ratione vero, vel denominatione distinguui, unde latius patet desiderium, quam spes: nam omnis appetitus boni absentis desiderium est, sed vero spes exigit desiderium perfectum, et absolutum circa rem difficilem: unde sæpe tendit in bonum, quod non tam ab sperante, quam ab altero pendet, atque adeo alterum respicit, tanquam a quo quis sperat, vel ut principium illius boni. Quo sensu Spes Christiana Deum respicit ut Authorem bonorum juxta illud Genes. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Ex quo patet, quomodo spes dicatur etiam *fiducia*, quia supponit iudicium de bono consequendo, et persuasionem de fidelitate ejus, qui daturus est auxilium, unde non potest elici nisi excitante fide, atque movente ad actum illum perfectum sperandi. Similiter dicitur spes *expectatio* futuræ Beatitudinis, quia non est aliud *expectare*, atque *desiderare* beatitudinem, ut veniat, supposito iudicio, quod ventura sit. Ex iis ergo, quæ hactenus disputata sunt, illud habemus: primo, Theologos omnes convenire in eo, quod amor concupiscentiæ, cui spes innititur, respiciat objectum ut bonum mihi. Hoc supponit

Vasquius, id fatetur Durandus, nec inter cæteros ullus est, qui non consentiat. Habemus secundo: communiorem sententiam supponere actum illum esse supernaturalem. Tertio: circa actum spei aliquam esse inter Doctores dissensionem, quæ Bolgenio favere minime potest; etsi enim discrimen aliquod assignare utcumque posset ex principiis in Dissertatione positis inter actum charitatis Theologicæ, et inter actum spei; at nullam potest assignare differentiam inter actum charitatis, et amorem concupiscentiæ ad spem requisitam, ut videbimus.

§. II.

Ejusdem explicationis continuatio.

18. **J**am vero quoniam judicia prolata sunt Theologorum circa amorem concupiscentiæ erga Deum, quid ipsi circa amorem amicitiae, seu benevolentiae tradiderint, expendamus. Et primo quidem supponendum est, amorem amicitiae, seu benevolentiae, quæ alterum erat membrum divisionis, non esse actum quemdam debilem, et imperfectum, qui elicitur interdum circa Bonitatem Divinam per modum cujusdam benevolentiae, seu complacentiae in Deo. Nam hi actus debiles, et imperfecti, ut bene observat Eximius Doctor cum alias, tum Disput. 2. de charit. sect. I. n. 1. et lib. 2. de Gratia cap. 15. n. 6. 7. 8. et 9. eliciuntur interdum a Peccatoribus (ex auxilio tamen supernaturali), et a Justis, quin tamen ex sua tendentia sint perfecte unitivi voluntatis cum Deo, eumque diligant super omnia. Ad Justos quod attinet, res est certissima, quia similes actus elicitur ex supernaturali motivo Bonitatis Divinae comprehenduntur sub latitudine habitus charitatis, qui non semper operatur secundum totam virtutem suam, unde et sunt etiam meritorii, ut potè elicitur ab homine gratiam habente. Ob hanc rationem non solum voluntas efficax comedendi temperate, sed etiam bonus affectus simplex, et desiderium, licet imperfectum, et inefficax temperate comedendi est ex virtute temperantiae, quia participat honestatem, imperfecto tamen modo, ejusdem speciei. Id ipsum de actibus illis imperfectis dicendum, qui ad eundem ordinem amoris pertinent, et ejusdem ignis quasi scintillae sunt.

19. De Peccatoribus res etiam videtur longe probabilis, quod ex Dei auxilio, et motione Spiritus Sancti concipiant actus illos imperfectos. Imo consentaneum est providentiæ divinae gratiae, ut interdum peccator ad hos affectus inflammetur, sic enim fiet, ut ab imperfecto ad perfectum paulatim procedat. Neque propterea dicendum est, ut idem Auctor opportune subjungit, peccatorem posse charitatem habere, quia charitas absolute dicta vel significat habitum, vel absolutam conversionem animae in Deum gratiae Authorem per amorem perfectum. Id quod insinuasse videtur S. Thomas, cum Supplem.

3. p. 9. 5. art. 3. scripsit: *amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis*. Doctrinam hæc bene intellexit Bolgenius in 2. parte Dissertationis, quamquam non bene illam extendit ad charitatem incipientium, quæ tamen vera charitas est. Si autem eam in memoriam revocasset, cum explicandum suscepit articulum, in quo negat S. Thomas, *benevolentiam esse amicitiam*, ejus mentem explicasset multo sane verius, et cohærentius; nec ut arbitror, sic abjecte loqueretur de amore benevolentia Theologorum, si considerasset, non magni facere illos hanc imperfectam, debilem, et affectivam benevolentiam, cum de dilectione Dei efficaci super omnia, et de benevolentia omnino efficaci, et appetitiva tractatur. Igitur amor amicitia, seu benevolentia, quem vocant Theologi charitatem actualem, et justificantem extra Sacramentum, debet esse super omnia, et propter Deum summe dilectum in ordine supernaturali gratia, et gloria.

20. Sed vero quid sibi volunt verba illa, inquiet aliquis, *amor super omnia*? Actus ne intensionem significant, an appetitionem amoris cum actuali consideratione, seu comparatione intellectus inter Deum, et cætera bona? Respondeo, non significare intensionem actus proprie talem, quæ licet actui charitatis non repugnet, necessaria non est, nec ex ullo principio probari potest conatus summus possibilis in actu charitatis vel ex natura actus, vel ex obligatione præcepti; quin potius alii sunt aliis charitatis actus intensiores, cum sint in eadem specie charitatis. Nec item verba illa significant appetitionem cum actuali consideratione, vel comparatione intellectus. Potest quidem hæc intercedere, ut per se patet, et interdum potest esse utilis, sed tamen necessaria non est; quia potest actus tendere modo perfecto in suum objectum absolute, et simpliciter propositum. Addo insuper, comparationem illam, ut dici solet de perfecta contritione, esse posse noxiam, ut quæ avertere potest voluntatem: unde non est omnibus consulenda propter pericula; namque sensibilibus multum movemur. Illa igitur appetitio sita est in ipsa natura actus, per quem voluntas perfecte unitur Bonitati Dei supernaturali propter se ipsam, quod sic explico. Præter amorem illum debilem, et pure affectivum, de quo supra, datur et alius amor perfecte unitivus, qui dicitur *obediencialis*, quia per illum voluntas non solum vult Deo bonum, quod in se habet, sed etiam vult Deo placere in omnibus, et consequenter vel formaliter, vel virtualiter fugit quidquid Divinae Bonitati, voluntati, aut honori contrarium est. Hic autem amor est *obediencialis*, et super omnia; est amor verus amicitia, et habet repugnantiam cum affectu peccandi, et tandem est impletio legis, vel includit formalem, aut virtualem voluntatem servandi præcepta.

21. Id quod optime explicat P. Suarez lib. 1. de necessit. gratia cap. 31. n. 13. hisce verbis: *Amor Dei super omnia esse debet amor obediencialis, quo voluntas velit Deo non solum Bonitatem, quam in se*
hæ-

habet, sed etiam propter illam velit Deo placere in omnibus, et fugere omnia contraria, solum ut ei complaceat: nam hic amor in primis nititur in Summa Dei Bonitate propter se ipsam, et ita ex hac parte est summus. Deinde complectitur omne bonum divinum non solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum, et ex hac parte est etiam super omnia, videlicet quæ possunt Deo displicere, aut ab illo quacumque ratione avertere. Denique de se est amor amicitiae, quia perfecte unit voluntatem amantis voluntati divinæ, et de se excludit omnem Dei offensam saltem gravem, quod ad amicitiam necessarium est, et sufficit. Et hac ratione talis amor habet repugnantiam cum actuali affectu peccati, et includit formalem, vel virtuales voluntatem servandi mandata juxta verbum Christi Joan. 14. Qui diligit me, mandata mea servabit; unde etiam ad hunc amorem super omnia necessarium est, ut sit per absolutum decretum, seu propositum voluntatis, quod explicatur hac voce: volo Deo omne bonum ejus, seu illi placere in omnibus. Atque hæc quidem Eximius Doctor, ut explicet amorem Dei super omnia. Bene autem advertit, amorem in hoc gradu constitutum debere saltem excludere natura sua omnem offensam saltem gravem; id enim requiritur ad veram amicitiam; per quæ verba satis significat, posse amorem Dei super omnia esse ex Dei gratia tantæ virtutis, sublimitatis, et excellentiæ, ut natura sua excludat, quandiu durat, omnem offensam levem, imo etiam imperfectionem. Sed tantæ puritatis, vel celsitudinis amor non nisi animabus cum Deo maxime unitis concedi solet.

22. Modum hunc exponendi amorem Dei super omnia, quem Suarez hic tradit, tenet perpetuo S. Thomas, per *subjectionem* scilicet voluntatis nostræ ad voluntatem Dei, et per *traditionem immediatam* creaturæ creatori suo, ut ei complaceat propter ipsum. *Est igitur, inquit 2. 2. q. 24. art. 12. de ratione charitatis, ut sic diligit Deum, quod in omnibus velit se ei subiicere.* Simili modo amorem Dei designant Irenæus, Chrysostomus, Augustinus, Leo, Gregorius, Bernardus, et cæteri Patres, quos dabimus oratione longa, et continenti.

23. Ex dictis ponenda sunt in medio attributa, et proprietates amoris utriusque, amoris nempe concupiscentiæ, et amoris amicitiae, seu benevolentiae. Primo igitur amor concupiscentiæ intendit propriam felicitatem; amor amicitiae, seu benevolentiae respicit felicitatem, et beatitudinem amati. Secundo amor concupiscentiæ agit causam amantis; amor amicitiae, seu benevolentiae agit causam amati. Tertio amor concupiscentiæ est quidem unitivus, inhæsius, et extaticus, sed imperfecte, cum non sistat in objecto amato, nec ei sic inhæreat, ut non revertat in amantem, qui aliquid habere intendit ex amore; at amor amicitiae, seu benevolentiae est perfecte unitivus, atque inhæsius, et sic extaticus, et in amatum transiens, atque sistens, ut ex eo nihil quærat, sed unice sit intentus, ut illi placeat, ejusque habeat curam, et quasi providentiam in bonis amati procurandis, et in ar-

cen-

cendis malis. Ut enim optime S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 3. *Secundam*, inquit, *extasim (voluntatis) facit amor directe, simpliciter quidem amor amicitiae, amor autem concupiscentiae non simpliciter, sed secundum quid. Nam in amore concupiscentiae quodammodo fertur amans extra se ipsum, in quantum scilicet non contentus gaudere de bono, quod habet, querit frui aliquo extra se: sed quia illud extrinsecum bonum querit sibi habere, non exit simpliciter extra se, sed talis affectio in fine intra ipsum includitur. Sed in amore amicitiae affectus alicujus simpliciter exit extra se, quia vult amico bonum, et operatur bonum, quasi gerens curam, et providentiam ipsius propter ipsum amicum.*

24. Quarto zelus, qui enascitur ex amore concupiscentiae, movetur ex Angelico Doctore q. sequenti contra omne illud, quod repugnat consecutioni, vel fuitioni quietae ejus, quod amatur. Amor autem amicitiae querit bonum amici, unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici. Et secundum hoc aliquis dicitur zelare pro bono amici, quando si quae dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quae sunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur secundum illud 3. Reg. 19. *Zelatus sum pro Domino exercituum. Et Joan. 2. super Zelus domus tuae comedit me, dicit Glos. (ordin. ex August. tract. 19. in Joan. tom. 9) quod bono zelo comeditur, qui qualibet prava, quae viderit, corrigere satagit, si nequit, tolerat, et gemit. Hæc S. Thomæ verba sunt, ex quibus amoris benevolentiae, seu amicitiae natura, ejusque discrimen ingens ab amore concupiscentiae optime intelligitur per effectum zeli naturae longe diversae, qui nascitur ex utroque. Atque hinc oritur etiam illa differentia inter duos amores, quod benevolentiae proprium est *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*; at concupiscentiae id tantum est, ut de proprio gaudeat bono et ob malum fleat privatum. Quinto: id quod potissimum observatum velim, amor amicitiae, seu benevolentiae est actus nobilissimus virtutis, quae est *plenitudo legis*, unde *qui diligit proximum*, ut habetur ad Rom. 13. *legem implevit*; at amor concupiscentiae non est actus virtutis, quae legis sit plenitudo, nec qui amat, et sibi concupiscit æternam beatitudinem, legem hoc modo implet. Quod sane discrimen, quamvis per se patere videatur, ex principiis tamen Theologicis stabilendam est, atque firmandum.*

25. Profecto charitas dicitur *legis plenitudo*, non quia ipsa per se impleat formaliter omnia præcepta, vel quia eliciat efficienter actus omnes, qui sub præcepto sunt, ut supra monuimus; nam credere, sperare, aliaque agere, quae in præceptis sunt aliarum virtutum, ab earum unaquaque fiunt, et eliciuntur; sed quia virtutes omnes informat, et dirigit, easque movet, imperat, et determinat ad suorum exercitium actuum. Et hæc est causa, cur Charitas sit, et vere di-

catur radix, et mater omnium virtutum, nec sine illis esse possit in aliquo subjecto. Unde illi tribuuntur actus ab ea quidem imperati, sed elicit a cæteris virtutibus juxta illud Apostoli I. ad Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est. Non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quibus in verbis multi continentur virtutum actus non elicit immediate a charitate, sed vero omnes illi imperantur ab illa, et ordinantur ab eadem suum in finem, et objectum motivum. Cum nihil aliud in imperio respiciat, nisi Deo placere propter se ipsum. Quam ob causam disserte inquit Apostolus. *Non quæris, quæ sua sunt.* Quærit igitur quæ Dei sunt bona. Et hæc quidem de parte prima, veniamus ad alteram, et inspiciamus, an amor concupiscentiæ sit in vero quodam sensu *impletio legis*, vel eliciatur immediate a virtute, quæ sit *legis plenitudo*.

26. Amor concupiscentiæ futuræ beatitudinis, quantumvis ille sit firmus, et efficax, esse potest in homine peccatore, in quo existere posse Spem Theologicam non modo quoad habitum, sed etiam quoad actum sperandi, nemo est, qui possit in dubium revocare. Spes autem sine amore esse non potest, ut Augustinus ajebat. Nulla quippe ratione fieri potest, ut quis speret, atque desideret efficaciter, quod non amat. Si ergo peccator æternam sperat felicitatem, illam absque dubitatione amat, et prosequitur. Quod notavit S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 6. dicens: *Spes præsupponit amorem ejus, quod quis adipisci se sperat, qui est amor concupiscentiæ.* Similia tradit alijs in locis. Præterea satis, credo, probatum est in præcedentibus, actum illum concupiscentiæ ad eandem pertinere virtutem, ad quam spectat actus desiderandi, et sperandi. Ex quo fit, ut sicut actus sperandi, et desiderandi beatitudinem non est impletio totius legis, ita nec amor concupiscentiæ æternæ beatitudinis habere possit illum principatum. Ex eodem principio manifeste concluditur, amorem concupiscentiæ non esse actum virtutis, quæ sit *radix, mater, et forma* cæterarum virtutum, nisi velis, ut peccator eliciens actum sperandi beatitudinem æternam, quam amat, atque desiderat, statim justificetur, ut pote jam habens radicem, matrem, et formam omnium virtutum.

27. Dicit fortasse Bolgenius, posse quem ex amore concupiscentiæ æternæ Beatitudinis efficaciter velle legem implere. Verum id omnino nihil refert. Nam potest Spes ipsa per actus, quos illi voluerit assignare Bolgenius, exercere illud imperium, et velle efficaciter legem implere, nec ideo tamen erit legis plenitudo, nisi eam confundat cum Charitate Theologica. Idem argumentum fieri potest in virtute Religionis, et in alijs virtutibus, quin tamen earum aliqua aut sit Charitas, aut ei de principatu litem intendat. Imperium ergo Charitati

tati conveniens super virtutes cæteras exercetur ab illa, ut forma virtutum, atque adeo per se, et primario, cum enim non tam sit *motus in finem*, quam *conformatio ad finem*, ut inquit S. Thomas, moveret per se cæteras virtutes, ut tendant in finem; hinc ex uno motivo Bonitatis Divinæ illas per se determinat ad suos actus, non quærens quæ sua sunt, sed quæ sunt Dei bona, quæque ipsi placent, ut agebat Apostolus. At actus ille concupiscentiæ, sicut etiam Spes, potest movere cæteras virtutes, et charitatem ipsam, sed secundario, et quasi per accidens, non ex uno motivo Bonitatis divinæ, sed ex motivo remunerationis, quærens nimirum ea, quæ sua sunt, non autem quæ sunt Dei bona intrinseca, et extrinseca.

§. III.

Quid peccet Bolgenius in propositione argumenti?

28. **C**um argumenti cujusque propositio facilior multo sit, atque expeditior, quam ejus probatio, et contrariorum solutio, ac enodatio, nullus profecto crederet, elapsa hic etiam fuisse Auctori non pauca, quæ castigatione indigerent. Et primo quidem culpa non vacat prima ipsa Dissertationis linea, quæ verbis illis continetur, *Agitur in hac Dissertatione non jam de charitate habituali, quæ dicitur etiam Gratia sanctificans*. Quasi nimirum nullum esset inter Theologos dubium, nullaque inter sapientes contentio, an charitas habitualis sit Gratia sanctificans, an vero habitus supernaturalis emanans a Gratia (sicut et cætera supernaturales virtutes), atque ab illa distinctus? Litem hanc esse sub iudice, vix quisquam ignorat Theologorum. Et mihi quidem probabilior est opinio distinctionem affirmans, quæ sane sententia recepta est a pluribus, et gravioribus Theologis, satis conformis Patribus, magis commendans naturam gratiæ, et melius servans ordinem supernaturalem. Nam gratia est nova nativitas, seu natura in ordine supernaturali, ex qua fluunt, seu emanant tanquam proprietates ejus supernaturales virtutes. Id quod insinuare videtur S. Petrus 2. cap. 1. *Maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Item Apost. ad Rom. cap. 8. *Accipistis spiritum adoptionis Filiorum*. Parva, inquires, culpa illa est. Nec ego magnam esse contendo, sed tamen esse aliquam, omnino video. Namque illa scribendi ratione ansa datur lectori, ut non dubitet de controversa identitate. Præterea hoc offendiculum præparasse legenti vel in primo Dissertationis versiculo, parum profecto decet Theologum tenacem notionis exactæ, qui ad discutiendam se præparat naturam charitatis Theologicæ. Ego sane Bolgenio auctor fuissem, ut scriberet: *Non agitur hic de charitate habituali, quæ vel est Gratia sanctificans, vel certe habitus cum ea semper conjunctus*. Hac scriben-

di ratione omnis, quæ irrepere posset ambiguitas, sublata esset. Hoc primum, veniamus ad alterum.

29. *Amor benevolentiae*, inquit Auctor, *apud Theologos est ille, quo quis amat Deum infinite bonum, sanctum, justum, et perfectum in se ipso sine ullo ad bonum nostrum, aut felicitatem respectu, aut relatione.* Verba ista rite intellecta non male exprimunt amorem benevolentiae, sed illa observo non bene intelligi ab Auctore in Dissertatione, in qua satis demonstrat, excludere Theologos ab objecto benevolentiae omnem prorsus respectum ad amantem, unde moventilli stomachum voculae illae *in se, secundum se*. Ut ab hoc ultimo incipiam, illud sciat, oportet, Bolgenius, voculas illas desumpsisse Theologos ex Philosophis non malae latinitalis, et recte quidem sententibus hac in re; et quod majus est, eas decerpisse, ut taceam de cæteris Patribus, ex Bernardo, Thoma, Bonaventura, et Antonino. *To in se* utitur Bernardus ad exprimendum objectum motivum charitatis. *To in se* utitur Angelicus in rem eandem. Quod idem observare licet in Bonaventura, et Antonino. Quid ergo Theologis vertitur crimini, quod Patribus tribuitur laudi? Præterea voces illae aptissimæ procul dubio sunt, rem ut significant, quam intendunt Theologi, nimirum objectum motivum actus charitatis esse Deum solum, nihilque ad actum illum movere, quod non sit in Deo. Hoc est igitur habere *in se* rationem motivam. Quapropter *To in se* non est solum objectum intellectus, ut contendit Auctor, sed est, et objectum voluntatem movens. Profecto Bolgenius in Declarationibus pag. 23. sic scribit: *quisque jus habet, ut sibi placet, explicandi se, si modo sensum designet expressionum, quibus utitur.* De hoc ego pronuntiato modo non disputo, dicturus plura, si esset opus. Sed tamen in rem meam illud contra Bolgenium verto. Quis enim Theologis imputet, quod sensum vocularum *id in se* non satis definiant? An quod sibi ipse Auctor assumit, id a Theologis non sine crimine assumetur?

30. At quem respectum admittit amor benevolentiae Theologorum, quem item excludit respectum, et relationem? Satis de hoc dictum est nobis in præcedentibus, ex quibus constat apertissime objectum charitatis Theologicæ importare respectum convenientiæ, proportionis, et consentaneitatis cum natura rationali ad gratiam elevata, seu per fidem illustrata. Est enim Divina Bonitas supernaturaliter cognita objectum *maxime per se decens* hominem Theologicè consideratum. Importat item Divina Bonitas respectum fundatum in *universali Bono*, ad quod cætera bona revocantur, in quo continentur omnia, et a quo omnia dependent, ut diximus ex S. Thoma, et ex Suario. Præterea non excludit amor benevolentiae ab objecto motivo respectum fundatum in *tendentia intentionali*, seu affectiva amoris Dei erga nos. Qui enim Deum amat, quia amatur a Deo, vere amat Deum propter ipsam, nam amor Dei erga nos Deus ipse est; amat igitur Deum *in*

se, et nihil est extra Deum, quod ad amorem moveat. Importuna prorsus esset in argumento præsentis discussio illa difficilis de actibus Dei liberis, et de eorum constitutione. Tene, quod velis; inde mihi nihil officies. Nam si terminatio actuum Dei liberorum sit extrinseca, ut docetur communiter, nulla est difficultas in eo, quod amans Deum propter amorem suum Deum amet propter ipsum. Si vero dicatur alterum, et contendatur amorem Dei in ratione liberi constitui de obliquo, ut dicunt, per actionem ad extra, tunc quod ad amorem movet, non est actio ad extra, sed natura ipsa amoris, quæ Deus est.

31. Amor igitur amicitiae, seu benevolentiae unice excludit ab objecto amato, ejusque ratione motiva respectum, aut relationem, ex qua proprium trahat commodum, aut utilitatem. Tunc enim non sistit in objecto, sed ad amantem revertit, ut videre licet in amore præcedente actum sperandi: amans enim beatitudinem, quam sperat, proprium commodum, et utilitatem intendit, et amor illud procurans non sistit in objecto, sed ad amantem regreditur, in ipsumque reflectit. Ex quo fit, ut ratio motiva similis amoris non sit Deus solus, sed etiam aliquid, ex quo Deus reddat amantem beatum, nempe actualem Dei consecutionem, ut explicatum est supra. Et hæc quidem addenda erant explicationi amoris benevolentiae, quam Bolgenius tradit: videamus, quo explicet pacto amorem concupiscentiae, in quo notanda sunt alia.

32. Exprimit Auctor amorem concupiscentiae erga Deum verbis istis: *amo te Deus meus, quia es Summum Bonum meum, nempe ultimus finis meus, mea ultima felicitas, et desidero te frui, et te in æternum possidere.* Qua in re hoc primum observo, quod, licet Bolgenius amorem asserat esse desiderium, atque adeo non duos esse actus, sed unum tantum esse pronuntiet; in expositione tamen data, natura ipsa vincente præjudicium, non unum, sed duos agnoscit: *amo te . . . et desidero te frui.* Videtur enim vel natura ipsa dictare, nos primum rem amare, et deinde illam desiderare. Profecto quod duo isti actus diversi sunt, præter alias dicta de diverso modo tendendi in suum obiectum, proprio etiam cujusque experimento comprobari potest. Nam contingit sæpe rem amare, et illam non desiderare. Et negari a nemine potest, quod dari potest odium mali sine fuga ejusdem, et sine tristitia, ut evidens est in Deo, et in Beatis, et sæpe etiam in nobis ipsis; ergo et dari potest amor sine desiderio, et gaudio. Quod enim est odium in malo, est et amor in bono, et ut ad fugam se habet odium, sic se habet amor ad desiderium.

33. Deinde nisi Bolgenius ponat tres illas conjugationes affectuum, de quibus toties S. Thomas tum 1. 2. tum 2. 2., parum sane congruenter, quin et omnino non salvabit dictum Apostoli; *Charitas nunquam excidit.* Nam si amor in via est formaliter desiderium, et gaudium in Patria, ut ex Augustino contendit non bene intellecto,

non erit in Patria eadem charitas et quoad habitum, et quoad actum, ut docet expresse S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 6. et cum eo communiter Theologi. Et vero Apostolus, ut notat Exim. Doctor disp. 3. de charit. sect. 3. de actibus potius loquitur, quam de habitibus. Nam quoad actus amandi beatitudinem, eaque fruendi manet etiam habitus Spei; quia tamen non manet penes actum præcipuum sperandi, non manet Spes. De actu igitur diligendi, quem habemus in via, instituit præcipue sermonem S. Paulus, cum dicit: *Charitas nunquam excidit*. Quas rationes allegat S. Thomas loco laudato, illæ sunt optimæ. Prima est, quod amor nullam dicit imperfectionem, quia potest esse amor et *habiti, et non habiti, et visi, et non visi*. Altera, quia actus amoris Dei non habet pro objecto cognitionem, sed habet pro objecto *rem cognitam, quæ est eadem et in via, et in Patria, scilicet ipsum Deum*. Quæ rationes ita Suario probantur, ut scripserit loco citato: *Mibi certe probabilissimum est de facto, Beatam Virginem in suo transitu actum divini amoris non interrupisse, sed eundem numero in Patria, quamvis necessario, et majori perfectione continuasse*. Fateatur ergo Bolgenius remansurum in Patria amorem Dei, quem habemus in via; at non remanebit desiderium ab eo descriptum: hoc igitur non est amor viæ. Quare ut Pauli dictum salvetur, dicendum necessario est, amorem, desiderium, et gaudium tres esse actus ex sua tendentia distinctos, et amorem viæ permanere in Patria simul cum gaudio, ubi non est desiderium. Quo scilicet recte sentiendi modo apte intelligitur non excidere in Patria Charitatem secundum actum præcipuum diligendi quem habemus in via, excidere autem Spem secundum actum sperandi. Nam spes ex S. Thoma hic art. 4. importat motum quendam in id, quod non habetur. Et quod videt quis, ait Apostolus 8. ad Roman. quid sperat?

34. At Augustinus, inquit Bolgenius, lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. clarissimis hisce verbis describit amorem: *amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas est*. Audio te jam a principio semel, & iterum proponentem hunc Augustini locum, et in cæteris Dissertationis capitibus sæpe repetentem, quasi nimirum Theologi non illum legerint unquam, vel certe non satis consideraverint. Est igitur ille per quam obvius apud Theologos, qui mentem Augustini optime tenent, cum dicunt, propositionem illam Augustini esse causalem, in eaque doceri, amorem esse causam omnium affectionum, ex eoque oriri cupiditatem inhiantem. Audi Azorium in explicando Augustino solertem æque, ac fidelem, et in definiendis animi affectibus perspicacissimum. Sic enim scribit lib. 3. Instit. Moral. cap. 4. super hunc S. Doctoris locum. *Augustinus vero per amorem tanquam per causam, et originem omnes affectus definiit, non autem quod omnis affectus ratione sua, et natura sua sit amor. Sæpe res definitur per causas, ex quibus oriuntur, non per formas, ex quibus habent, ut sint*. Video te, movendum pa-

rum Azorij auctoritate, ejus tamen ratio movere te aliquantulum deberet. Veniamus ad S. Thomam Theologorum Principem, qui sua te frangere videtur auctoritate in ijs, quæ contra nos ex illo producis. Quo pacto disserit Angelicus Doctor in hunc Augustini locum? Ita quidem l. 2. q. 26. art. 1. ad 2. *Dicendum quod amor dicitur (ab Augustino, cujus objecerat verba) esse timor, gaudium, cupiditas, et tristitia, non quidem essentialiter, sed causaliter.* Idem fere dixerat q. 25. art. 2. *Omnes scilicet passiones ex Augustino ab amore causari. Amor enim inhians habere, quod amatur, cupiditas est.* Et reddit rationem adjungens: *nos autem ut plurimum per effectum cognoscimus causam. Effectus autem amoris, quando quidem habetur ipsum amatum, est delectatio quando non habetur, est desiderium, vel concupiscentia. Ut enim Augustinus dicit 10. de Trinit. cap. 12. Amor magis sentitur, cum eum prodit indigentia.* En, mi Bologeni, quo modo idioma referat Platonis Augustinus obscura explicans per clariora, et quam præclare id advertens Angelicus illius mentem assequatur. Id a te observatum maxime vellem: nullam tu profecto occasionem sumpsisses a vero Augustini sensu discedendi.

35. Quod si auctoritate S. Thomæ, ejusque ratione non omnino de opinione concepta movearis, veniamus ad Augustini verba, quæ si semel tantum excripisisses omnia, rem ipsam in bono, imo et apertissimo lumine collocasses. Hæc sunt Augustini verba, quorum tamen partem minimam, tibi que ad speciem faventem protulisti. *Recta itaque voluntas est bonus amor, et voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, lætitia est: fugiens, quod ei adversatur, timor est, idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor, bona, si bonus.* Nullum fore dubito, qui legens ea non videat, hic nobis Augustinum proponere amorem tanquam causam, radicem, et originem omnium affectionum. Profecto eo sensu amor exprimitur cupiditas, quo lætitia, quo timor, quo tristitia; atqui natura amoris non est lætitia, non timor, non tristitia, sed radix, et causa lætitiæ, timoris, et tristitiæ; eodem igitur in sensu non est cupiditas, sed radix, et causa cupiditatis. Propterea præmisit Augustinus: *bonus amor recta voluntas, malus amor perversa voluntas.* Quibus in verbis continetur radix, et causa cæterarum affectionum. Et idcirco claudit discursum ultimis illis: *Proinde mala sunt ista, si malus est amor, bona, si bonus.* Nimirum malus effectus, si mala causa, bonus effectus, si bona causa. Et vero si quis, nec multum quidem attente, consideret naturam, et essentiam lætitiæ, timoris, et tristitiæ inveniet protinus eos effectus non esse formaliter amorem, sed effectus amoris. Quod idem inveniet in cupiditate, quæ quia magis prodit indigentiam, magis etiam prodit amorem, ut agebat S. Doctor. Quid est igitur tristitia? Quid timor? Tristitia est amaritudo quædam vitalis ex præsentia mali quod odio habemus, resultans. Timor est desiderium vitandi rem malam in-

stantem, quam aversamur. Atqui nec amaritudo illa est formaliter amor, nec desiderium illud rem avertendi est natura sua amor ipse; sed ex eo potius, quod bonum amamus, malum timemus contrarium, si sit imminens, et de illo contristamur, si jam sit præsens, et vitari non possit. Quidquod Bolgenius ad casum quendam conscientiae a Mediolanensis propositum de actu Contritionis respondet in Declarationibus p. 121. (quo tamen fundamento suo loco examinabitur) fieri minime posse, ut unus actus esse simul possit amor, et odium? Nam ille actus conjunctionem importat, hic autem disjunctionem. Qui sic respondet, abest sane multum, ut componere possit in eodem actu amorem, timorem, et tristitiam. Nam in amore, et odio directe quidem oppositis non videtur in eo esse difficultas, quod in eodem actu convenire possint, si sermo sit de diversis objectis, et inter se subordinatis; at in amore, et timore, sicut in amore, atque tristitia repugnancia videtur insuperabilis.

36. Ut hæc in Auctore parum placent, sic displicet maxime, quod scribit sub finem hujus capitis. *Theologos Scholasticos convenire in divisione præfata, et duorum amorum explicatione. Ego vero dico, addit ipse, memoratam distinctionem non habere locum in charitate actuali.* Quid est quod lego, Cl. Bolgeni? *Convenire Theologos?* Theologos igitur deseris Scholasticos addens: *Ego vero dico non habere locum.* Cur igitur in Declarationibus vel ab ipsa Præfatione conquereris quod de hoc crimine sis in iudicium vocatus? Nonne verbis ipse tuis accusationem instituis? Et quasi sint pauca, quæ modo retuli verba, nonne addis contra te ipsum verba alia cum expressione magis extensa? *In re omnes* (nullo nempe Theologorum excepto) *conveniunt in sensu distinctionis, et divisionis a nobis data.* Cur igitur crimen semel, et iterum in Dissertatione a te confessum, id ipsum in Præfatione Declarationum negas, et pernegas, scribens: *Hæc accusatio apparenter vera est, sed in substantia, seu in re falsa est?* Mi bone, non ne asseris Theologos in re convenire in sensu distinctionis, et divisionis a te explicatæ? Nonne inquis immediate: *Ego vero dico, memoratam distinctionem* (in sensu a te exposito, in qua Theologi in re conveniunt) *non habere locum in charitate actuali?* Ergo in tua illa charitate non habet locum illa doctrina, in qua Theologi omnes conveniunt in re. Discedis igitur in re, et in substantia ab omnibus Theologis. Accusatio erga illa est vera in re, et in substantia. Quod et ipse plane confirmas in Dissertatione, in qua ne unum quidem producis Theologorum, qui amorem benevolentiae fictitium esse judicaverit.

37. Præterea in ipso Proemio Declarationum, in quo pronuntias (quis crederet!) *Scholasticos primæ Classis, et ex omni Schola, et in maximo numero* (exceptis quibusdam minoris auctoritatis) *pro te militare.* ut accusationem elevare conaris, honorem illis deferens, ita illam firmas, et auge sequentibus verbis: *nomine Boni nostri intelligunt ipsi*

ipsi solam fruitionem Dei considerati in se, et in essentia sua. Non id asserunt, Bolgeni mi, Theologi primæ classis, secundæ, vel tertiæ, fruitionem scilicet Dei in se considerati esse objectum motivum amoris benevolentia, sed Deum ipsum in se, secundum se movere ad amorem benevolentia, et dum oppositum sensum illis affigis, his peccas. Primum quia in re deseris illos. Alterum quia id eos dixisse contendis, quod in eorum mentes minime venit.

38. Producis quidem pag. 45. Declarationum testimonium Suarii disp. I. de Charit. sect. 2. n. 6. dicentis: *Nam licet benevolentia amor non tendat in objectum ut bonum amantis (alioquin jam non esset amor benevolentia, sed concupiscentia) requirit tamen conjunctionem aliquam inter amatum, et amantem: verbi gratia: licet ita amem Patrem, vel amicum, ut velim illis bonum propter se; tamen hic amor non esset, nisi illos apprehenderem, ut unum necum, et mihi conjunctos, ut dicit Aristoteles 8. Ethic. cap. 2. amabile bonum, unicuique autem proprium.... Hinc fit ulterius, objectum benevolentia, quamvis propter se ametur, ita tamen amari ut simul appetatur conjunctio, et unio cum tali objecto: hoc enim requiritur ad perfectionem amicitia. Si Suarius his in verbis tuam in re tradit sententiam, poteris etiam laudare Theologos secundæ, et tertiæ classis, et me ipsum quoque, si locum habere possum in quarta. Namque id ipsum docent omnes, et ego forsitan dixi majus quidquam sine detrimento amoris benevolentia. Est etiam et illud, quod jure miremur, quod scilicet Bolgenius post factas aliquas in verba Suarii reflexiones, in quibus satis ostendit, illius se mentem non vere tenere, in hæc tandem verba descendat. *Vident profecto Lectores ex considerationibus supra factis talem oriri rerum confusionem, ut laudatus Suarii locus sit inextricabilis labyrinthus.* Ita profecto, Cl. Domine, Suarii locus est *inextricabilis error.* Sed mihi crede, non est opus Dædaleo ingenio, ut exitus inveniatur. Da manum, precor, et ego ipse dolos tecti, ambagesque resolvam, commonstrans iter, et exitum designans. Est autem ille securus, et obvius, quod scilicet omnes, et cum iis Pater Suarez in loco laudato supponunt ad quemvis amorem, indeque etiam benevolentia, prærequiri primam illam *conjunctionem*, qua deficiente non esset amor, qui unice terminari potest ad bonum, quod sit amato conveniens. Altera *conjunctio*, et unio cum objecto, quæ requiritur ad perfectionem amicitia, appetitur etiam per amorem. Sed vero hæc non est illa, quæ præsupponitur, sed ad quam aspirat amor intendens maximam unionem, quam potest et motivum hujus intentionis non est conjunctio ipsa, sed amatus ipse propter se. Ipse est enim, qui movet ad appetitionem conjunctionis cum eodem. Qua de re fusius in capite tertio.*

39. Alia nisi proferas ex Suario, vel ex aliis Theologis cujuscumque classis, id unum colligam, non esse te assecutum satis mentem Theologorum. Et vero unum è duobus fieri necesse est, ut vel om-

nes fere Theologi sibi ipsis non constant tibi nempe faventes, et amorem simul benevolentiae disserte tradentes, vel ut eorum loquendi rationem non omnino intellexeris. Hoc ultimum, quod magis est sine dubio credibile, pace tua, factum dixerim. Etenim facilius est multo, errare hominem unum quamvis sapientem, et ingeniosum, quam tot viros iudicio commendatos, et omni excultos doctrina sibi ipsis turpiter contradicere. Fatendum est ergo tibi, charissime Bolgeni, a Theologis te discedere, et quidem omnibus, ut palam in Dissertatione dixisti. *Omnes in re conveniunt; ego vero dico, locum non habere.* Quod si ad Declarationes confugas, erit *mala causa pejus patrocinium*, nam et tibi ipsi contradices, et ut mihi clarum videtur, omnibus fere Theologis calumniam impinges literariam ex interpretatione sinistra.

40. Hæc cum ita sint, ut probavi, et ratio ipsa demonstrat, id unum addendum superest, quo fortasse Auctor commovebitur. Ego certe plurimum commoverer, si quæ de Theologis scribit ille, aliqua ex parte firmassem. Quodnam autem hoc aliud? Regula hæc est S. Ignatii ad orthodoxe sentiendum undecima, in qua nos docet Doctrinam Sacram plurimi facere, tum eam, quæ *positiva* dicitur, tum quæ *Scholastica*. *Peculiare est*, inquit, *Beato Thomæ, Bonaventuræ, et Magistro Sententiarum, et aliis Recentioribus Theologis dogmata ad salutem necessaria exactius tradere, atque definire, prout convenit suis temporibus, et posteris ad errores hæresum confutandos: si quidem Doctores huiusmodi, ut sunt tempore posteriores, non solum Scripturæ Sacræ intelligentia præditi sunt, et veterum Auctorum juvantur scriptis, sed etiam cum influxu Divini luminis, Conciliorum Sanctionibus, Decretis, et variis Ecclesiæ Sanctæ Constitutionibus ad salutis nostræ subsidium feliciter utuntur.* Hæc pro Scholasticis Doctoribus contra Bolgenium Ignatius.

41. Nec huic vulnere mederi se posse Auctor existimet, quod S. Bonaventura actum concupiscentiæ perfectæ ad charitatem dicat posse *probabiliter* pertinere. Est enim hæc alia quæstio longe diversa ab ea, de qua in præsentibus tractamus, an sit nimirum chimæricus amor benevolentiae mille locis a S. Thoma traditus, a Bonaventura diserte signatus ut primarius Charitatis actus, a Magistro Sententiarum, cæterisque Theologis omnibus sine ulla contentionis specie constantissima traditione receptus? Et vero si Cl. Auctor illud unum intenderet, quos sequi posset duces, in promptu haberet, atque in primis Bonaventuram, qui clare præ cæteris sententiam illam sustinet ut *probabilem*; sed tamen quicumque sint illi, sartum tectum servant omnino religiose cum eodem S. Doctore amorem benevolentiae, ut qui actus est verus amicitiae, quo Deo bonum volumus, et optamus, ut cap. 3. demonstrabimus. Sed amorem tollere benevolentiae, eumque fictitium, et chimæricum esse contendere, id plane improbable statuo. Adeo cer-

73

tum mihi est, suam ejus opinionem non probari nec a Verbo scripto, nec a tradito, nec a praxi Ecclesiæ, nec a rationibus Theologicis, aut Philosophicis. Ipsum tamen audiamus incipientes ab iis, quæ nobis producit ex Scriptura.

CAPUT II.

Synopsis capitis secundi, in quo Bolgenius assumptum probare conatur ab Scriptura.

1. **C**um Verbum Scriptum nobis Deum representat ut objectum amoris nostri, eum nobis proponit ut Summum Bonum nostrum, ut æternam nostram felicitatem, ut fontem perennem gaudii nostri, ut beneficium, ut protectorem, ut Thesaurum, ut delectationem nostram. In Testamento veteri audi David in effusione sui cordis exclamantem Ps. 17. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, Deus meus adjutor meus ec. Audi eundem Regium Psalterium Ps. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Domini? Porro desiderium hoc vehemens videndi Deum intelligunt Patres esse actum amoris ardentis. Legatur Chrysostomus in expositione in Psalm. 41. et Augustinus in Expositione in eundem. Præterea in Psalm. 36. quod legitur in versiculo 4. Delectare in Domino explicatur ab Augustino pro eodem atque dilige Dominum. Reddit rationem expositionis in Serm. 17. de verbis Domini per hæc verba notatu digna: Non enim amatur, nisi quod delectat. Rursus Psalm. 26. sic scribitur: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut videam voluptatem Domini. Quod ipsum majore cum energia expressit S. Paulus I. ad Philip. 23. dicens: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Quod desiderium S. Augustinus in Expositione ad Evangelium Joan. Tract. 3. reputat amorem ardentem, æstuantem, anhelantem. David item contritus est corde ad verba Natan ipsi Deum proponentis ut benefactorem: Ego unxi, inquit, te in Regem 2. Reg. cap. 17. v. 7. S. Paulus commendans ad Hebræos 11. fidelitatem Moysis; aspiciebat, inquit, ad remunerationem. Similiter Abrahamo dixit Dominus Genes. 21. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Præmium hoc Christianos excitabat ad opera bona, unde Paulus ad Colos. 4. ait: Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes propter Spem, quæ reposita est vobis in Cælis. Jam vero dilectio Dei in observatione legis consistit: Qui habet mandata mea, et servat ea, dicitur Joan. 14. ille est, qui diligit me.

2. In Testamento novo præter illud Pauli nuper insinuatam, quod intelligitur a S. Thoma 2. 2. q. 24. art. 8. Sed contra de Charitate per-

k

perfecta, S. Joannes diserte loquens de motivo charitatis illud proponit, quod ad nos propriissime spectat: Nos ergo, inquit, diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Super quæ verba ita S. Augustinus Concione 27. in Ps. 118. Sic enim Joannes Apostolus ait: nos diligimus, inquit, Deum, et velut causa quæreretur, quare nos diligere fecit, adjunxit, quoniam ipse prior dilexit nos. S. Lucas cap. 7. in illi Parabola: duo debitores erant cuidam foeneratori. . . clarissime concludit ad rem nostram: cui autem minus dimittitur, minus diligit. S. Math. cap. 6. 21. aperte significare videtur, quod intendimus, verbis illis compendiosis: Ubi enim est Thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. In quæ verba sic ait S. Augustinus lib. 6. de Musica cap. 2. Delectatio quippe quasi pondus est animæ, ubi enim erit Thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum, et ubi delectatio, ibi Thesaurus. Hæc cum ita sint, ubi est in Scriptura Sacra amor benevolentiae Theologorum? Proferant, si possunt testimonium aliquod, in quo ita clare proponatur motivum amoris sui, ut in adductis testimoniis, aliisque plurimis, quæ adduci facile possent exprimitur disertissime motivum amoris concupiscentiæ. Profecto qui rem hanc bene consideret, multum quidem mirabitur, quod Theologi Scholastici amorem tradiderint benevolentiae, cujus in Sacra Pagina nullum extat exemplum, nullumque reperitur vestigium. Non nego in Scriptura Sacra inveniri loca, in quibus nobis Deus proponitur infinite bonus magnus, potens, perfectus in seipso: ut cum Exod. 3. v. 4. dixit Deus ad Moysen: Ego sum, qui sum ec. Sed vero id præ oculis habendum est, Deum in illis locis unice intendere hominibus insinuare cognitionem sui, et perfectionum suarum, non autem eos ad sui amorem excitare, vel incendere. Igitur si amare Deum sub aspectu, respectu, vel relatione a me propositis, non est Deum amare ex charitate Theologica, audeo dicere Verbum Dei scriptum non modo lumen, et instructionem, ut recta via procedamus, non porrigere, sed tenebras potius offundere, ut a recto itinere discedamus.

R E S P O N S I O .

3. **M**ulta congerit Auctor hoc in capite, in quibus aperte confirmat, se nec omni ex parte Theologos intelligere, nec Scripturæ sensum satis assequi, nec statum servare controversiæ, nec tandem quæ sit natura virtutis spei, et quæ sit natura charitatis, apte discernere. Quis crederet tantam fieri posse confusionem virtutum Theologicarum, et quidem ab eo, qui suscepit accurate discutienda motiva Charitatis, et Spei Christianæ? Nec hac rerum confusione contentus eo usque progreditur, ut vehementer mirari se dicat, quod Theologi tradiderint naturam amoris, cujus nullum est in Scriptura vestigium. Et quod legere quidem non potui, quin totus interius, exterius que commoverer, est ultima illa capituli sui clausula, in qua (præfans

fans Auctori honorem dico) mirabilem ausum fidentissimis exponit verbis inquit: *Audeo dicere*. Igitur si Apostolus, dum inquit de Moyse, *aspiciebat in remunerationem*, non indicat motivum amandi Deum ex charitate Theologica, audes dicere, mi Bolgeni, Verbum scriptum non modo lumen non dare recte procedere volentibus, sed tenebras potius offundere, unde a recto aberrant itinere? Modestiam hic tuam desiderabit, qui tranquillo animo verba perpendat. Jam vero priusquam expendamus Scripturæ Sacræ testimonia, quæ ab Auctore hinc inde congeruntur, eorumque planum, et germanum sensum definiamus, amor benevolentiae Theologorum ex utroque Testamento Veteri, et Novo probandus est largiter, et accurate firmandus. Sic enim fiet, ut Lector, causa cognita, per se ipse judicet, qua animi moderatione scriptum a Bolgenio sit, nullum extare vestigium in Sacra Pagina amoris benevolentiae Theologorum.

§. I.

Amor benevolentiae erga Deum adeo non repugnat Scripto Verbo, ut ex eo potius evidentissime demonstretur, et primo quidem, ex intimatione præcepti diligendi Deum.

4. **Q**uamvis alia non essent Scripturæ loca, ex quibus verus amor benevolentiae erga Deum demonstrari posset, ea sola sufficerent, in quibus tum in Veteri Testamento, tum in Novo intimatur omnibus præceptum amandi Deum ex toto corde. Profecto in Deuteron. cap. 6. sic scribitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua*. Id ipsum ferre habetur cap. 10. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, et servius Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua...*? Idem præceptum traditur apud Math. 22. ubi et tria illa proponuntur *ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua*: apud Marcum autem cap. 12. quatuor exprimuntur *ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et ex tota virtute*. Quæ omnia habentur in Luca cap. 10. nisi quod *pro tota virtute*, legimus *ex omnibus viribus tuis*. Jam vero in hac multiplici intimatione præcepti nullum exprimitur motivum diligendi Deum præter illud, quod continetur in verbis ipsis diligendi Deum *ex toto corde*. Est ne in verbis ipsis motivum aliquod diligendi? Est sane motivum maximum, nobilissimum obvium omnibus, nemini quantumvis tardo, rudi, et illiterato non plane cognitum. Quid est enim Deus? Nullus, credo, Fidelium non respondebit statim illud Bernardi lib. 5. de Consider. ad Eugen. quod etiam frequentissime legitur apud cæteros Ecclesiæ Patres: *Deus est id, quo nihil melius cogitari potest*. Id enim omnes homines fide tenent, rudes, literati, se-

nes, juvenes, et parvuli, viri, et fœminæ. Omnes sine dubio credunt, id illis significari, cum audiunt nomen *Dei*. Bonitatem intelligunt infinitam, et Bonum amabile super omnia bona. Ergo percipiunt nomen *Dei* audientes maximum motivum amabilitatis, id nempe, quo nihil potest esse melius, id, quod est infinite bonum, id, quod est infinite dignum omni amore nostro. Itaque cum jubemur Deum amare ex toto corde, nullus est, qui non intelligat, Deum a se amandum esse, quia talis est, quia est infinite bonus, quia est infinite dignus amore nostro.

5. Præterea non modo jubemur Deum amare, sed et illum amare ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, ex tota fortitudine, ex totis viribus. Jam vero qui Deum amaret ex alio motivo, quod Deus ipse non esset, vel quod in Deo non sit, plane convinceretur, Deum non amare ex toto corde, mente, vel anima, non enim totum cor, mentem, et animam in Deo uno collocaret, eique soli se uniret affective totum, non ei se totum subiceret, et integre traderet, ut ejus esset, et non sui. Si enim ab alio, quod Deus non esset, vel partialiter moveretur ad amandam, non amaret propter Deum solum, sed amaret etiam propter illud, a quo moveretur. Non igitur amaret Deum ex toto corde. Quare recte dixit S. Thomas 2. 2. q. 82. *Ad charitatem pertinet immediate, quod bono tradat se ipsum Deo, adhærendo ei per quamdam spiritus unionem*. Ubi motivum amoris non est præcise adhæsiō, hæc enim est amor ipse, sed Deus, cui amans per amorem unitur. Similiter S. Dionysius 4. de Divinis Nomin. docet, amorem non sinere amantes sui ipsorum esse, sed eorum, quæ amant. Unde Apostolus: *Vivo ego, jam non ego. vivit vero in me Christus*. Pone igitur motivum amoris dicere quidquam aliud, quam quod per nomen *Dei* significatur, verbi gratia possessionem *Dei*, visionem *Dei*, vel fruitionem *Dei*, et evidentissimum erit, non amari Deum ex toto corde, siquidem amatur etiam propter possessionem, visionem, et fruitionem, et non propter Deum solum, nec in eo solo collocabitur totum cor, tota anima, et tota mens, sed etiam in alio, quod non est Deus.

6. Clara sunt omnia in amicitia honesta naturali, quam depinximus in Proleg. 5. Quis enim dicat, amicum ex toto corde, seu mente amare alterum, si non illum amat propter se, vel propter solam bonitatem in illo existentem? Unde Tullius agebat, amandum esse amicum ex toto pectore. Quanto igitur magis verum est, amari non posse Deum ex toto corde, nisi ametur propter se, propter se solum, et propter solam suam ipsius Bonitatem infinitam, quam nobis repræsentat nomen *Deus*? Profecto Sancti Patres ex hoc præcepto diligendi Deum ex toto corde unanimi consensu nos docent, Deum esse diligendum propter se ipsum. Quod et praxis tenet Ecclesiæ idem ipsum docentis in Catechismis, ut suo tempore commodius demonstrabimus.

Nunc

Nunc vero satis sit proponere Augustini, quocum cæteri omnes consentiunt Patres, explicationem in traditum de amore præceptum. Sic ille inquit lib. I. de Doct. Christ. cap. 22. *Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata, cujus etsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. . . . Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquido advertias, quia nec se ipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illud, quo fruendum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum conversus non ad incommutabile aliquid convertitur, et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est, cum totus hæret, atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad se ipsum relaxatur. Si autem te ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges, inquit, proximum tuum sicut te ipsum: Deum vero extoto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa, quæ confert. Cum autem ait, toto corde, tota anima, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam se ipsum totam dilectionem sui, et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuat.*

7. En tibi naturam, characteres, et notas certissimas amoris benevolentiaæ erga Deum, erga nos ipsos, et erga proximum, quæ deducuntur ab Augustino ex præcepto amandi Deum ex toto corde, et proximum sicut nos ipsos. Porro dilectio ex Augustino fieri debet propter Deum, propter ipsum, propter illum, propter summam nempe, et infinitam Dei Bonitatem, infinite amabilem, infinite dignam omni honore, laude, et obsequio. Præterea *currit, rapitur, constringitur, pergit, inhæret, se confert, se refert in Deum*, quin relaxetur, quin convertatur ad amantem, sed *ad incommutabile conversa*, ad quod et amans ipse, et dilectio, et fruitio omnino referuntur. Quæ verba expriment manifeste amorem illum extaticum benevolentiaæ, qualem descripsimus ex Dionysio, et Thoma, qui omnino negant hunc amorem nobilissimum, et excellentissimum ad creaturam converti, sed sic ajunt, totum inhære Deo, ut amans sistat perfecte in Deo, ut amans jam non sit sui, sed sit Dei solius, qui unice vivat in eo, regnet in eo, in ipso imperet, quia se tradit, et immediate Deo committit per amorem. *Vivo ego*, iterum dico cum Apostolo (dicendum est enim sæpius, ut

res apte intelligatur) *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me christus*. Tandem ex motivo Deum diligendi propter ipsum colligit Augustinus, et nos ipsos a nobis diligi debere propter ipsum, et propter ipsum diligendum esse proximum. Neque id tantum colligit S. Doctor, sed etiam illud subjicit, quod diligens recte proximum *hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum*. Quod non solum exprimit amorem benevolentiae erga Deum, sed et verissimum amorem benevolentiae erga proximum.

8. Idem ipsum confirmatur ab Augustino cap. 27. ejusdem libri, ubi ex virtute motivi amandi Deum propter ipsum aliam etiam elicit consecutionem, nempe Deum esse amandum plusquam nos ipsos. *Omnis peccator, inquit, in quantum peccator non est diligendus, in quantum homo diligendus est propter Deum, Deus vero propter se ipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus, amplius quisque debet Deum diligere, quam se ipsum*. Hæc quæ a nobis adducta sunt ex Augustino, quæque juxta intimum, et communem omnium sensum attissime quadrant amori benevolentiae erga Deum, et proximum, quo, precor, modo accommodari possunt amori concupiscentiae Bolgeniano? Nam primo: hic amor, si res bene inspicatur, non est propter Deum solum, sed etiam propter fruitionem (*godimento* ait Bolgenius). Secundo: amor ille concupiscentiae non sistit in Deo, sed ad amantem convertitur. Tertio: explicari minime potest, quo pacto ex amore concupiscentiae Bolgeniano proximo velim bonum, nempe dilectionem, propter Deum. Quarto. Nec aliter salvare potest Bolgenius, creaturam amplius amare Deum, quam se ipsam, nisi ad actum confugiens benevolentiae, quæ juxta illum est actus virtutis Religionis, cujus non est Deum amare ex toto corde, sed ei cultum præbere. Actus igitur concupiscentiae Bolgenianus non est impletio præcepti diligendi Deum ex toto corde, mente, anima, et fortitudine.

9. Non nego, inquit Bolgenius, Deum esse amandum propter se, quin ego ipse aperte semel, iterum, et tertio profiteor Deum esse amandum propter se, sed et illud contendo, amari non posse ab homine nisi ut bonum ipsi delectabile, ipsi tribuens foelicitatem, ei que communicans beatitudinem. Hæc est æquivocatio Bolgenij a prima incipiens Dissertationis pagina, et ad ultimam usque Declarationum continuata. Pugnancia plane sunt illa: *amo Deum propter ipsum: amo Deum ut mihi delectabilem: si ad unum actum pertinere contendat. Amo Deum propter id unum quod est Deus: amo Deum ut mihi daturum æternam foelicitatem*. Namque primus amor unice movetur ex infinita Dei bonitate; alter vero non solum concipitur ex Bonitate Authoris æternæ foelicitatis, sed etiam ex foelicitate ipsa. Porro bonum delectabile qua tale vel esse delectationem ipsam, vel saltem illam includere, satis, super que demonstratum est Prolegomeno 2., et, ut credo, rationibus non facile solvendis. Sed vero non agamus cum tanta

subtilitate (quæ tamen sola discutere potest naturam obscuram objecti) et illud demus, *bonum delectabile id esse, quod potest delectationem causare*: quæ quidem notio exhiberi videtur ab ethymologia nominis. Nec in hoc sensu fieri unquam potest, ut amet quis bonum, quatenus potens delectationem causare, quin vel eo ipso delectationem amet. Tam hoc mihi videtur impossibile, quam quod quis velit medium utile ad aliquem finem, quatenus utile est, quin et finem ipsum attingat. Amat quis potionem ut utilem ad sanitatem, amat item eandem ut sibi delectabilem, seu proportionatam ad delectationem causandam, quid discriminis inest inter duos illos amores? Plane nihil ad rem, de qua disputamus. Nam uterque actus movetur ex eo, quod facit portionem *amabilem*, primus nempe a sanitate, et alter a delectatione. Et hæc est ratio, propter quam Durandus, ut supra vidimus, contendebat, amorem Spei Theologicæ concipi ex beatitudine formali, ne scilicet Deus ordinaretur, quod nefas est, ad rem aliquam creatam.

10. Sed ut Durandus veritatem non tenuit, quia non consideravit, Deum non amari in Spe Theologica præcise propter formalem beatitudinem, neque propter nos, sed beatitudinem complete sumptam amari nobis ut subjecto per beatitudinem perficiendo; ita Bolgenius a vero discedit, dum duo illa uno in actu nititur conciliare: *amo Deum propter ipsum solum: amo Deum ut mihi delectabilem*. Opus est igitur, ut hic ultimus attingat etiam partialiter delectationem ipsam, quæ simul cum Deo constituat objectum motivum illius amoris. At vero Deus, inquiet aliquis, est Supremum Bonum honestum: est ergo Supremum Bonum Delectabile, seu potens causare supremam delectationem. Verissimum id quidem, et extra omnem contentionem ab omnibus ponendum. Sed ne obrepat æquivocatio, duo hic consideranda. Primum: omne bonum honestum hoc in sensu esse delectabile, licet non omne delectabile sit honestum. Unde cum quis honestum jam habet, quod amavit, et desideravit, de illo delectatur, et gaudet. Et hæc est ratio propter quam charitati Theologicæ suum etiam gaudium, suaque delectatio respondet de Deo; sed non est delectatio de Deo participato, ut sæpius diximus, sed de bonis ejusdem Dei. Secundum: amorem benevolentiae tendere in illo sensu in Deum Supremum Bonum Honestum, et Supremum Bonum delectabile, potens efficere delectationem summam. Hæc enim potentia summa delectandi est ipse Deus, quam tamen sic amo, ut in ea sistam, et non revertar ad me delectationem trahens. Me quippe movet Suprema illa Honestas, quæ est in re potentia summa delectandi. Quod Theologi brevibus illis verbis in Schola receptis apte explicant dicentes, amare nos *Deum Supremum Delectabile* specificative sumptum, non autem reduplicative *qua tale*, vel Deum in se delectabilem, non autem ut nobis delectabilem.

11. Dices in gratiam Auctoris: Præceptum diligendi Deum intimatur nobis cum aliquo ad nos aspectu, vel respectu, cum dicitur, *Deum*

Deum tuum, Dominum tuum; ergo et amor, ex quo illud impleatur, debet esse amor concupiscentiæ: talis enim est amor id respiciens, quod ad nos pertinet. Mala prorsus consequentia, et quæ minime probatur ex ratione subjuncta. Duo hic sunt accurate observanda, nimirum cognitio amorem præcedens, et amor per cognitionem regulatus. Judicium Fidei amorem regulans nobis repræsentat objectum ad nos pertinens, sub aspectu, et respectu ad nos. Neque enim amare possum, nisi objectum, quod apprehendam meum, ad me pertinens, mihi conveniens hoc, vel illo genere convenientiæ juxta ea, quæ late dedi, stabilivi, atque firmavi Prolegomeno 3. At amor per hanc cognitionem regulatus non tendit necessario in bonum ut mihi conveniens, sed in bonum sæpe tendit sine conversione ad amantem. Et tunc amor ille est verissimus amor benevolentiae sistens in objecto sine reflexione ad creaturam. Hoc est enim, quod aiebat S. Thomas: *Quamvis unicuique sit amabile, quod sibi est bonum, non tamen oportet quod propter hoc ametur, quia est sibi bonum, cum amicitia non retorqueat ad se ipsam bonum, quod ad alterum optat*. Item: *Non ita creatura amat Deum, quod bonum totius ad se referat, sed potius ita quod se ipsam referat in bonum totius*. Ob eandem rationem excludebat Augustinus ab amore charitatis *conversionem, relaxationem, et relationem ad amantem*. Unde Suarius, ut vidimus, non explicat communem divisionem amoris ex eo quod judicium bonitatem objecti repræsentans illam nobis proponat sub aspectu ad amantem, vel sine respectu ad illum, sed ex eo quod amor sistat in objecto absque conversione ad amantem, vel non ita sistat in objecto, et ad amantem regrediatur. At cl. Auctor totus est in perpendenda natura cognitionis præcedentis amorem, et naturam ipsius amoris non bene considerat, nec speculatur attente. Non est contra naturam amoris benevolentiae, quod judicium proponens objecti bonitatem, illam nobis repræsentet in ordine ad nos, si modo actus voluntatis feratur in illam secundum se, et sine reflexione, vel conversione ad amantem, qua in re continetur essentia amoris benevolentiae.

12. Ut magis declarentur ea, et natura amoris benevolentiae magis percipiatur, illud ad extremum adjungo, mihi esse certum, et exploratum omnino, posse quem in actum amoris benevolentiae prodire sub judicio ipso Fidei Spem Theologicam regulante. Exempli causa: ut quis elicere possit actum Spei christianæ, præcedat, necesse est, hoc Fidei judicium, aut simile: *Credo Deum optimum Maximum æternam mihi foelicitatem promississe, eumque paratissimum esse ad conferenda auxilia, ex quibus illam promeream*. Hoc fidei judicio præluente potest voluntas ex gratia Dei actum elicere Spei Theologicæ. Sed cum voluntas sit libera in suis actibus eliciendis, et possit in objecto proposito moveri ab hac, aut illa bonitate in illo resplendente, potest per gratiam Dei sublevari ad eliciendum actum charitatis, seu

benevolentiae, mota scilicet ex sola Dei bonitate, quae talis est, et tanta, ut ita liberaliter promittat beatitudinem, et media ad illam consequendam necessaria. Profecto actus hujusmodi est Dei verus amor ex toto corde, sistens in Deo, et ad amantem non reflectens, ut qui non intendit a Deo sibi aliquid provenire, sed totum se Deo immediate tradere, ei se committere, et inhærere, illi subiei, et fieri juris Divini. Ex his, quae tractata sunt nobis, constare satis existimo, non posse creaturam amare ex toto corde Deum, quin eum amet propter ipsum solum, sic ut ratio tota amoris motiva sit Deus unus; et licet interdum proponatur Deus sub aliquo respectu ad commodum, sive utilitatem creaturae, necessarium non esse, ut sub illo respectu ametur a creatura, cum possit ea pro sua libertate sublevari per gratiam Dei ad amandam Bonitatem tantam, ac talem, quantam, et qualem esse cognoscit ex ejusdem diffusionem. Et hæc esse solet praxis animarum amore Dei æstuantium, ut ex dicendis abunde constabit. Interim Auctorem rogo, ut hanc meam ab Scriptura probationem attente consideret. Namque eum spero a mentis suae præoccupatione movendum, si pro animi aperta bonitate separet ea, quae interveniunt in judicio regulativo amoris ab illis, quae amoris sunt propria, eique competunt ex sua natura.

§. I I.

*Demonstratur secundo ex amore Dei spontaneo, laude,
gaudio, et complacentia de bonis Dei in
Scriptura commendatis.*

13. **C**ertum est, ita frequenter in Scriptura commendari nobis amorem erga Deum spontaneum, laudem Dei, confessionem laudis, et gaudium in Deo, aliosque ejus generis affectus prædicationis, et laudis Attributionum Dei, ut si loca omnia producere vellem, longior sane, quam par est, excurreret demonstratio. In Psalmis David sæpissime occurrunt affectus isti: *Omnis terra adoret te*, dicitur in Ps. 65. *et psallat tibi, Psalmum dicat nomini tuo*. Psal. 94. *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro; præoccupemus faciem ejus in confessione, et in Psalmis jubilemus ei*. Item. *Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus super omnes Deos*. Ps. 32. *Exultate justi in Domino . . . Confitemini Deo, quoniam bonus. Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum* Ps. 3. *Lætamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde*. Sed vero affectus, qui magis est obvius apud Regium Vatem, est laudis confessio facta Deo, *quoniam bonus est*, in qua exprimitur accurate bonitas Dei tanquam motivum formale laudis.

14. Non negat Bolgenius actus istos, quos potius frequentes sup-

ponit in Scriptura Sacra, sed uno verbo, nullaque reddita ratione eos refert ad virtutem Religionis, cujus tamen naturam, proprietates, et actus convincitur non bene considerasse. Enimvero Religio tendit ad Deo cultum exhibendum, unde actus elicited a Religione est affectus ad divinum cultum, non cultus ipse. Quare actus immediate proveniens a Religione, ut ostensum, et firmatum est Prolegomeno 7. est *velle* exhibere cultum Deo debitum, *velle* confiteri Deo, et quidem confessione laudis, *velle* laudare, *velle* gratias agere, *velle* petere, *velle* postulare, *velle* obsecrare, et sic de aliis; at *confiteri*, *laudare*, *gratias agere*, *petere*, *postulare*, *obsecrare*, cum sint ipse cultus, non sunt actus immediate elicited a Religione, quæ in illis invenit rationem cultus, sed elicited ab aliis virtutibus, prout fuerit objectum formale cujusque actus. Petit quis verbi gratia a Deo æternam beatitudinem ex affectu ad æternam foelicitatem, petitio illa erit quidem Dei cultus, sed affectus per petitionem expressus pertinebit ad Spem Theologicam. Confitetur quis confessione laudis Deo, quoniam bonus est, illa confessio est quidem Dei cultus, sed affectus in confessione insinuat est verus Dei amor benevolentis, vel gaudium de bonis Dei. Idem est de sacrificio laudis, in quo reperitur ratio cultus, qua ratione respicitur a Religione tanquam actus imperatus, sed vero affectus ille interior, in quo sacrificium laudis continetur, ad Charitatem pertinet, præsertim si fiat gratis, spontanee, seu voluntarie. Nec enim concipi mente potest hoc laudis *Sacrificium voluntarium*, vel *Dei confessio*, quoniam bonus est, ita nimirum ut quod confitetur lingua, teneat affectus, sicut scribebat Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 5., quin vera erga Deum habeat interna benevolentia per actum amoris, desiderii, seu gaudii de bonis Dei. Sanctorum explanationibus explicanda res est.

15. S. Augustinus in Enarrat. ad Ps. 53. in quo legimus: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est*, ita exprimit sensum suum, ut manifeste designet amorem benevolentis: *Dicamus, inquit, ut possumus, quid sit, voluntarie sacrificabo tibi Quid faciam? Quid offeram, nisi quod ait, sacrificium laudis honorificabit me? Quare ergo voluntarie? Quia gratis amo, quod laudo. Laudo Deum, et in ipsa laude gaudeo Laudetur (Deus) voluntarie, laudetur charitate. Gratuitum sit, quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud Voluntarie sacrificabo tibi. Quare voluntarie? Quia gratis. Quid est gratis? Et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est: ob nihil aliud, nisi quia bonum est.*

16. Idem plane dicit S. Doctor in Enarrat. in Ps. 84. *Invenimus, ait, aliquid, quod libera voluntate faciamus? Invenimus plane, cum ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis, quando amas, quod laudas, non enim ex necessitate, sed quia placet. Unde iustis,*

stis,

stis, et Sanctis placuit Deus etiam flagellans eos . . . Hoc dixit ille laudator ejus : in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.

17. Hæc Augustinus, ex quo habemus, laudem gratuitam, et sacrificium voluntarium laudis non esse actum immediate elicitum a Religione, sed esse amorem spontaneum, gratuitum, et voluntarium, atque adeo verissimæ benevolentiae, quia laus, sacrificium, et confessio fiant ex motivo illo excellentissimo, *quoniam bonum est, ob nihil aliud, nisi quia bonum est, propter se, non propter aliud.* Quod fieri minime potest nisi per internum sacrificium, et traditionem immediatam creaturæ ad creatorem, cui per intimam unionem amoris traditur, sic scilicet ut jam non sit sui juris, sed Creatoris. Hoc est enim creaturam magis Deum diligere, quam se, ut optime expressit idem August. lib. 83. quæst. q. 36. per illa verba : *Sed cum Deus magis diligitur, quam animus, ut malit homo ejus esse, quam suus, tunc vero animo, summeque consulitur corpori, nobis id non curantibus, aliquo appetitu satagente, sed tantum prompta, et oblata sumentibus.* Cui est conformæ sententia, quam ex ipso scribit Muzzarelli Opusc. de mot. amoris p. I. *Jam te solum amo, te solum sequor . . . tui juris esse cupio.* Concinit cum Augustino S. Thomas in amoris explicatione per internum hominis sacrificium, et traditionem ad Deum, ut jam alias insinuavimus; sed tamen ejus verba integra, quæ habentur 2. 2. q. 82. art. 2. ad 1. exaranda hic sunt, quia etiam ponunt in medio discrimen inter Charitatem Theologicam, ac Religionem infusam: *Ad Charitatem, ait, pertinet immediate, quod homo tradat se ipsum Deo, adhaerendo ei per quandam spiritus unionem. Sed quod homo tradat se ipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, pertinet ad Religionem, mediate autem ad Charitatem, quæ est Religionis principium.* En quam acute tradit S. Doctor, hominem ex Religione tradere se ipsum immediate ad opera divini cultus, mediate autem ad Deum; contra vero ex Charitate se ipsum tradere immediate Deo, mediate autem operibus divini cultus. Est enim Charitas principium Religionis, eamque movet ad suos actus, quamquam et interdum Religio a Charitate mota movet et ipsa ad alios actus Charitatis, ut fiet perspicuum consideranti œconomiam, connexionem, et propinquitatem virtutum supernaturalium.

18. Augustino, et Thomæ conformis est omnino Bernardus in exponendis confessionibus laudis, de quibus Regius Psalter. Sic enim scribit Mellifluus Doctor Tract. de diligendo Deo describens sinceritatem amoris, et ejus formale motivum, *quoniam bonus.* *Illam, inquam, vera, et sincera est charitas, et omnino de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta fatenda est procedere, qua proximi bonum æque ut nostrum diligimus. Nam qui magis, aut certe solum diligit suum, convincitur non caste diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Et hic talis non potest obedire Prophetæ, qui ait, Confitemini Domino, quoniam bonus. Confitetur quidem, quia fortasse bo-*

nus est sibi, non autem quia bonus est in se (audi Bolgeni vuculas in se, quas ab Scholasticis audire usque eo recusas). Quapropter noverit in se dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est, et est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est, et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Eandem doctrinam tradiderat paulo ante ad explicandum amorem castum, et sincerum, ex quo anima sic amat Christum, non quærens sua, ut amatur a Christo, qui nos quæsit, unde possit talem amorem rependere, qualem suscipit. Sic amat, inquit, qui dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus. Qui Domino confitetur, non quoniam sibi bonus, sed quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, et non propter se ipsum.

19. Similes confessiones laudis ex amore benevolentiae profectæ inveniuntur in aliis Scripturæ locis, ut Eccles. 43. *Benedicentes Dominum, exaltate illum; major enim est omni laude.* Imo difficile forsitan erit, ullum designare Scripturæ librum, in quo non illæ contineantur. Juvat tamen afferre ex Apocalypsi duo loca, in quibus benevolentiae gaudium expressius commemoratur. Primus habetur cap. 7. ubi Sancti in Cælo regnantes amore Dei inebriati ita canunt: *Benedictio, et claritas, et Sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in Sæcula Sæculorum. Amen.* Alter habetur cap. 19. *Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens: gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei.* Quis autem dubitet, quin hoc Beatorum gaudium sit gaudium verissimæ benevolentiae de bonis Dei in se consideratis, et quidem longe majus, longe que perfectius, quam gaudium de propriis eorum bonis, seu de Deo, ut ab ipsis viso, obtento, seu participato?

20. Morem hunc benedicendi, et congratulandi Deo ex intimo benevolentiae gaudio de bonis ejus didicit ab Ecclesia triumphante hic in terris Ecclesia militans, dum canit frequenter: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt Cæli, et terra gloria tua: Hosanna in Excelsis... Gloria in Excelsis Deo... laudamus te, benedicimus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam... Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.* Et ut è labiis, ac corde non decedat hæc amoris expressio, vel affectus, et hoc purissimum gaudium benevolentiae, quod teste S. Thoma 2. 2. q. 28. art. 1. *est gaudium in Spiritu Sancto, et de bono divino in se considerato*, decrevit congruenter Ecclesia, ut post singulos Psalmos adderentur verba illa dulcissima: *Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto*, et ut nullus dubitaret, hoc esse gaudium de bonis Dei intrinsicis, ita versiculus desinit: *sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Ut vero res minime obscura illustri comprobetur exemplo, placet hic afferre, quod R. P. Franciscus Vander

der Veken tradit in *Appendice post Canonis expositionem* de Sancto nuper a Pio VI. foeliciter regnante Sanctorum coetui adscripto. *Ferunt*, (inquit pag. 205.) *B. Gasparem Bonum ex Ordine Minimorum verba ista: Adoramus te, quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe, semper habuisse in corde, semper in ore, adeo ut ducenties per diem repeteret, atque hinc inter familiares vix alio nomine, quam Tu solus Sanctus compellaretur. Nimirum Jesu amor apud illius animum obtinuerat, ut in suo Dilecto gloriosissimi tituli eum mirifice oblectarent: quare nunc debitos gratulando, nunc ab omnibus agnoscendo exoptando, nunc infima submissione deferendo, satiari non poterat. Ita celebrat Scriptor ille piissimus juxta ac Sapientissimus Eximium B. Gasparis Boni amorem erga Jesum, qui unus in ejus corde regnabat.*

21. Quæ hucusque commemoravimus loca potissimum respiciunt bona Dei intrinseca, de quibus animæ sanctæ ex intima benevolentia congaudent. Circa bona autem extrinseca Dei tendit etiam affectus in Deum propter ipsum tum per amorem benevolentiae, ea volendo *Deo ut amico*, tum per desiderium benevolentiae, ea illi desiderando, tum per gaudium benevolentiae ei congratulando. Cujus rei multa sunt etiam Scripturæ Testimonia, quæ in decursu Operis proferemus, præsertim probatione septima. Nunc vero unice observatum velim, hos actus benevolentiae elici minime posse a virtute Religionis, ut quæ Deum non attingit immediate ut objectum *quod*, sed cultum ipsum resplendentem in præfatis actibus, qui proinde sunt materia, et objectum affectus immediate elicit a Religione. Vult quis recitare exempli gratia Officium divinum, et hoc debitum persolvere, hæc volitio, seu affectus erga cultum in solutione consistentem est actus immediate effectus a virtute Religionis; at exolutio ipsa pertinere potest ad aliam virtutem, prout fuerit objectum illorum actuum, qui interveniunt in exolutione. Dicitur verbi gratia *Credo in unum Deum*, pertinet exolutio ad fidem. Dicitur *Confiteor Deo*, pertinet ad pænitentiam, vel ad contritionem perfectam, prout fuerit objectum, quod quisque sibi præfigit. Dicitur *Expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi*, pertinet ad Spem. Cumque in Psalmis mira sit affectuum varietas, Humilitatis, Fortitudinis, Religionis, Obedientiæ, Charitatis, mille quoque interveniunt virtutes, ut nemo non videt. Quod hic insinuatum est de exolutione Divini Officii, idem ipsum contingit in Sacrificio peragendo, ubi non sunt actus Religionis confundendi cum actibus aliarum virtutum. Ex doctrina tradita placet duplicem conficere syllogismum, qui ut Auctoris Systema omnino convolvit, sic etiam admittit nullam exceptionem Theologicam. Sit primus. Confessio laudis, de qua Propheta, pertinet immediate ad illam virtutem, ex cujus objecto motivo concipitur: atque concipitur ex objecto motivo Charitatis *quoniam bonus*: ad hanc igitur virtutem elicitive pertinet. Fit ergo a Charitate, etiamsi a Religione imperetur. En alter: Ad virtutem Religio-

gionis unice pertinet immediate affectus internus tendens in cultum Deo præstandum; sed confessio laudis facta Deo, quoniam bonus, non est affectus internus erga cultum, sed ipsa est cultus Deo præstitus: ergo non fit immediate a virtute Religionis, sed est materia circa quam versatur Religio.

§. III.

Demonstratur amor benevolentiae ex illis Scripturae locis, ex quibus constat charitatem esse veram Dei amicitiam.

22. **S**unt in Sacra Pagina innumera loca, in quibus expresse commendatur charitas tanquam vera, propria, et perfecta amicitia hominis ad Deum. Judit. 8. *Abraham Dei amicus effectus est.* Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Cant. 5. *Comedite amici Sapient.* 7. *Participes facti sunt amicitiae Dei.* Isai. 41. *Semen Abrahamæ amici Dei.* Quo respexit Jacobus in sua Canon. cap. 2. inquit. *Abraham amicus Dei appellatus est.* Luc. 12. *Dico autem vobis amicis meis.* Et Joan. 15. *Vos amici mei estis.* Unde et Tridentinum Ses. 6. cap. 7. inquit de justificato, quod *ex inimico fit amicus.* Produci possent et alia, sed ea sunt satis, superque, ut res ista ad fidem pertineat, vel sit saltem proxima fidei. Est igitur charitas habitualis amicitia quasi habitualis hominis ad Deum, et charitas actualis amicitia actualis. Jam vero sine benevolentia amicitia esse non potest, non solum in amicitia naturali honesta, quæ ex Philosophis duorum est benevolentia reciproca, sed potissimum in amicitia supernaturali, quæ ex S. Thoma est maxime honesta. Consequens est ergo, quod charitas actualis, quod dilectio, quod amor Dei hominem justificans sit vera benevolentia. Alioquin si dilectio, seu charitas actualis hominem justificans non esset vera benevolentia, homo se ad Deum convertens per illam dilectionem, atque adeo justificatus, non esset Dei amicus. Quo igitur pacto verum erit, quod Tridentinum affirmat *justificatum ex inimico fieri Dei amicum.*

23. Ut hoc principium certissimum ex amicitia desumptum omnium oculis subjiciatur, revocanda in memoriam nonnulla, quæ discussimus in Prolegomeno 5., et quæ sola satis mihi esse videntur ad demonstrandum, esse prorsus rejiciendum systema Bolgenij, utpote minus congruens cum Scripturae testimonijs nuper exaratis. Diximus ibi primo: triplicem excogitari posse amicitiam, *utilis, delectabilis, & honesti*, et amicitiam *utilis, et delectabilis* non esse veram, cum in eis ametur utilitas, et delectabilitas, non persona, ad quam habetur amicitia. Secundo: solam amicitiam honestam esse veram amicitiam, in qua una amatur amicus propter se, et intercedit vera conjunctio benevola inter amicos, quod quidem demonstratum est ex placitis Philo-

sophorum, quin unus sit aliquis in re ista dissentiens, atque id ipsum docere Patres capite sequenti ostendemus. Tertio tandem: hanc amicitiam honestam in duplici genere constitutam esse. Aut enim est amicitia *æqualitatis*, et inter personas versans omnino æquales; aut *excellentiæ*, ubi non servatur inter personas in diversa dignitate constitutas æqualitas alia, quam proportionalis, quia unaquæque alteri tribuit id honoris, officij, amoris, seu obsequij, quod unicuique pro sua congruit conditione. Ejus esse generis amicitiam omnium perfectissimam inter Deum, et hominem justum, nemo igitur. Et de illa intelligitur, quod Hieronymus scripsit in Mich. 7. *Amicitia pares accipit, aut facit*. Videns enim Deus inæqualitatem magnam inter naturam divinam, et humanam voluit pro sua infinita bonitate, et inenarrabili dignatione hominem elevare ad statum supernaturalem, eumque per dona gratiæ constituere in divino ordine, sic ut fieret divinæ consors naturæ, et acceptus ad eundem beatitudinis ordinem. Igitur homo ita per gratiam elevatus, et acceptus ad gloriam habet jam æqualitatem illam proportionalem, ut ad *excellentiæ* amicitiam admittatur, supplente nimirum Deo ex maxima sua dignatione, quod perfectæ, quæ Deum inter et hominem esse non potest, æqualitati deficit.

24. His igitur positis, negari non posse videtur, benevolentiam hominis erga Deum, per quam ei vult intrinseca bona, et procurat extrinseca, esse per se se illam actualem charitatem, et amorem formalem, quæ ex parte hominis amicitiam complet, non aliter ac benevolentia Dei, qua vult nobis bona, quæ confert, est amor verissimus, et illud idem, quod ex parte Dei amicitiam perficit. Sic enim servatur aptissime proportio, quæ inest inter amicitias honestas naturales, quæ, ut vidimus, reciproca duorum benevolentia conficiuntur. Nec enim gratia naturam destruit, sed eam potius perficit, ut insinuavimus, et quod perfectionis, nobilitatis, et excellentiæ in amicitia naturali honesta reperitur, invenitur sine dubio, et ratione quidem excellentiori, in amicitia supernaturali honestissima. Hæc nisi admittat Bolgenius et clara, et perspicua, et juxta omnium sensum ubique recepta, en tibi paradoxa, quæ velit, nolit, admittenda sunt illi. Primum, charitatem actualem non esse per se se veram, et actualem amicitiam, quod sane pugnat cum testimonijs Sacræ Scripturæ, quæ supra dedimus. Ratio est, quia juxta illum benevolentia est actus Religionis, non autem actus Charitatis. Secundum, Charitatem habitua-lem non esse propter eandem rationem per se se amicitiam habitua-lem, sed talem esse unice complexum ex habitu Charitatis, et ex habitu Religionis, quod nemo somniavit. Tertium, hominem recens justificatum per suum illum amorem, ex quo Deum diligit ex toto corde, non esse ex virtute ipsa justificationis amicum Dei, quod est manifeste contra Tridentinum supra laudatum. Ratio est manifesta, quia,
fa-

fatente Bolgenio, sine benevolentia non datur amicitia, actus autem ille justificativus non est benevolentia.

25. Si vero Auctor dicat, benevolentiam consequi necessario suum illum amorem, non ideo quidquam proficit. Namque obstat 1. quod ex virtute amoris illius ex toto corde jam homo intelligitur justificatus; ergo jam intelligitur amicus. Quod si autem justificatus non est, actus ille benevolentiae, seu Religionis vim habebit justificandi, quod erit mirabile. Obstat 2. quia non est unde repetatur connexio sic arcta inter amorem illum concupiscentiae propriae foelicitatis, et actum, per quem quis Deo velit bona ejusdem. Imo superius probatum est efficaciter, non esse tantam inter eos actus connexionem. Cur enim desiderare non possim aeternam meam foelicitatem ex intimo animi affectu, nihil interim cogitans de cultu Deo praestando? Ommitto, benevolentiam Dei erga nos esse non posse actum Religionis. Quid igitur erit? Actus scilicet amoris. Unde quaerente Bernardo lib. 5. Consid. ad Eug. *Quid est Deus?* Respondet. *Est benevolentissima voluntas nos ad benevolentiam informans.* Id est, amor increatus nos ad amorem informans. Ommitto, benevolentiam nostram ad proximum esse veram actualem Charitatem, veramque ad illum amicitiam; nec tamen in hac amicitia intervenit actus Religionis. Quod idem argumentum fieri potest in amicitia naturali honesta, in qua excogitari non potest, ad quam virtutem benevolentia pertineat, si non est amor, ut inductione facta per morales virtutes firmavimus in Prolegomeno 5. Haec, aliaque multa, quae facile occurrent argumenti materiam, seposito partium studio, consideranti, explicare debuisset Bolgenius, siquidem fidem facere lectori desiderabat; dum scripsit, amicitiam esse non posse sine benevolentia, et benevolentiam non esse amorem, sed actum virtutis Religionis. Quod ego dictum adeo non probo, ut existimem, tres ipsas Dissertationis partes vel ex hoc uno amicitiae capite reprobandas esse.

§. I V.

Demonstratur amor benevolentiae ex illis Scripturae locis, in quibus Dei perfectiones infinitae proponuntur hominibus contemplandae.

26. **P**lena est Scriptura Sacra clausulis, versiculis, et expressionibus, quae altissimum Dei Nomen repraesentant nobis, et ejus infinitas perfectiones ante oculos ponunt. *Ego sum, qui sum*, dictum est Moysi (Exod. 3.) *Qui est, misit me ad vos.* En Dei nomen in amoris signum ostensum Moysi, cui etiam dicenti Exod. 33. *Ostende mihi gloriam tuam*, responsum est: *Ego ostendam omne bonum tibi.* En infinita Dei bonitas. Unde Christus apud Lucam, et Mathaeum nos
in-

instruit dicens: *nemo bonus, nisi solus Deus*. Similiter proponitur nobis Dei æternitas. Daniel. 7. *Antiquus dierum*. Immutabilitas. Jacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Incomprehensibilitas. Ps. 38. et 85. *Domine quis similis tibi?* et Ps. 88. *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in hillis Dei?* Immensitas 3. Reg. 8. *Cæli calorum te capere non possunt*. Sapientia, Omnipotentia, Misericordia, Liberalitas multis in locis commendantur, quæ omnia sunt ipsa Dei immensa bonitas infinite digna, ut ab hominibus ametur, quæ de causa dictum est ab Sponsa Cant. 5. *Totus desiderabilis*. Jam vero quis neget, verba illa: *Ego sum, qui sum: Ego ostendam tibi omne bonum*, et cætera, quæ adjuncta sunt, esse objectum veræ contemplationis? Nec enim solum est objectum vitæ contemplativæ Deus ut bonus nobis, ut nobis delectabilis, sed Deus in primis ipse in se consideratus, et infinita perfectio, infinita Bonitas, et infinita veritas sunt objectum primarium contemplationis, ut ex Patribus Mystici cumulatissime ostendunt: ergo et amor noster in illud idem objectum contemplationis ferri potest. Non est quippe mystica contemplatio sine actu voluntatis, qui potiore habet partem in contemplatione affectiva.

27. Porro S. Thomas tractans 2. 2. q. 180. de natura, indole, et proprietate Vitæ contemplativæ statuit in primo articulo, vitam contemplativam habere aliquid in vi affectiva, seu appetitiva, quia ex Gregor. 6. Moral. cap. 18. *Vita contemplativa est charitatem Dei, et proximi tota mente retinere, et soli desiderio Creatoris inherere*. Addit deinde in eodem articulo, S. Gregorium vitam contemplativam in charitate Dei ponere, *in quantum aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem inspiciendam. Et quia unusquisque delectatur, cum adeptus fuerit id, quod amat, ideo vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex quo etiam amor intenditur*. Statuit deinde S. Doctor art. 7. *quod hæc est ultima perfectio vitæ contemplativæ, ut scilicet non solum divina veritas videatur, sed etiam ametur*. Ex ijs formatur facile discursus ille: Contemplatio respicit potissimum, speculatur, et intuetur perfectiones Dei infinitas secundum se consideratas; hoc est enim objectum primarium contemplationis, veritas nempe increata, ut testatur S. Thomas in hac ipsa quæst. art. 4. dicens: *quod principaliter ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divine veritatis*: testatur item Bernardus lib. 5. de Consid. ad Eugen. iniquiens: *prima, et maxima contemplatio est admiratio Majestatis*. Sed amor objecti contemplandi est principium contemplationis ejusdem, et ultima perfectio contemplationis: ergo amor veritatis, et pulchritudinis divinæ in se consideratæ est principium contemplationis, et amor intensior ejusdem pulchritudinis est ultima perfectio contemplationis. Propterea dicit S. Thomas art. 1. *quod ad ipsam visionem primi principij, scilicet Dei, incitat amor Dei*. En principium contemplationis.

Fr. art. 7. quod in vita contemplativa *fnis respondet principio*. Unde S. Gregorius super Ezech. homil. 14. dicit: *quod cum quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius amplius ignescit*. Habemus igitur amorem pulchritudinis divinæ secundum se consideratæ movere ad visionem, seu contemplationem ejusdem in se consideratæ, et ex visione, seu contemplatione pulchritudinis divinæ oriri amorem intensiorem, et perfectiorem ejusdem divinæ pulchritudinis, sic scilicet ut objectum semper sit idem. Atqui amor divinæ pulchritudinis in se consideratæ est ille ipse amor benevolentiae Theologorum. Hic igitur non modo possibilis est, sed omnino necessarius, nisi velis de medio tollere vitam contemplativam, qualis describitur a Patribus.

28. Addendum tamen ex Suarez lib. 2. de Orat. ment. cap. 9. n. 10. desiderium perfectum contemplationis supponere communiter amorem Dei in se, et propter se (cogniti scilicet per puram Fidei cognitionem) ex quo dixit S. Thomas art. 1. laudato: *contemplationem perfectam procedere ex charitate ipsius Dei*. Ratio est, quia contemplatio amatur, et desideratur ex affectu charitatis ad ipsum Deum, quatenus amicitiae proprium est, uniri amico, et adesse illi, atque cum illo colloqui. Quo scilicet modo beati amant in patria visionem beatam, non tantum ut proprium commodum suum, sed maxime ex charitate Dei, tum quia per illam habent præsentem, quem amant, tum etiam quia vident per illam maxime glorificari Deum. Jam vero hujus vitæ contemplatio est quædam participatio, et imitatio illius visionis, ut significavit Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. et 9. Amatur igitur contemplatio ex amore primæ veritatis, ad eamque expresse refertur, ut motivum amoris.

29. Ex hoc discursu rite intellecto non videtur dubitari posse, Moysem, David, aliosque Sanctos in altissimis contemplationibus ex Dei amore propter ipsum cæptis amplius exarsisse in ejusdem amore, et in Dei laudes erupisse cum affectu vehementissimo. Ut cum Moyses Deut. 32. canebat: *Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro . . . Levabo ad cælum, manum meam; vivo ego in æternum* et David. Psalm. 45 *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra*. Item cum Dei magnitudinem celebrat in Ps. 144. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est fnis*: et cum Sanctitatem Dei commendat in exercitio Divinæ Justitiæ: *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis*. Quid dicam, cum se ad homines convertens Dei laudat excellentissimum Principatum, Dominium, Misericordiam, Magnitudinem infinitam? *Confitemini, intonat, Domino, quoniam bonus . . . Confitemini Deo Deorum . . . Confitemini Domino Dominorum . . . Qui fecit calos in intellectu*. Psalm. 135. Quod ipsum commendaverat in antecedenti canens: *Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave: quoniam*

niam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi: quia ego cognovi, quia bonus Dominus, et Deus noster præ omnibus Dijs.

30. Hæc qui consideret, concludet facile, Moysen, David, et alios Sanctos laudes Dei contexere excellentissimas suis in contemplationibus ex amore erga Deum ferventissimo verissimæ benevolentiam, ex desiderio æstuanti prædicandi gloriam ejus, et ex gaudio suavissimo de Bonitate, pulchritudine, et perfectione Dei. Unde merito S. Bernardus non solum in loco superius laudato, sed etiam in Epist. 12. ad Carth. *Confiteri Deo, et amare Deum*, quasi unum, idem que essent, proponit. Quod idem præstitit S. Thomas 2. 2. q. 23. a 5. probans ex illis verbis: *Confitemini Domino, quoniam bonus diligendum esse Deum propter se ipsum, ejusque Bonitatem infinitam*. Juvat autem concludere demonstrationem istam testimonio duorum Venerabilium, qui et Theologi fuere maximi, eximij Ascetæ, in exercitio contemplationis experientissimi, et in arte amandi peritissimi. Primus est Vir ille plane Magnus Alfonsus Orozco, cujus virtutes in gradu heroico declaratæ jam sunt. Hic igitur in Arte amandi Docum. V. ita loquitur: *Laudate Deum, dicebat David, quia bonus est. Ob id ipsum laudare debeo, propter quod debeo amare. Amare illum debeo, quia bonus est, laudare igitur debeo propter eandem rationem. . . . Hic est amor benevolentiam, de quo Theologi, amare Deum ipsi Deo, gaudere, quod sit ipse, qui est. Omnipotens, Æternus, infinite Bonus. Amor est interessatus, cum Deum mihi amo, quod munera dat, quod gratiam confert, quod gloriam est collaturus. At alter amor tanto est potior (et quidem amplius) quanto est Cælum, si cum terra conferatur. . . . Qui sic in altum explicant volatum, et in hoc se occupant exercitio Angelorum; sunt adinstar illorum Sanctorum Animalium, quæ inspexit Ezechiel, et quæ facies, et alas habebant levatas ad Cælum, non ad suum commodum intenta, sed ad Dei solius gloriam, et honorem respicientia. Alter est Venerabilis Ludovicus a Ponte, de quo quid ego adducere, non possam in rem, quam verso? Id unum dico multa complectens. Legat, qui volet, nec sine fructu leget, igneas illas, et Spiritus Sancti unctio- ne plenas, quas in Sexta parte conscripsit, contemplationes de Deo, ejusque Perfectionibus infinitis, et proprijs inspicat oculis, principem in quaque contemplatione, ne dicam, puncto, esse semper affectum aut amoris, aut desiderij, aut gaudij benevolentiam circa Deum seu unum, seu Trinum, seu Æternum, seu Incomprehensibilem, seu Bonum, seu Perfectum, seu Sapientem, seu Liberalem, seu Misericordem, seu Omnipotentem &c. Sed quoniam paucorum est altissima contemplatio, nec ita multorum assidua Divinæ Perfectionis meditatio, veniamus ad petitiones, quæ omni Christiano communes sunt, et videamus, an in ijs proponat Scriptura Sacra omni hominum generi amorem benevolentiam.*

Demonstratur amor benevolentiae ex Oratione Dominica .

31. **N**emo est inter fideles, qui ignoret Orationem Dominicam primum tenere locum excellentiae et dignitatis inter Orationes omnes, tum propter Authoris eminentiam, tum etiam quia brevitatem summam, dispositione mirabili, et ordine congruentissimo universam orandi materiam complectitur, ut notaruut Patres, qui eam exposuerunt. Continet illa praëambulum excellentissimum, et petitiones septem in omni fundatas charitate, unde in ea potissimum continetur amor verissimus benevolentiae, de quo Theologi. Imo ad illum informamur omnes vel in prima petitione *sanctificetur nomen tuum*. Ille ipse amor in petitione tertia indicatur: *Fiat voluntas tua, sicut in Caelo, et in terra*, cum in secunda *adveniat Regnum tuum* ad amorem Beatitude, ejusque adipiscendae Spem erigamur, quod pertinet ad amorem concupiscentiae. Ut id oculis omnium proponamus, quoad fieri possit, clarius, et apertius, S. Thomae articulum excubere placet, in quo argumentum hoc tractat docte, ut solet, breviter, et perspicue. Quærit S. Doct. 2. 2. q. 83. art. 9. utrum septem Orationis Dominicæ Petitiones convenienter assignentur? Et ab argumento *Sed contra* ita respondet pro convenientia. *Sufficit autoritas Christi Orationem instituentis. Respondeo, dicendum, quod Oratio Dominica perfectissima est; quia sicut Augustinus dicit ad Probam (Epist. 121. cap. 12. in princ. tom. 2.) si recte, et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista Oratione Dominica positum est. Quia enim Oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quæ recte desiderare valemus. In Oratione autem Dominica non solum petuntur omnia, quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, ut sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus. Manifestum est autem, quod primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea, quæ sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter (advertite animum Cl. Bolgeni.) uno quidem modo, prout volumus gloriam Deo; alio modo, secundum quod volumus frui gloria ejus: quorum primum pertinet ad dilectionem, qua Deum in se ipso diligimus: secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur Sanctificetur nomen tuum, per quam petimus gloriam Dei. Secunda vero ponitur adveniat Regnum tuum, per quam petimus ad gloriam Regni ejus pervenire.*

32. Explicat deinde S. Doctor quomodo reliquæ petitiones tendant ad id, quod nos ordinat ad prædictum finem, scilicet vel ordinatione per se tali, seu directe, ut tertia *fiat voluntas tua*, vel ordinatione instrumentali, ut quarta *Panem nostrum quotidianum da nobis*
bo-

hodie, vel ordinatione per accidens, seu per remotionem prohibentis, quale esset *peccatum*, et esse potest *tentatio*, atque *pœnalitas præsens*, quæ ad tres ultimas petitiones referuntur. En quam dilucide explicat Angelicus Doctor ordinem, et convenientiam Orationis Dominicæ, quam apte, solide, et sapienter petitiones distribuit, principem tribuens locum petitioni primæ, quæ pertinet ad dilectionem, *qua Deum in se ipso diligimus. In se ipso*, inquam, ut aiebat supra Bernardus, *in se*, quin fiat confusio actus intellectus cum actu voluntatis, ut incepte pronuncias contra Scholasticos tradentes, nos ex amore benevolentia amare Deum *in se*, *secundum se*, *in se ipso*. En item quomodo altera petitio *Adveniat Regnum tuum* pertineat ad alteram *dilectionem* honestam quidem, et supernaturalem, sed vero inferiorem, *qua volumus frui gloria ejus, et ad gloriam Regni ejus pervenire*, quod pertinet ad amorem concupiscentiæ ad Spem Theologicam necessarium. Petimus itaque per illa verba *Sanctificetur nomen tuum*, ut Nomen Dei cognoscatur, honoretur, glorificetur, et ametur in toto mundo, vel ut omnes creaturæ rationales Deum ament, prædicent, glorificent, quia dignus est omni laude, omni amore, omni gloria, prædicatione, et honore, unde Deo cupimus, optamus, et desideramus bona extrinseca ex affectu benevolentia sincerissimo ad bona ejus intrinseca, et extrinseca. Petimus autem per illa alia *Adveniat Regnum tuum* æternam nostram foelicitatem, beatitudinem, gloriam, et Regnum nobis promissum, ut eo frui mereamur, vel ut ad illud pervenire valeamus: quod ad amorem pertinet concupiscentiæ, ex quo bona nobis volumus, et optamus. Id quod ab eodem Angelico confirmatur in responsione ad primum per hæc verba *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. 1. de Serm. Dom., cum dicimus Sanctificetur Nomen tuum, non hoc petitur, quasi non sit sanctum Nomen Dei, sed ut sanctum ab hominibus habeatur: quod pertinet ad Dei gloriam in hominibus propagandam. Quod autem dicitur Adveniat Regnum tuum, non ita dictum est, quasi Deus nunc non regnet, sed sicut Augustinus dicit ad Probam, desiderium nostrum ad illud Regnum excitamus, ut illud nobis veniat, atque in eo regnemus.*

33. Et ut magis pateat Doctorum Augustini, et Thomæ in explicatione concordia, non est omittenda ratio, quam tradit ex Augustino S. Thomas, cur scilicet Lucas omiserit tertiam illam petitionem *fiat voluntas tua*. Ea quippe ut ostendit consensionem SS. Patrum, ita tradit aperte sententiam nostram. *Dicendum*, inquit in hoc articulo S. Thomas, *quod sicut Augustinus dicit in Enchyr. Lucas in Oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est: ostendens tertiam petitionem duarum præmissarum esse quodammodo repetitionem, præmittendo eam magis fecit intelligi, quia scilicet ad hoc præcipue voluntas Dei tendit, ut ejus sanctitatem cognoscamus, et cum ipso regnemus. Quod intelligendum de cognitione practica includente dilectionem, ut*
in-

intelligit S. Thomas. Eodem in sensu explicat primam petitionem S. Augustinus in lib. 2. de Serm. Dom. cap. 5. dicens: *petimus, ut Nomen Domini sanctum habeatur ad hominibus, et ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant.* Ita etiam Gregorius Nyssenus, et alii Patres apud Suarium lib. 3. de Orat. vocal. cap. 8. qui etiam addit, velle S. Cyprianum, ut hic etiam peculiariter postuletur perseverantia finalis. *Fortasse, inquit, quia cum Patrem oramus, sanctificati esse debemus tanquam Filii, et ideo petimus, ut ejus sanctitas in nobis perseveret, qua ipse semper magis sanctificetur in nobis.* Quam sententiam multum commendat Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 2. magis propter veritatem doctrinæ, quam propter interpretationem propriam hujus petitionis. Ita Suarez post adductas explanationes Patrum super prima illa petitione. Sed cum perseverantia finalis possit etiam a Deo peti ex affectu confirmandi, seu perficiendi amicitiam cum Deo propter ipsum, si ex hoc motivo fiat postulatio, ad primam illam petitionem potest directe, et peculiariter pertinere.

34. Ex dictis abunde constat in prima petitione Orationis Dominicæ clarissime contineri, et intimari nobis amorem benevolentiam erga Deum, ejusque bona extrinseca, quæ illi debentur ob suam infinitam bonitatem, dignitatem, excellentiam. Ita tenet Ecclesiæ praxis: ita rem explicat, ut videbimus, Catechismus Romanus, quem sequuntur cæteri, quin ullum dubium rei claræ per se satis relinqui posse videatur. Unus Bolgenius primam illam petitionem explicat de virtute Religionis, et secundam de virtute Charitatis. Sed vero hæc interpretatio ferenda non est. Primo, quia ordo petitionis, quem significat S. Thomas, minime conservaretur. Nam Religio est inferior Charitate, et item non est ad finem, cum non sit virtus Theologica, sed ad ea, quæ sunt ad finem, ut manifestum est. Secundo, quia in hoc ipso satis significatur, non recte penetrari naturam virtutis Religionis. Ex eo namque, quod ego desiderem, Deum ab omnibus coli, agnosci, amari, et honorari, non recte consequitur, illud meum desiderium ad virtutem Religionis pertinere, sicut ex eo, quod optem omnes in eum credere, et sperare, minime inferes, meum hoc desiderium ad fidem, vel spem spectare debere. Et tamen hæc videtur esse Auctoris æquivocatio existimantis petitionem eo intentam, ut Deus ab omnibus colatur, et honoretur, ad Religionem esse revocandam. Affectus igitur expressus per primam illam petitionem ad illam spectat virtutem; ex cujus objecto motivo concipitur. Cum igitur ego desidero, Deum ab omnibus agnosci, coli, et amari, quia est summe bonus, et infinite dignus, ut ab omnibus cognoscatur, colatur, et ametur, moveor ad illud optandum, et desiderandum ab infinita Dei bonitate, et cognitionem, cultum, et amorem desidero Deo tanquam bona ejus extrinseca. Pertinet ergo desiderium illud ad Charitatem

tem Theologicam, quæ a Bonitate divina tanquam ab objecto motivo specificatur.

35. Sed prius quam ab Oratione Dominica discedamus, in cujus prima, et tertia petitione manifeste commendatur amor benevolentiae erga Deum, juvat etiam attente considerare præfationem, ex qua non minus clare innotescet cuique amor, quem intendimus. Sic illa incipit, ut cor ad Deum dirigamus *Pater noster*, quibus verbis satis significatur amor, quem ad Deum Patrem haberet debemus, sicut in aliis multis Scripturæ locis, in quibus verbi hujus dulcissimi mentio fit, ut Isaïæ 63. *Tu enim Pater noster . . . Tu Domine Pater noster, et Redemptor noster a sæculo Nomen tuum.* Jerem. 3. *Et dixi, Patem vocabis me.* Malach. I. *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Exist. ad Ephes. 4. *Unus Deus Pater omnium.* Et apud Math. 23. ait Christus: *Onnes vos fratres estis, et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in Cælis est.* Igitur si Deus est Pater noster, et nos filii tanti Patris esse debemus, unde colligebat Cyprianus: *Scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus.* Audito igitur nomine Patris excitatur statim charitas, ut observat Suarius, *quia filiis nihil debet esse charius, quam Pater.* Hanc autem charitatem a nobis exigere videtur Joan. 13. cum dicit: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Quasi diceret: Considerate, Fratres Charissimi, viscera divinæ misericordiæ, et paternæ charitatis dignationem animo informate, ex qua in nos mirabiles, et excellentissimi effectus promanarunt. Nos enim pro sua infinita bonitate sublevavit ad sublime in statum Filiorum cum iis omnibus excellentiis, et proprietatibus, quas secum ferat, necesse est, talis, tantique Patris esse Filios dilectissimos. Quæ vero sint illa, hac in vita cognosci satis non potest, unde et addit: *Charissimi, nunc Filii Dei sumus, et nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Dignitas igitur Filiorum Dei in Cælo nobis innotescet omnino plane; sed vero nunc vel in terra non nihil illius dignitatis per Fidem cognoscimus. Quidnam illud? *Charitatem esse diffusam in cordibus nostris*, per quam inclinamur ut filii ad amandum Deum Patrem.

36. Ex hac veritate descendit suapte natura ratiocinatio hæc facilis. Charitas Theologica propria Filiorum Dei inclinatur ad amandum Deum verum eorum Patrem; at hic est amor benevolentiae: ergo charitas propria Filiorum Dei inclinatur ad amandum Deum amore benevolentiae, de quo Theologi, et non solum ad amorem concupiscentiæ, de quo Bolgenius. Plana sunt omnia præter minorem, quæ tamen certa est, sive auctoritatem consideres, sive rationem spectes. Et primum S. Bernardus tract. de dilig. Deo amorem *Filiorum Dei* plane declarat in nostrum sensum. *Est, qui confitetur, inquit, Domino, qua-*
niam

niam potens est, et est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est, et est, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi. Secundus mercenarius est, et cupit sibi. Tertius Filius, et defert Patri. Sola, quæ in Filio est, charitas, non quærit quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum: Lex Domini immaculata convertens animas, quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui, et mundi avertere possit animam, et in Deum dirigere. Exprimit etiam alias proprietates amoris Filiorum Dei; ut quod fiat amor sponte quod fiat gratis, quod nihil de suo retinere consuevit; cui de proprio nihil est, qui non quod sibi utile est, quærit, sed quod multis.

37. Dicat nunc nobis Bolgenius, sit ne amor concupiscentiæ æternam in Deo quærentis foelicitatem, an amor benevolentiae Deo bona volentis, amor hic filiorum Dei a Bernardo descriptus, qui scilicet fit gratis, et spontaneæ, qui defert Deo, de suo nihil retinens, nihil quærens de proprio, utile non intendens, et ob illud unum motivum, quia Deus simpliciter bonus? Certissimum ergo est, amorem Filiorum Dei, de quo Bernardus, esse longe majorem, nobiliorem et excellentiorem, quam sit, esseve possit amor concupiscentiæ Bolgenianus, ut qui amor est formalis creaturæ, ejus quærit foelicitatem, aliquid de suo retinet, et procurat, et qui non fit ex motivo, quia bonus simpliciter, et in se. Illum igitur celsissimum amorem exigit Deus Pater a Filiis suis in verbis Malachiæ supra exaratis: Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Ut enim ait idem Bernardus serm. 83. in Cant. Absque hoc (amore) honor non habet gratiam.... Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor, et gloria. Sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. S. Cyprianus explicans verbum Pater præfationis Dominicæ in eundem nos ducit amorem benevolentiae, quem Bernardus expressit: Meminisse, inquit, Fratres dilectissimi, et scire debemus, quod quando Patrem Deum dicimus, quasi Filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat ille de nobis. Ubi duo iusnuat. Primum nos de Deo Patre placere, quod pertinet ad gaudium benevolentiae de bonis Dei. Alterum, id nobis ut Filiis curandum, Patri ut nostro placeamus, quia Pater est, quod pertinet ad amorem benevolentiae.

38. Non minus efficaciter ex ratione demonstratur Minor illa, si res, seposito omni præjudicio, consideretur. Quia amor Filiorum Dei erga Patrem non debet esse ex genere suo aut minus nobilis, aut minus generosus, quam amor naturalis filiorum erga parentes suos. Filii namque parentes amant propter se, et in se, ob eorum dignitatem, et excellentiam, adeo ut etiam si a Patre nihil omnino utilitatis expectaret filius, etiam si nihil sibi relinquendum hæreditatis prævideret, illum tamen amaret, et genus omne, obsequii, honoris, et auxilii præstaret. Id enim intimat omnibus, seu dictat bene informata

tura. Quod si aliqui inveniuntur interdum, qui ea non præstant parentibus, id naturæ deformatæ tribuendum, vel passionibus rationis ductum prævertentibus. Si igitur in amore naturali filiorum erga Patrem hic affectus benevolus invenitur, utpote a natura dictatus, quanto magis amor supernaturalis filiorum Dei erga Patrem, qui per supernaturalem nativitatem eos ad altissimum statum, et ad eundem cum illo ordinem elevavit, totus in Patrem feretur propter ipsum, et infinitam suam Bonitatem, nihil omnino curans in objecto suo formali, seu motivo aut delectationis, aut utilitatis, aut hæreditatis? Nec enim movet immediate ad amorem hunc castum filiorum Dei delectatio, vel hæreditas ipsis præparata, sed una Patris excellentia, una dignitas, una Bonitas. Consequitur quidem dilectionem hæreditas, et delectatio, et quo major fuerit dilectio magisque gratuita, tanto erit major merces, præmiumque copiosius, ut bene advertit Chrysostom. homil. 5. in Epist. ad Roman, inquit: *Atqui tibi major merces est, si modo extra mercedis spem feceris.* Unde et Apostolus ad Rom. 8. scribit: *Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ubi tria in his verbis observo. Primum: Hæreditatem Filiationem consequi: alterum; hæredem esse dignum Dei, qui ei gratuito, et propter ipsum tanquam *filius* servit, eum honorat, et eum amat. Tertium denique: esse verum Christi cohæredem, qui ad exemplum Christi in id intendit potissimum, ut Patri propter ipsum complacet. Id est enim imitorem esse Christi ex glorioso titulo filiationis juxta illud Apostoli ad Eph. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filii charissimi.* Filiorum est quippe imitari Patrem, qui nihil a nobis repetit, qui nobis non indiget, sed omnia donat liberaliter, sponte, quia bonus, quia vult. *Considera, inquit S. Bonavent. Opuscul. 12. cap. 6. quod ipse Benefactor tuus Deus ita tibi benefaciat, ut nihil a te repetat, nec te, nec aliqua creatura indigeat.*

§. V I.

*Demonstratur amor benevolentia ex amore, quem habet anima
justa erga Deum ut sponsum.*

39. **A**nimam justam sponsam esse Dei, constat ex variis Scripturæ locis, ut Osee 2. *Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus: Jerem. 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus. . . Ergo saltem amodo voca me, Pater meus es tu, et dux virginittatis meæ.* Quapropter in Canticis Canticorum anima justa per octo integra capita gerit personam tum sponsæ, tum discipulæ, sicut et Christus munus gerit Sponsi, et Magistri. Quo posito facilis est de-

monstratio amoris benevolentiae ex fidelitate sponsae desumpti. Namque amor sponsae diligentis sponsum dilectissimum debet esse sic castus, gratuitus, et voluntarius, ut sine admixtione proprii commodi, delectationis, et utilitatis feratur in suum Sponsum ob suas ejus dotes, excellentias, et perfectiones: si ergo anima justi sponsa est Christi, eumque diligens ut Sponsum, diligere Christum debet in se, propter se, suasque perfectiones infinitas sine ullo ad proprium commodum, et delectationem respectu. Profecto amor sponsi, seu Christi erga sponsam, seu animam justam non est amor concupiscentiae. Quid enim ab sponsa expectet, qui, quidquid boni habet, habereve potest sponsa, totum ei gratis, et ex sola sua liberalitate contulit? Est igitur verissimus amor benevolentiae non sua quaerens, cum nullo indigeat, sed quae sunt sponsae. Ut ergo sponsa respondere quodammodo possit amori tanto, quoniam habere non potest erga sponsum amorem benevolentiae cum beneficentia conjunctum, ex quo bonum aliquod intrinsicum accrescat sponso, habere saltem debet amorem benevolentiae, per quem de bonis intrinsicis, de excellentia, et dignitate sponsi placeat, ejusque bona extrinseca procuret, tum ei placendo, tum etiam curando, ut ei placeant sorores, et adolescentulae sponsae. Hic est sensus communis Doctorum Cantica exponentium, et hic est intimus sensus animarum charitate ferventium, quae hanc inclinationem charitatis propria experientia cognoscunt, Deo scilicet placendi propter ipsum, et alios excitandi ad omne obsequii genus praestandum Deo, quia omni laude, honore, obsequio, et amore dignus est.

40. Haec, quae in genere dicta sunt, essent profecto satis ad rem per se claram demonstrandam; aliqua tamen in particulari exponenda sunt, rei ut hujus veritas magis suadeatur. Et primo quidem amoris benevolentiae partes expleverat optime sponsa, dum ab sponso laudatur, et celebratur cap. 4. Cant. vers. 9. illis verbis: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Per quae ultima verba satis significatur pura, individua, et simplex intentio, quae propria est castissimi, et perfectissimi amoris in solum Deum collimantis, et non in dona Dei, nisi ut in ipsum referuntur, ut apud Tirinum docet Ambrosius serm. 2. in Ps. 118. Deinde cap. 5. vers. 7. super illa verba: *invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum;* ita fere apud Tirinum idem Ambrosius, Gregorius, Cassiodorus, Beda, et Richardus: *Nempe docebant me nudo affectu amoris quaerere dilectum meum; abjicere impedimenta, et obstacula omnia perfectionis; et ne meae voluptatis, aut oblectationis causa, sed Sponsi solius ipsum quaererem: ne dona ipsius potius, quam personam expeterem.*

41. Pergit praeterea Sponsa vers. 16. ejusdem capituli signa dans, indicia, et proprietates sponsi, quem toto mentis quaerebat affectu, et inter alias excellentias illam designat, in qua caeterae clauduntur:

Totus desiderabilis, quia sive consideretur ut Deus, sive ut homo, totus est summe desiderabilis, amabilis, delectabilis, quia totus pulcher, totus sanctus, totus bonus, totus jucundus, nec in eo est quidquam, quod amari non debeat, et desiderari. Itaque super illa verba ita diserit V. P. Ludovicus a Ponte part. 6. Medit. 8. punct. 1. *Non est in eo quidquam, quod desiderari non possit. Omnia, quæ in Deo sunt, amore sunt dignissima. Etiam justitia ipsa vindicativa, qua ob delicta sua puniuntur peccatores, est desiderabilis, et amabilis. In ea quippe Dei resplendet infinita Bonitas, nec esse posset sine illa summe Bonus, et Sanctus Deus. De hac igitur, gaudere debeo, et valde letari, quod Deus offensam puniat et in hac vita, et in altera, et quod Infernum fecerit, atque Purgatorium non minus, quam Cælum, et locum deliciarum. Id enim omne ad Dei pertinet perfectionem integram.*

42. Quæ adduximus ex a Ponte, ostendunt ardentem Sponsæ affectum per modum gaudii, approbationis, et complacentiæ circa bona intrinseca Sponsi; sed quod ait cap. 7. vers. 12. *Nova, et vetera, Dilecte mi, servavi tibi*; pertinet ex Theodoro, et Rikelio ad bona extrinseca, scilicet ad studium ardentissimum Sponsæ servandi omnia sua, atque Sororum, et integra Deo consecrandi ex pura intentione placendi. Sic enim inquit apud Tirinum laudatum: *Omnia, quæ seu in meo, seu in meorum hortis, vineis, et agris succreverunt ab initio anni usque ad finem nova, et vetera uni, et soli tibi, Dilecte mi integra, et intacta servavi, et nunc tibi, tuisque appono, tui unius, tuorum que obsequio, et in tui unius honorem, cultum, et gloriam offero, dedico, consecro, quidquid pretiosum, jucundum, suave in me, atque in meis, quidquid a natura, quidquid a gratia est, appono tibi, ut inde tu epuleris, jucunderis, delicias, nihil mihi servo, nihil meæ voluptati, meæ gloriæ, meo commodo sepono: tibi servavi omnia, ad tui solius nutum, et beneplacitum distribuenda, quia tu solus es dilectus meus, et tibi mille nominibus omnia debeo.* Sic igitur anima per gratiam, et charitatem in Sponsæ dignitatem elevata parat, et instruit Cœlesti Sponso jucundissimum convivium ex purissima intentione illi placendi, et ex charitate perfectissima, cum nihil omnino ad se, suaque respicit, sed unius gloriam Sponsi et in se, et in aliis recta intentione procurat. Solo namque amore Sponsi propter ipsum (ut repetebat S. Ignatius Lojola) omnino contenta, de cæteris curabat prorsus nihil, quod ad illum amorem non referretur, dicereque proinde vere poterat: *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

43. Quod si adhuc dubitas, Charissime Bolgeni, de amore castissimo benevolentiae Sponsæ erga Sponsum præ filiis hominum speciosum, lege, precor, Bernardum serm. 83. in Cant. amorem Sponsæ omni depuratum proprietate, commodo, seu voluptate, delicate, ut solet, exprimentem, quomodo nullus, quem legerim, Theologorum amorem clarius expressit benevolentiae. Sed quia distentus occupationibus aliis,

in quibus tempus (absit verbo invidia) utiliter collocas, legere totum forsā gravaberis, ego tibi aliquas ex præfato sermone sententias exhibebo, quæ certe uni amori benevolo aptari possunt. Sit prima: *Amor sibi abundat, amor, ubi venerit, ceteros in se traducit, et captivat affectus; Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil.* Sit Secunda. *Is (amor) per se sufficit, is per se placet, et propter se, ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum, fructus ejus usus est. Amo, quia amo, amo, ut amem.* Sit Tertia: *Magna res amor, sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat. Amant enim et Filii, sed de hæreditate cogitant, quam dum reverentur quoquomodo amittere, ipsum, a quo expectatur hæreditas, plus reverentur, minus amant. Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est, qui forte spe subtracta aut extinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui et aliud cupit. Quod tamen non sic intelligi velim, quasi nimirum Spes Theologica, ejus que amor, et desiderium bonum non sit, et supernaturale; sed quia desiderium illud non attingit puritatem, et perfectionem amoris benevolentia, et quia Sponsa, quoad ejus fieri potest, omnia ad amorem perfectum revocare conatur, adeo ut cum credit, cum sperat, cum aliarum virtutum exercet actiones, ex intentione tamen Deo placendi propter ipsum et credere, et sperare, et obedire nititur, quatenus per Dei gratiam illi datur. Quo eodem sensu intelligendum, quod sequitur in altera sententia, quæ illa est: *Purus amor mercenarius non est. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentia namna sentit. Sponsa hic est, quia hoc Sponsa est, quæcumque est. Sponsa res, et spes unus est amor. Hoc Sponsa abundat, hoc contentus est Sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet.**

44. Ex quibus illud videre quisque potest, quod indoles, essentia, et natura amoris Sponsæ in eo tota continetur. ut Sponsa, quanta quanta est vel per naturam, vel per gratiam, tota fiat Sponsi, tota ei immediate tradatur, et dicetur Sponso propter ipsum, hoc uno contenta, ut sit ejus tota, quin locum det (ex vi illius amoris) spei cujusquam rei propriæ, et privatæ adipiscendæ. Si enim Sponsus hoc amore contentus est, eodem ipso contenta est Sponsa eo intenta, ut illi propter ipsum placeat. *Hic est enim, ut inquit ipse Bernardus, complexus, ubi idem velle, et nolle idem unum facit spiritum de duobus.* Compara jam, Bolgeni mi, characteres, notas, et proprietates amoris tui concupiscentis æternam amantis foelicitatem cum notis, et proprietatibus amoris, de quo Bernardus. Profecto tuus ille amor tendit ad fruitionem de Deo quærens in eo summam delectationem; amor Bernardi de fruitione non curat ex vi motivi, nec delectationem, quidquamve privatum commodum prætendit. Amor ille tuus præmium, et fructum quærit; amor Bernardi nec præmium quærit, nec fructum in-tuetur. Amor tuus ad amantem regreditur, unde est amor formalis
ejus-

ejusdem amantis ; amor , de quo Bernardus , totum se refert in Deum . Amor concupiscentiæ ad fœlicitatem aspirat amantis , qua sine contentus esse non potest ; amor a Bernardo expressus eo tendit , ut Sponsa tota fiat Sponsi , et hæc sui traditione contenta est . Tandem amor ille tuus de spe fœlicitatis vires accipit , imo ab amore , cui spes innititur , distingui non potest ; amor alter ita est nobilis , atque perfectus , ut de spe vires nonumat . Quid est igitur , o Bolegeni , quod ad Bernardum appelles , tuumque ex illo systema stabilire contendas extracto compendio ex doctrina , quam tradit Mellifluus Doctor in Tract. de diligendo Deo ? Verum de hoc Bolgenii conatu fusius alio in loco . Nunc vero id tantum adverto , adeo ab Auctore nostro dissideere Bernardum , ut ejus doctrina in contrariam omnino declinans partem indigere potius videatur , sin minus temperamento , certe iudicio inter legendum omnino prudenti , et circumspecto .

§. VII.

*Demonstratur amor benevolentia ex amore Dei erga nos ,
ex amore Christi erga Patrem , et proximos ,
et ex amore nostro erga Christum .*

45. **C**ertum esse videtur , nec posse in dubium revocari nisi a contentioso prorsus , et pugnaci , Deum amare nos amore benevolentia , ex quo nimirum vult nobis sua dona conferre , quin ei quidquam accrescat , qui nullius eget . Hæc porro notio est amoris benevolentia Theologorum , quæ non excludit , quin potius in se claudit , unionem affectivam amantis cum amato , sed tamen ita ut ex amato non quærat delectationem , utilitatem , aut fœlicitatem . Nec in Deo adversus nos benevolo ex una sua voluntate , et spontaneitate poni potest actus benevolentia , qui amor non sit , vel qui ad Religionem , aut aliam virtutem , nisi per summum deliramentum , revocetur . Hanc igitur benevolentiam Deus in nos habet tum per modum amoris , tum per modum desiderij , tum per modum gaudij , seu complacentia , quamvis hi actus in eo non distinguantur , quemadmodum distinguuntur in nobis . Et quidem quod pertinet ad amorem benevolentia , per quem Deus vult nobis bonum , explorata res est . *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum Unigenitum daret , ut omnis , qui credit in eum , non pereat , sed habeat vitam æternam ;* ut ait Christus apud Joan. 3. et ipse Joan. in Epist. 1. cap. 4. id ipsum testatur dicens : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis , quoniam Filium suum Unigenitum misit in mundum , ut vivamus per eum .* Ex quibus habemus , Deum diligere mundum , esse bonum mundo velle , et Deum sic eximie mundum diligere esse velle mundo tam eximium bonum , nempe suum Filium Unigenitum . Similiter charitas Dei in nobis est ipsa Dei benevolentia erga nos et hæc

hæc Charitas, et benevolentia in hoc continetur, et in eo apparet, quod dedit nobis *maximum illud bonum, ut vivamus*. Est ne hoc *benevelle*, an aliud quidquam a benevolentia? Tolle tantisper benevolentiam; et dilectionem, per quam mundo datur maximum bonum ex spontanea Dei voluntate, omnino tolles. Similiter dilectionem Dei spontaneam juxta illud Osee 14. *diligam eos spontanee* animo informa, et necessario concipies benevolam Dei voluntatem erga eos, quos spontanee diligit.

46. De desiderio benevolentia: (quatenus nempe in Deum cadere desiderium potest) satis est, quod ait Apost. 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Unde Chrysostomus expresse dicit, ardentem Deum exoptare salutem hominum. Nullum item potest esse dubium de gaudio, seu complacentia benevolentia. Quis enim non videat, complacere Deum in anima justa? Quod non solum de Christo et ut Deo, et ut homine verum est, de quo scriptum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; sed etiam de anima quavis justa donis cælestibus ornata. Legantur Cantica Canticorum, et passim invenietur hæc Sponsi complacentia in Sponsa, quam laudat. Fixum igitur maneat, ratum, et inconcussum benevolentiam Dei erga nos esse amorem verissimum, per quem bona vult Deus, non sibi, sed nobis, ea procurat, et in iisdem complacet. Unde et Psalm. 17. dicitur: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*.

47. Nec minus certum esse videtur, Christum ut hominem dilexisse tum Patrem, tum nos verissimo amore benevolentia, et hunc amorem nobis constare ex his, quæ narrantur ab Evangelistis. Porro si in memoriam revocemus ternarium illum ordinem affectuum, de quibus S. Thom. mentionem facit frequenter 1. 2. et 2. 2. et quos Augustinus complexus est verbis illis, quæ capite antecedenti exaravimus, liquido constabit nobis ex Scriptura Christi amor, desiderium, et gaudium benevolentia circa bona Patris, et odium, fuga, atque tristitia de malo extrinseco ejusdem: similiter patebit ex Sacra Pagina hic affectionum numerus circa bona, et mala Fratrum suorum. Ut tamen hujus demonstrationis vis melius intelligatur, supponendum est, animam Christi, præter amorem Dei necessarium per Scientiam Visionis regulatum, alium etiam habuisse amorem liberum, et meritorium regulatum per Scientiam infusam. Sic enim commodius explicatur Christi *meritum*, quod quidem certum est Theologis omnibus, quod attinet ad actus charitatis erga proximos, et quod spectat ad actus charitatis erga Deum, probabilissimum.

48. Hoc igitur statuto, facile ostenditur amor benevolentia Christi erga Patrem ex illo Joan. cap. 14. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc*. Profecto hæc Christi verba ponunt ante oculos amorem, ex quo Christus Patri placebat propter ipsum, ejus obtemperans vo-
lun-

luntati, et bonum, gloriam, et clarificationem ejusdem præ omnibus intendens, et procurans: quod uni amor benevolentiae competere potest. Fac tamen illam Christi dilectionem esse amorem concupiscentiae, qualis a Bolgenio describitur. Nihil profecto adduci potest pro expositione verborum, quod non sit incongruum, repugnans, ineptum. Nam illa dilectio vel significabit desiderium aeternae Beatitudinis, vel gaudium de illa, et erit sensus: Ut cognoscat mundus, quia desidero Beatitudinem essentialem, quam jam habeo a primo conceptionis instanti: vel quia de illa gaudeo: *surgite, eamus hinc*. Quid magis insulsum, magisque pugnant cum veritate sententiae? Simili modo amor benevolentiae Christi erga proximos facillime demonstratur ex illo altero Joan. loco cap. 13. *Cum dilexisset suos, quierant in mundo, in finem dilexit eos*. Sicut enim dilexerat eos tot ea illis bona volendo, sic eos dilexit in finem, in ultima nempe caena, summi amoris edens argumenta: Primo: in lotionem pedum Discipulorum, qua significavit, se unum esse, qui animi sordes potest abluere: Secundo: in Sacrae Eucharistiae institutione, qua Corpus, et Sanguinem in memoriale perpetuum illis, atque adeo nobis ex mira, et ineffabili charitate donabat: Tertio: in caelesti doctrina, quam et solito prolixiore, et suaviorem in hac caena deprompsit. Est ne hic Christi eximius amor actus concupiscentiae, an verissimae benevolentiae? Quærit ne Christus quidquam a Discipulis, an eis potius omnia vult bona, et omnia munera impertitur? Profecto eximia hæc Magistri erga Discipulos amicitia explicari minime potest per actum Religionis Bolgenianum.

49. Veniamus ad desideria benevolentiae Christi Domini. Hujus generis desiderium erga Patrem, cujus gloriam vijs omnibus propagare desiderabat, quia nimirum dignus erat propter se omni honore, gloria, et amore. constat ex omnibus gressibus Christi dicentis: *quæ placita sunt ei, facio semper*. Certe apud Lucam 12. habemus illa verba: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Quæ verba, ut docet S. Ambrosius, dicta sunt a Christo accenso igne caelesti, puta, zelo, et desiderio passionis subeundae. Eadem fere ratio applicari potest desiderio benevolentiae erga proximos; sicut enim Pater per Filii Passionem glorificandus erat, sic et nos ex ejusdem Passione eramus fructum relaturi. Sed et idem Lucas cap. 22. desiderium benevolentiae erga nos expressit illis verbis: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*, post quæ verba refert Evangelista Institutionem Eucharistiae, quasi designans vehementissimum illud desiderium eo tendere, ut nobis relinqueret donum illud inenarrabile, et ut nos tanto bono, tantoque munere cumulatisimos redderet. Jam vero de gaudio benevolentiae certissima sunt verba illa, quæ impletis Prophetijs, et expletis omnibus, quæ decreta erant, mundo redempto, et Patre glorificato dixit Jesus: *Consummatum est*. Nec enim dubitandum est, ea protulisse Christum ex intimo gaudio

dio de glorificatione Patris, et de redemptione hominum. Nec minus est certum id benevolentiae gaudium habuisse Christum erga illum adolescentem, qui proponenti Domino praecepta apud Marc. cap. X. respondit: *Magister, haec omnia observavi a juventute mea*, cum Evangelista subjungat: *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum. Id est, inquit Tirinus, per metalepsin, instar summe dilecti prehendit, amplexatus, et osculatus est eum*. Certe intuitus ille placidissimus Domini, et dilectio externe manifestata esse non poterant nisi cum approbatione, complacentia, seu gaudio de bono, quod inerat adolescenti ex observatione praeceptorum. Hoc benevolentiae gaudium docuit ipse Dominus Apostolos suos, dum de ejus discessu moerentibus dixit: *Si diligetis me, gauderetis utique*. Quam igitur ob causam? Audi, quod addit: *Quia vado ad Patrem; quia Pater major me est*. Hortatur igitur illos ad gaudium de bonis Magistri sui.

50. Et haec quidem de actibus amoris, desiderij, et gaudij versantibus circa bonum; nunc vero juxta regulam S. Thomae, et principium Augustini: *Amor . . . fugiens quod ei adversatur, timor est, idque, si acciderit, sentiens, tristitia est*, facile est demonstrare amorem benevolentiae Christi erga Patrem, et erga proximos ex odio, abominatione, et tristitia ejusdem circa mala extrinseca Patris, et circa mala proximi. Quater legimus plorasse Christum, dum inter mortales viveret passibilis, cum esset recens natus, et praesepio jaceret, cum Lazarum suscitavit, cum flevit super ingratham Hierusalem, cumque pendens erat in Cruce. Si causae harum lachrymarum exquirantur, invenietur protinus, earum esse potissimum peccata hominum, quatenus opposita bonitati divinae, et quatenus mala nostra, atque adeo lachrymas ex amore benevolentiae profluere. Pro cujus intelligentia supponendum est id, quod negare, extremum esset dementiae, Christum Dominum a primo sua conceptionis instanti operatum esse perfectiori modo, quem potest mens humana concipere, atque ideo semper fuisse in actuali exercitio virtutum. Si enim Angeli semper sunt in actu secundo, ut dicitur, et nunquam transeunt a non actu ad actum, sed ab actu ad actum semper procedunt, unde et ad Deum se se in primo creationis instanti converterunt, quanto magis anima Christi, quae certe inferior non fuit Angelis in operando per scientiam infusam? Hinc etiam fit, ut licet Christus meruerit per actus virtutum infusarum, atque per actus alios liberos etiam ordinis naturalis, omnes tamen ejus actiones retulerit sine dubio in Deum ex charitate illos imperante.

51. Iis igitur statutis, cum infans Christus ploravit, lachrymae profluere videbatur ex necessitate naturae, sed cum judicium haberet perfectissimum, plenissimamque cognitionem peccatorum, quae plane erant opposita Divinae bonitati, et hominum mala verissima, causa praecipua lachrymarum erat, ut ex principijs Theologiae observat Vener. Ludovicus a Ponte, odium, et tristitia de peccatis. Simili modo ploravit in
Cru-

Cruce. Certe vis dolorum acerba, et incredibilis erat sufficientissima ad extorquendas lacrymas; sed tamen illas potissimum effundebat ex offensis contra Patrem factis, et ex dolore peccatorum nostrorum. Quod quidem sine amore benevolentiae erga Patrem, et erga Proximos esse non poterat. Flevit item cum Lazarum suscitavit tum ex compassione defuncti, atque Sororum, et, ut mihi quidem videtur valde credibile, ex tristitia de peccato, quod mortem in mundum introduxit. Profecto Judaei non mali sane, ut res ostendit ipsa, Logici amorem ex lachrymis collegere dicentes: *Ecce quomodo amabat eum.*

52. Sed clarius adhuc demonstratur amor benevolentiae Christi ex lachrymis, quas effudit super civitatem ingratham Hierosolymae. Ait enim Lucas cap. 19. *Et ut appropinquavit videns Civitatem, flevit super illam.* Quibus in verbis *super illam* significatur aperte, flevisse ob mala, quae ventura erant super cives Hierosolymae, et quod non recipiebant bona, quae illis conferre volebat. Primum ostenditur verbis illis: *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo etc.* Alterum significatur illis: *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi.* Flevit igitur Christus ex compassione, atque ex tristitia malorum, quae, quantum erat ex parte sua, arcere volebat a Civibus, quos ex vero amore benevolentiae diligebat, non aliter ac cum Proditori traditionem exequenti osculum dedit verbis illis suavissimis: *Amice, ad quid venisti?* volens illum ad se adducere, et ad facti poenitentiam revocare. Ex eodem benevolentiae amore, quem ostenderat erga Hierusalem, nata est exprobratio illa, quae habetur apud Math. 23. *Hierusalem, Hierusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, et noluisti?*

53. Si a Christi lachrymis ad ejus sudorem sanguineum procedamus, nonne luce clarius splendescet amor benevolentiae animae Christi erga Patrem, et homines? Sciunt omnes, causas illius sudoris insoliti fuisse multas, sed ignorare nemo debet, unam ex ijs nostra fuisse peccata, ut testantur Patres, sive incredibilis eorum numerus consideretur, sive ratio offensae divinae Majestatis, sive malum, quod ex illis obvenit hominibus. Quod quidem commendat maxime et benevolentiam erga Patrem offensum, et amorem erga nos, quos a tot, tantisque malis cum acerbissima, et voluntaria sanguinis effusione liberare desiderabat. Aliam etiam hujus effusionis causam addit S. Laurentius Justinianus lib. de Spirit. Christi agone cap. 19., ex qua non minus declaratur benevolentiae amor erga suos. Docet enim S. Pater, id esse factum, ut ostenderet Dominus sensum intimum, quem habebat, tormentorum, et afflictionum, quibus sui exercendi erant. Unde fuit in Stephano spiritualiter lapidatus, in Petro crucifixus, in furcam actus decussatam cum Andrea, in Laurentio tostus etc. Erat enim haec intima compassio, ex amore benevolentiae profecta, cujus est gau-

dere cum gaudentibus, flere cum flentibus; nam bona amici, atque mala reputat propria. Ob eandem rationem animæ justæ gaudent cum Christo, et compatiuntur Christo ex animi sensu tenerrimo, considerantes ejus dolores acerbissimos in Passione perpassos. Et quod majus est, majori habent in pretio compassionem supernaturalem ex amore Christi proficiscentem, quam æternæ beatitudinis desiderium, ut satis indicat S. Justinianus supra laudatus, cum in Serm. de Passione petit a Domino, non solum ut veniat in Regnum suum, *sed ut doloribus compatiatur suis, suæque communicet Passioni*. Sciebat enim optime, quod Bonaventura tradit in Stimul. div. am. meliorem nempe dispositionem ad Christi dolores in anima persentiendos ejusdem Domini amorem esse. Quod si amor hic esset concupiscentiæ, propriam intendens felicitatem, et ex vi sua non volens amico bona, nescio, quo pacto moveret vehementer ad condolendum de malis ejusdem. Veniamus ad praxim.

54. Quis, precor, Fidelium, dum Beatissimæ Virginis Mariæ dolores, quos in Passione Filij sui pertulit acerbissimos, conatur utcumque intelligere, vel ponderare, ut cum ea ex intimo animi sensu condoleat, non illud verset in animo, dolorum scilicet magnitudinem fuisse tantam, quanta fuit amoris magnitudo Pijssimæ Matris erga Filium Dilectissimum? Finge nunc animo, amorem illum in eo contineri, quod Matris anima desideraret ardentem æternam felicitatem in Filio habendam. Profecto desiderium hocce esse non potuit in Virgine radix, aut mensura dolorum, quibus illius animam pertransivit gladius acutissimus. Quid enim Matri tantæ decrescebat de æterna sua felicitate, quod ejus Filius cruciatus immensos pateretur? Dolebat quidem Mater, quod ita pateretur, et vehementissime dolebat, sed non erat illud desiderium causa dolendi. Quænam igitur illa? En tibi causam, et a nemine in dubium revocandam. Volebat Virgo Sanctissima Filio suo, quem esse Deum, et Summum Bonum clarissime cognoscebat, omne bonum nedum intrinsecum, sed etiam extrinsecum; volebat, eum ab omnibus cognosci, amari, et honorari ob infinitam ejus Bonitatem, Dignitatem, Excellentiam; volebat ei ab omni creatura reddi laudem, gloriam, obsequium, et honorem. Hic erat amor, hæc radix erat, hæc mensura dolorum, quos juxta Crucem stans incredibili constantia perpassa est Martyrum Regina. Cum enim Filio charissimo, Vero Deo, et infinite Bono vellet omne bonum, cujus erat infinite dignus, proprijs inspiciebat oculis omni affici ignominia, nulla non corporis parte torqueri, stupenda hominum ingratitude male haberi illum ipsum Deum, qui mira faciens humano generi ex sua sola dignatione, mala multa, magna, et incredibilia ab eodem patiebatur. Id animam Matris discruciebat acerbe, quod pro bonis debitis mala Filius reciperet ab ingratis. Nam ex amore, et desiderio boni, quod alicui volo, exoritur necessario odium, et tristitia de malo contrario.

Est

Est igitur certo certius amorem benevolentiae B. Mariae Virginis erga Filium suum fuisse causam, radicem, et mensuram tormentorum, quae in acerba illius Passione perpessa est. Unde ut amoris magnitudinem non possumus satis cognoscere, ita vim tormentorum exprimere non valemus. Haec est via, quam nobis ostendunt Patres ad dolores Virginis contemplandos. Haec est ratio, qua nobis illos demonstrant Ascetæ omnes, et haec est praxis Fidelium, qui non in desiderium Virginis, aut in ejus intendunt amorem foelicitatis, ut vim dolorum intelligant, sed in amorem benevolentiae erga Filium suum, et in ejus infinitam Bonitatem, et Dignitatem, quam clarissime cognoscebat. Dices, pias has esse devotarum animarum meditationes. Addo ego, piissimas, et in Scriptura solidissime fundatas, e SS. Patrum testimonijs clarissime deductas, ex vera desumptas Theologia, et principijs Philosophiae omnino conformes. Addo insuper, illas locum habere minime posse in amore Bolgeniano, qui unam amantis foelicitatem, et beatitudinem procurat.

55. Næ ego essem justo longior, si prosequi loca vellem, in quibus ex verbis, et gestis Salvatoris nostri ostenditur aperte amor benevolentiae, quo nostra quæsit Benignissimus Dominus, non sua. Utinam et nos ejus amori benevolo responderemus, et qualem ab eo amorem suscepimus, talem eidem, ut optabat Bernardus, rependeremus, non nostra quærentes, sed quæ illius sunt, toto corde, totis viribus, et tota fortitudine procurantes. Veniat nunc clarissimus unius amoris concupiscentiae assertor Bolgenius, et explicet nobis benignissimum Dei erga nos amorem, explicet amorem Salvatoris erga Patrem, et nos, explicet amorem nostrum ad Redemptorem omnium, et videat, an ope actus Religionis, ad quam juxta illum benevolentia pertinet, quia virtutis hujus naturam certe non tenet, exponi congruenter possint, quæ in hac parte ab Scriptura deduximus? Ego quidem in hac sum opinione, ut audeam dicere, fore Bolgenium in sui systematis inventionem mirum in modum ab omnibus suspiciendum, si modo quæ in hoc capite produximus, demonstret intelligi posse commode amore benevolentiae sublato. Interim tamen dico, nullam ex suis principijs elici posse interpretationem, quæ probabilis sit, aut quæ ulla ratione Sacrae Scripturae, Patribus, et menti Fidelium congruere videatur.

§. VIII.

Demonstratur amor benevolentiae ex Epistolis S. Pauli.

56. **U**t ex gestis, et dictis Salvatoris Nostri Jesu Christi colligitur evidenter, ut vidimus, amor benevolentiae, sic ex Epistolis, et ex gestis S. Pauli idem clarissime demonstratur. Et ut in memoriam revocanti Salvatoris exempla, et testimonia Evangelistarum

tot mihi occurebant loca , et tam manifesta , ut quibus potissimum uterer in numero præcedenti , diu , multum que dubitaverim , id ipsum mihi contingit in Epistolis , et recte factis Apostoli Gentium . Nam sive cœlestem Pauli doctrinam , et exhortationem ad meliora charismata considerem ; sive zelum gloriam Dei propagandi contempler ; sive persecutiones , pericula , et tribulationes , quas pro salute Fratrum pertulit , animo volvam ; nihil ferme video , quod benevolentia non sit , nihil , quod amicitiam non commendet ad Theologorum sensum , nihil denique , quod non ponat ante oculos amorem , desiderium , et gaudium benevolentia de bonis Dilectissimi sui , et odium , abominationem , et mœrorem de malis , quæ Infinitæ Bonitati opponuntur , et salutem Fratrum contraria sunt . Molestus essem lectori , si quæ occurrunt , proponerem loca omnia . Aliqua tamen producenda sunt . Et primo quidem Apostolus ad Ephes. 5. sic Fideles ad Charitatem hortatur . *Estote imitatores Dei , sicut Filij charissimi , et ambulate in dilectione , sicut et Christus dilexit nos , et tradidit semetipsum pro nobis oblationem , et hostiam Deo in odorem suavitatis . Item . Ut filij lucis ambulate . . . probantes , quid sit beneplacitum Deo . Tandem . Psallentes in cordibus vestris Domino : gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi .*

57. Ex qua Apostoli doctrina tria hæc habemus : Primum : Ephesios debere esse imitatores Dei , ut filios charissimos ; sed Deus illos amavit amore benevolentia ut filios charissimos , eis communicans omnia bona , et ex illis nihil sibi quærens : ergo et Filij charissimi amare Patrem debent amore benevolentia , nihil ex virtute illius amoris sibi quærentes , sed quæ sunt bona Patris intendentes , amantes , et procurantes . Alterum : Ephesios debere ambulare in dilectione , sicut et Christus dilexit nos , se ipsum pro nobis tradendo ; sed amor Christi se ipsum tradentis pro nobis est amor benevolentia , nostra quærens , et non sua : ergo Ephesij debent Christum diligere amore benevolentia , non sua quærentes , sed quæ sunt Christi . Tertium ; Ephesios debere ambulare ut filios lucis , probantes , quid sit beneplacitum Deo ; sed filius lucis sic ambulans , ut probet se Deo placere , agit ex amore benevolentia ad Deo placendum intento : In id igitur intendit frequentissime Paulus , gloriam Dei ut quæramus , non nostram , et ut quæ Christi sunt , procuremus , ut veri amici , non vero quæ nostra . Unde ad Philip. 2. magnopere dolet , dicens : *Neminem habeo tam unanimum (ut Timotheum) qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit . Omnes enim , quæ sua sunt , quærunt , non quæ Jesu Christi .* Id est , ut exponit S. Anselmus : *non admodum solliciti sunt de Evangelio promovendo , quod est negotium Christi .*

58. Deinde multus est Paulus in monendo Fideles , ut omnes actiones in Deum dirigant , ut in laudem , et gloriam Dei opera exequantur , ei scilicet placentes , et ex illa purissima intentione omnia

in finem ultimum referentes. Ad Ephes. 6. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo.* Ad Corinth. 1. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ad Colos. 3. *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.* Item: *quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus.* Non est animus, id in præsentem discutere, sint ne de præcepto, quæ hic traduntur ab Apostolo, an de consilio, nec item quænam hic relatio Charitatis significetur, actualis ne, an virtualis, an habitualis, si de præcepto intelligantur? Illud autem, quod rei nostræ interest, certissimum est, hic loqui Apostolum de Charitate, cujus est opera in Deum dirigere, et in gloriam Dei agere, ei ut placeat tanquam amico, cujus bona procurat. Jam verò hæc Charitatis intentio eo tendens, non ut amanti bonum quærat, sed ut placeat amico, ejusque bonum promoveat, et curet, est verissimus actus benevolentiae, nisi rerum notiones invertere velis, sensumque communem negare contendas. Sic Paulum exponunt Interpretes, sic Ascetæ intelligunt, sic Fideles praxi ipsa, usu, et exercitatione confirmant. Fac tamen, ut hæc Charitatis intentio ad amorem pertineat concupiscentiæ; nihil sane invenies magis insulsum, ineptum, aut pugnant cum præcepto, vel potius consilio Apostoli. Erit enim sensus: Omnia in Dei gloriam facite, ejus beneplacitum exquirentes, et bonum quærentes; id est, facite omnia, ut foelicitatem vestram assequamini, vestram quærentes gloriam, et bona vestra procurantes.

59. Rursus idem amor benevolentiae demonstratur ex Apostolo commendante 1. ad Corinth. 13. et 14. excellentiam Charitatis supra virtutes cæteras. Cum enim sine Charitate prodesse nihil edixisset, et ei attribuisset actus aliarum virtutum, quas suo movet imperio, ita concludit caput decimum tertium. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas.* Ex quibus habemus duo illa. Primum, quod Charitas ut Fides non est, sic etiam ab Spe distinguitur. Quod idem traditur 2. ad Timoth. 2. *Sectare justitiam, Fidem, Spem, Charitatem etc.* Et Ecclesiast. 24. *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et Sancta Spei.* Quare distinctio simpliciter talis inter Charitatem, et Spem videtur esse de Fide, illamque supponit Tridentinum Sess. 6. can. 3. Quod vero distinctio sit omnino realis, est item certum (quamvis non certitudine Fidei) unde falsa est prorsus opinio, quam tenuit Ocham docens, Spem non esse quid tertium distinctum a Charitate, et Fide, sed quoddam illorum aggregatum. Nec enim sine errore affirmari potest, Spem in peccatore non manere. Alterum, quod ex Apostolo colligimus, illud est, Charitatem esse majorem, et perfectiorem cæteris virtutibus Theologicis Fide et Spe.

60. Jam vero sublato amore benevolentiae neutrum horum salvari potest in Bolgenij systemate. Non primum; nam amor concupiscentiae aeternae beatitudinis ad habitum Spei manifestissime pertinet. Id enim demonstravimus ex Augustino, et Thoma, et ex ratione Theologica. Nec enim concipi potest, quo pacto possit quisquam sperare id, quod non amat, et desiderat. Nam spes non versatur circa malum, sed circa bonum, arduum tamen, et difficile, sic tamen ut licet arduitas ex parte objecti supponatur, id, quod ad amandum movet, et desiderandum, sit *bonitas*, in quam tendit actus prosecutivus voluntatis. Unde S. Augustinus in Enchyridio laudat Poetam Italum melius canentem.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Sed vero praefert Hispanum alium melius sentientem.

Liceat sperare timenti.

Sicut igitur timor tendit in malum, sic etiam spes tendit in bonum. Reliquum est igitur, ut in principijs Bolgenij nullum sit discrimen inter Spem, et Charitatem; nam quamvis diversitas aliqua assignari utcumque posset inter actum ipsum sperandi, et amorem concupiscentiae felicitatis aeternae, nullum tamen assignari potest inter hunc actum extremum, et inter amorem illum eundem, cui Spes innitur Theologica. Sola igitur Spes satis erit ad actus Theologicae Charitatis. Unde et illud etiam absurdum prorsus, et erroneum, necesse est, ut consequatur, in homine scilicet peccatore Charitatem permanere.

61. Ob easdem fere rationes non salvatur alterum in opinione Bolgenij; nam actus praecipuus Charitatis Bolgenianae ad Spem pertinet, et ab ejus elicitur habitu, ut probavimus. Charitas igitur Spe perfectior esse non potest, namque perfectionem illam majorem ab actu sui primario deberet Charitas habere, seu participare. Ex alio etiam principio Theologico veritas eadem suadetur. Quia Theologi cum S. Thoma 1. 2. q. 23. art. 6. inde probant, Charitatem esse virtutem caeteris potiore, et perfectiorem, quia magis Deum attingit, quam caeterae omnes; atqui actus concupiscentiae Bolgenianae non magis Deum attingit, quam actus concupiscentiae ad Spem Theologicam necessarius; nam uterque Deum attingit, non ut in eo sistat sine reflexione ad amantem, sed ut ex Deo proveniat concupiscenti adeptio boni. Sunt igitur pares praefati actus in attingendo Deum. Ergo ex hoc Theologorum principio minime probari potest, potiore esse Charitatem Spe Theologica. Nec ex altero principio S. Thomae, et Theologorum desumpto ex majore adhaesione, seu perfectiore unione ad Deum, quae Charitati tribuenda est praeter virtutibus caeteris, evincitur minus evidenter, quod intendimus. Nam major illa unio, majorque adhaesio in eo continetur, quod in amantem non redeat, quod non retorqueat bonum ad amantem, ut tradit S. Thomas in 3. dist. 29. q. 1. art. 1. ad 2. dicens. *amicitia non retorquet ad se ipsam bonum, quod ad alterum*

optat. Et quæst. 5. de Charit. art. 2.: *amat bonum divinum, non ut a se habeatur, vel possideatur, sed secundum se*. Hoc autem principium nihil habet commune cum amore Bolgenii, in quo adeo non invenitur illa major inhæsiō, et illa major unio cum Deo, *in se*, et *secundum se*, ut potius ad amantem retorqueat bonum, et ad concupiscentem redeat, cui bonum optat, et fœlicitatem procurat. Igitur in Bolgenii principiis non videtur salvari dictum Apostoli: *major autem horum est Charitas*.

62. Nec solum verbo nos docuit Apostolus Paulus amorem benevolentia, sed illum etiam exemplo mirifice confirmavit. Duo proferam loca, quæ certe explicari minime possunt, si amorem tollas benevolentia, et velis esse actum unicum Charitatis amorem concupiscentia. Primus locus habetur in Epist. ad Rom. 9. ubi in hanc exaggerationem prorumpit Apostolus: *Optabam ego ipse anathema a Christo esse pro fratribus meis*. Quibus in verbis ex communi Doctorum explicatione Athanasii, Theodreti, Theophilacti, et præsertim Chrysostomi homil. 2. et 3. de laudibus Pauli, quibus accedunt alii Patres, desiderabat Apostolus carere in aliquo nimirum sensu beatitudine æterna propter Judæorum salutem. Id autem exponi nulla ratione potest, amore benevolentia secluso, imo non prorsus excedente, sibi que subordinante amorem concupiscentia. Et quidem quamvis interpretatio, quæ forsitan cuiquam non probabitur, vera non esset, illud tamen certissimum est, Doctores, et Patres amorem hic benevolentia communiter tradere, eumque longe præferre amori concupiscentia, quod satis esset ad fidentiam Bolgenii pro se uno laudantis Patres ex hac sola eorum opinione penitus retundendam.

63. Scio aliquos ita intelligere verba Pauli, ut non significant carentiam beatitudinis, sed unice mortem corporalem. Verum hæc expositio est plane contra literam, quæ in sensum alienum detorquetur. Quo enim pacto per mortem anathema esset a Christo? Alii etiam ex Glossa explicant S. Paulum hæc verba referentem ad statum pristinum, cum nempe Christum non cognoscebat, et eos, qui in eum credebant, persequeretur. Unde non dicit *opto*, verba referens ad tempus, in quo scribebat, sed *optabam*, tempus respiciens præteritum. Verum hæc expositio non placet: ut quid enim Paulus tanta exaggeratione rem proponeret, quæ facile credi poterat? Præterea non est verissimile ex amore præcise Judæorum Ecclesiam esse persecutum. Tandem verba illa Pauli videntur esse simillima, et ex eodem Charitatis affectu prolata, atque illa alia, quæ habemus ex Moyse Exod. 32. *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ, quem scripsisti*. Ubi sensus debet esse conditionatus præferens amorem benevolentia proximi propter Deum amori propria fœlicitatis pro hypothesi revera impossibili, quod carentia æternæ beatitudinis propria esset necessaria ad salutem aliorum.

64. S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 8. ad 1. post quandam præmis-

sam expositionem alteram adducit ex Chrysostomo inquires: *Vel potest dici, sicut dicit Chrysostomus in lib. 1. de Compunct., quod per hoc non ostenditur, quod Apostolus plus diligeret proximum, quam Deum: sed quod plus diligeret Deum, quam se ipsum. Volebat enim ad tempus privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei.* In hanc eandem expositionem concurrunt Magister, et Bonaventura in 3. distinct. 19. Lyranus, et Haymo in Paulum, necnon Alboreus lib. 14. cap. 17. Theosophiæ. Qui omnes aperte præferunt amori propriæ felicitatis amorem proximi propter Deum.

65. Sed ut desiderium efficax, et absolutum carendi æterna felicitate propter fratrum salutem non admitto, ita suspicor majus aliquid significari in verbis Pauli, quam quod ex D. Thoma dicitur *de fruitione ad tempus*. Ratio primi est. Quia carentia æternæ felicitatis non est medium ad salutem aliorum; item talis carentia debet esse conjuncta cum carentia Charitatis, quam desiderare est sine dubio intrinsece malum. Potest, inquires, una ab altera præscindi; nam de potentia absoluta separari possunt. At obstat illud, quod saltem de facto non licebat id velle; nam etiam de potentia absoluta potest Deus privare me Charitate sine peccato; an ideo mihi licet id desiderare? Ratio secundi est; quia carentia *fruitionis ad tempus* non indigebat tanta exaggeratione; nam et alii Sancti minus perfecti illam habuere voluntatem, ut legimus de S. Martino sic dicente apud Sulpitium: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Non absimile legimus de S. Ignatio Loyola in ejus vita apud Ribadeneiram.

66. Propter hæc existimo locum illum Pauli exponendum esse ad sensum, quem indicat Eximius Doctor Franciscus Suarez Disp. 9. de Charit. sect. 1. n. 6. sic scilicet ut verba Apostoli veram contineant exaggerationem, quasi diceret Apostolus Paulus, *si oporteret, si esset necessarium, id optarem.* Unde verbum *optabam* non exprimit desiderium præsens, vel præteritum, sed quasi *potentiale*, seu quod posset haberi. De hoc desiderio exponendi sunt Patres supra laudati, non de altero absoluto, et efficaci. Et vero actus ille *potentialis* non potest dici inordinatus, quia revera non est affectus carendi beatitudine, sed modus loquendi energicus ad explicandam vim Charitatis eximiam, et potest etiam deservire ad illam excitandam. Nam considerans anima Charitate prædita gloriam, ut bonum ipsius proprium est, et salutem proximorum, ut cedit in quamdam majorem Dei gloriam, ait, se optare, carere proprio bono propter majorem Dei gloriam, et ad hunc affectum significantum utitur desiderio illo conditionato, sicut Angustinus, ut tradunt graves Auctores (nihil tamen certum hac de re invenire potui post diligentiam non mediocrem) *vellet potius, id quod est, Deum esse, quam se Deum esse, non è contrario, si hoc possibile fin-*

fingeretur. Legatur pro hac sentiendi, et loquendi ratione conditionata amantium ex toto corde Deum S. Franciscus Salesius Tract. de Amore Dei part. 1. lib. 5. cap. 6. ubi proponit praxim horum desideriorum, quæ conditionibus impossibilibus innituntur, et non modo agnoscit in illis amorem benevolentiae erga Deum, sed etiam ipsum ostendit amorem ex eo, quod amans Deum anima lætatur, et complacet in conditione impossibili, vel quod Deus non alius sit ipse, qui est, immutabilis, et bonis nostris minime indigens. Quod ut explicet, proponit excessum amoris in dicto illo, quod esse fertur Augustini. Ex dictis constat, Apostoli verba, de quibus disputamus, obscura quidem esse ad explicandum, sed esse clarissima ad demonstrandum, quem amorem intendimus. Neque enim aliqua proferri potest expositio congruens sine amore benevolentiae. Quod idem existimandum est de verbis Moysi, quæ apud Exodum leguntur.

67. Veniamus ad locum alium Apostoli clariorem, ex quo ita perspicue demonstratur amor benevolentiae Theologorum, ut nihil supra. Habetur ille ad Philip. I. ubi duabus illis affectionibus coarctabatur Paulus. *Mibi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus est operis, et quid eligam, ignoro. Coarctor enim e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei.* Mitto prima illa verba: *Mibi vivere Christus est*, per quæ, ut et per illa altera *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus*, manifeste exprimitur extasis perfecta, quæ uni potest competere amor benevolentiae, et venio ad duo illa, quibus coarctabatur. Videbat Paulus sibi esse lucrum, magis delectabile, et magis commodum mori, unde et dicebat, *cupio dissolvi, et esse cum Christo*; sed reflectens vitam suam futuram Philippensibus utilio-rem, et propagationi Evangelii necessariam addit: *permanere autem in carne necessarium propter vos*. Et hoc ultimum omnino eligit voluntate sic firma, ut dicat: *manebo, et permanebo*.

68. Profecto hæc Apostoli electio ita deliberata esset imprudens, imo et prorsus inordinata, si unicum motivum charitatis esset æterna beatitudo, nullusque amor esset benevolentiae propter summam Dei bonitatem, distinctus ab amore concupiscentiæ. Nam desiderium æternæ felicitatis deberet captivare, seu sibi subordinare cæteras animi affectiones, ut de vero Dei amore docent Patres, et res ipsa demonstrat. At vero in Paulo contingit oppositum, nam amor proximi propter Deum captivat, et sibi subordinat desiderium æternæ felicitatis, quod Paulus comprimit, ut det locum affectioni, quam potius existimat, et magis conformem divinæ voluntati, cujus beneplacitum in Dei vultu cernebat. Ut enim ait S. Bernardus lib. de natura, et dignitate amoris divini. *Apostolus dicit, permanere autem in carne, ne-*

cessarium propter vos. Affectus ergo Charitatis Deo indissolubiler in-
hærens, et de vultu ejus omnia judicia sua colligens, ut agat, vel dis-
ponat exterius, sicut voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta dic-
tat interius, dulce habet in vultum illum semper intendere. Igitur præ-
ter desiderium æternæ fœlicitatis est affectus charitatis Deo inhærens
indissolubiler, magisque conformis voluntati Dei beneplacenti, et per-
fectæ, propter quem renunciare tunc poterat Apostolus desiderio exis-
tendi cum Christo. Nam esse Paulum cum Christo est juxta Bernar-
dum loco laudato beata, et gloriosa Pauli fœlicitas; at in carne per-
manere propter Christum, erat id, quod dicebat voluntas Dei bene-
placens, et perfecta. Atque hæc Bernardi doctrina vera est, etiamsi
verba illa Pauli cupio dissolvi, et esse cum Christo actum exprimerent
non modo imperatum, sed etiam immediate elicited ex charitate,
ut sequenti capite dicemus. Nam inter actus ejusdem virtutis ille præ-
ferendus est, qui magis est conformis divino beneplacito.

69. S. Chrysostomus tum in hoc Apostoli loco, tum in illo al-
 tero, de quo paulo ante, unice instituit comparationem inter Pauli
 fœlicitatem, et justitiam fratrum, seu *id quod est Christo placere*. Sic
 enim ait homil. de Orat. *Fratrum salutem præfert suæ: suamque optas-*
set abdicare, dummodo ad veram justitiam, æternamque vitam fratres
eosdem perduceret. Similiter lib. I. de compunct. disserit in hunc mo-
dum. Ita totam ejus mentem devincit amor Christi ut etiam hoc, quod
præ cæteris amabilius erat, esse cum Christo, rursum id ipsum, quia ita
placeret Christo, contemneret. Sed et Cælorum Regno, quod videbatur
laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus carere pateretur, ab
ipso etiam Christo anathema esse, pro Christo optabile haberet.

70. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, formantur argumentatio-
 nes istæ. Prima. S. Paulus postponebat desiderium videndi Deum,
 eoque fruendi ut summa sua fœlicitate amoris prædicationis Evangelii,
 et manendi apud Philippenses propter Christum; illud item desiderium
 comprimebat; hunc vero amorem comprimere non poterat: ergo di-
 lectio Christi in hoc amore dominante continetur, qui sane non est
 concupiscentiæ, sed benevolentæ. Sit secunda: velle privari fruitione
 divina pertinet ex S. Thoma ad dilectionem sui (cui nempe volitio illa
 contraria est), velle autem in proximis Dei honorem procurare, per-
 tinet ad dilectionem Dei. Amor igitur Dei, et dilectio sui sunt omnino
 diversa. Primus est actus Charitatis Theologicæ: ergo altera est actus
 alterius virtutis, videlicet Spei Theologicæ. Sit tertia: Chrysostomus,
 et Thomas agnoscunt in Apostolo tales affectiones erga promotionem
 divini honoris, et erga summam sui fœlicitatem, ut si una posset ab
 altera separari, primam eligeret Paulus, non secundam, prima esset
 contentus, non secunda, nec in electione quidquam dubitaret. Ergo
 duæ illæ affectiones sunt omnino distinctæ. Ergo prima est major, et
 potior, atque adeo vera Dei dilectio, cum tamen desiderium æternæ
 fœ-

foelicitatis secundum se consideratæ ad sui pertineat dilectionem. Nec hypothesis a Patribus assumpta versatur circa affectionem eandem, cum duas esse supponant; sed circa possibilitatem separationis earum, nempe si una esset ab altera separabilis. Longus essem multum nimis si alia vellem persequi Scripturæ loca, ex quibus demonstrari amplius posset amor benevolentiae Theologorum. Adeo verum est, quod scribebat Bolgenius, *nullum exsare in Verbo Scripto vestigium amoris benevolentiae*. Sed quæ adducta sunt, satis, superque existimo fore, ut quicumque sit lector, ipse videat, quàm excesserit Auctor moderationis fines, dum verba illa sua præoccupatus opinione dictavit.

§. I X.

*Quomodo sint intelligenda quæ pro se adducit ab
Scriptura Bolgenius?*

71. Quoniam nos multa protulimus Sacræ Paginæ testimonia ad demonstrandum amorem benevolentiae, æquum est, ut videamus, quænam sint illa, quæ a Bolgenio producuntur pro suo unico, et vero amore concupiscentiæ. Profecto omnia, quæ ex hoc Scripturæ fonte ab Auctore Cl. proponuntur, ad quator capita revocantur. Namque alia testimonia indicare videntur, Deum a nobis amari propter beneficia, alia propter retributionem, aut mercedem, quam speramus in altera vita: alia expriment amorem tanquam desiderium, et sitim Deum videndi, et apparendi coram Deo: alia denique delectationem indicant amorem esse, nec esse posse amorem sine delectatione. Hæc omnia parvi certe momenti sunt ad excludendum amorem benevolentiae, ut expensis singulis, fiet, ut arbitror, manifestum rem seculo partis studio consideranti.

72. Et primum quidem ad benefica quod attinet, supponenda est doctrina fundamentalis de quadruplici causarum genere, quam tradit S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 2. Quærit S. Thomas eo loci *Utrum Deus sit propter se ipsum ex charitate diligendus?* Et respondet affirmati-ve eodem ipso in sensu, in quo Theologi benevolentiae Patroni. Et ab argumento *Sed contra*, sic incipit. *Augustinus dicit in I. de Doct. Christ. frui est amore inherere alicui propter se ipsum: sed Deo fruendum est, ut in eodem libro dicitur: ergo Deus diligendus est propter se ipsum.* Hæc ratio ex Augustino desumpta visa est omnino efficax S. Thomæ, et nobis etiam efficax esse debet. Quia idem est objectum motivum amoris Dei in via, quod est objectum motivum gaudii, seu fruitionis in patria; sed objectum motivum gaudii, seu fruitionis in patria est Deus propter se ipsum, et in se, cum hoc gaudium sit de bonis divinis in se consideratis: ergo Deus ipse in se et propter se ipsum est objectum motivum charitatis in via.

73. Explicat deinde idem Angelicus ratione Theologica, et per-
 via omnibus, quod ex Augustino collegerat. *Respondeo*, inquit, *dicen-*
dum, quod *ly* propter importat *habitudinem alicujus causæ*. Est autem
 quadruplex *genus causæ*; scilicet finalis, formalis, efficiens, et mate-
 rialis, ad quam *reducitur etiam materialis dispositio*, quæ non est *causa*
simpliciter, sed *secundum quid*. Et *secundum hæc quatuor genera causa-*
rum dicitur aliquid propter alterum diligendum. *Secundum quidem genus*
causæ finalis, sicut diligimus medicinam propter sanitatem: *secundum autem*
genus causæ formalis, sicut diligimus hominem propter virtutem,
 quia scilicet *virtute est formaliter bonus*, et per consequens *diligibilis*;
 secundum autem *causam efficientem*, sicut diligimus aliquos, in quantum
 sunt filii talis patris: *secundum autem dispositionem*, quæ *reducitur ad*
genus causæ materialis, dicimur aliquid diligere propter id, quod nos dis-
 ponit ad ejus dilectionem, puta propter beneficia suscepta: *quomodo post-*
quam jam amare incepimus, non propter illa beneficia amemus, sed propter
 ejus virtutem. Primis ergo tribus modis Deum non diligimus propter
 aliud, sed propter se ipsum. Non enim ordinatur ad aliud sicut ad fi-
 nem, sed ipse est ultimus finis omnium; neque etiam informatur aliquo
 alio ad hoc, quod sit bonus, sed ejus substantia est ejus bonitas, *secundum*
quam exemplariter omnia bona sunt: neque iterum ei ab altero bonitas
 inest, sed ab ipso omnibus aliis. Sed quarto modo potest diligi propter
 aliud, quia scilicet ex aliquibus aliis disponimur ad hoc, quod in Dei
 dilectione proficiamus, puta per beneficia ab eo suscepta, vel per præmia
 sperata, vel etiam per pœnas, quas per ipsum vitare intendimus.

74. Placuit ad longum transcribere hanc Divi Thomæ respon-
 sionem, quæ una sufficeret non jam solum ad confringendos, sed ad red-
 dendos etiam inutiles prorsus Bolgenij conatus, qua parte contendit,
 suam ejus opinionem multis in locis tradi ab Angelico Doctore. Qua
 in re Auctoris critica multum desideratur. Nonne quærit in articulo
 proposito S. Thomas, an Deus propter se ipsum diligendus sit? Non-
 ne respondet ex Augustino, et ex ratione Theologica, unicam causam
 motivam, unicum objectum formale charitatis esse Deum ipsum, esse
 virtutem, bonitatem, et perfectionem Dei, et quidquid est extra
 Deum esse unice posse dispositionem, ex qua quis diligere Deum pos-
 sit, non propter dispositionem, sed propter ipsum? An non expresse
 præoccupat S. Thomas opinionationes Auctoris, quæ ex beneficijs repe-
 tuntur, affirmans plane ex beneficijs nos quidem ad amandum disponi,
 sed propter beneficia non amare? Igitur si Angelicus hoc in loco Theo-
 logorum sententiam de vero amore benevolentis ex professo proponit,
 tractat, probat, et firmat auctoritate, et ratione, eamque vindicat ab
 objectionibus, satis id critico cuicumque veritatis amanti esse deberet,
 ne Doctorem Angelicum pro parte contraria in Dissertatione publici fa-
 cta juris producere auderet.

75. Prævidit, ut arbitror, ista Bolgenius, et se se tegere cona-
 tur

tur contra hoc S. Thomæ telum, quo solet clypleo, inquit: *subtilia hæc esse, atque obscuræ, et quæ a Fidelibus capi minime possunt*. Sic enim scribit pag. 101. Declarat. contra cl. Comitem Muzzarellium: *Interea dum aliud nihil afferas præter distinctiones, et subdistinctiones, divisiones subtiles, et speculationes inter objectum materiale, et formale, inter quatuor causarum genera finalem, formalem, efficientem, et materialem, nihil omnino conficies; et ego semper tibi dicam, maximam Christianorum partem non modo nihil horum capere, sed nec posse intelligere, atque adeo fieri minime posse ut ab speculationibus ignotis et a populo nequaquam percipiendis veri, sancti, et perfecti amoris erga Deum exercitium dependere debeat*. Ommitto hanc ultimam non certe opportunam consecutionem, quæ a nobis profliganda est cap. 3., et quæ si admitteretur, satis esset ad explodendam integram Dissertationem Bolgenij, ut eam legenti manifestum erit. Venio ad prima illa Auctoris verba: *subtilitatis, et obscuritatis* accusantis divisionem objecti in *materiale, et formale, et causarum in finalem, formalem, efficientem, et materialem*. Ad primum quod attinet, quis inter Disciplinæ Philosophicæ candidatos sic erit tardus prodigiose, ut discernere nesciat in genere objectum *formale a materiali*, cum audit objectum *formale* esse id, quod amatur propter se, et *materiale* id, quod amatur propter aliud? Sic æger amat potionem amaram propter sanitatem, ubi sanitas amata propter se est objectum *formale*, et potio amata propter sanitatem est objectum *materiale*.

76. Quod attinet ad secundum, S. Thomas (qui non minus apud Bolgenium castigatur hoc loco, quam Comes Muzzarellius) satis, credo, perspicue causarum designat ideas. Pater est, inquit, causa filij efficiens. Mira subtilitas! sanitas est causa finalis, propter quam assumitur medicina. Quis id percipere satis possit! Homo est formaliter bonus per virtutem. Obscurissimum effatum! Beneficia disponunt ad amandum Benefactorem propter ejus virtutem, et affectum, atque adeo reducuntur ad genus causæ materialis. Hoc ultimum non est ita clarum ex penetratione terminorum, sed vel homini non penitus ingenioso fiet illico clarum, si dicatur, id quod materiam, seu subjectum disponit ad aliquam formam, seu figuram recipiendam, dici communiter causam dispositivam materiæ, et in quodam sensu causam materialem, quia se habet ex parte materiæ. Sic calor disponit lignum, ut ignescat, et comburatur, sic cera per mollitiem disponitur, ut sigilli figura melius imprimatur ect. Id est igitur, et non aliud, quod innuit S. Thomas. Est ne hic obscuritatis quidquam? Profecto Concilium Tridentinum, quod certe vitio non laborat aut *obscuritatis*, aut *subtilitatis*, dum Sess. 6. cap. 7. tradit justificationem impij, præter causam dispositivam, quæ ad genus causæ materialis reducitur, nobis etiam proponit causam finalem, efficientem, instrumentalem, meritoriam, atque formalem. Et quis, quæso, tametsi literis parum initiatus divisionem

nem illam non percipit? Sed demus tamen divisionem illam causarum S. Thomæ aliquantulum esse subtilem, demus item esse subobscuram; non ideo Auctor novi systematis de Charitate Theologica, cujus natura abstrusa quidem est, alta, sublimis, et difficilis, a mente indaganda S. Doctoris, quem suum esse totum lectori volebat persuadere, deterreri debuisset, præsertim cum ei faveat ingenium bonum, mens aperta, et non vulgaris acuminis perspicacia, ut in ejus operibus plane video.

77. Jam vero ut eo regrediamur, unde digressi sumus, illud est certum apud S. Thomam loco laudato in responsione ad primum argumentum: *quod exijs, quæ animus novit, discit incognita amare, non quod cognita sint ratio diligendi incognita per modum causæ formalis, vel finalis, vel efficientis, sed quia per hoc homo disponitur ad amandum incognita*. Certum est item ex responsione ad tertium, quod spes, et timor ducunt ad Charitatem per modum dispositionis cujusdam. Certum est tandem ex corpore articuli, quod, licet Deus diligatur propter se ipsum, quia in se bonus, quia in se est finis ultimus, quia in se non est ab alio, nec habet causam efficientem; *diligitur tamen propter aliud*, quia ex aliquibus disponimur ad illum propter se amandum, ex beneficijs scilicet ab eo susceptis, vel ex præmijs speratis, vel ex pœnis, quas per ipsum vitare intendimus, sic tamen ut postquam amare incepimus, non propter beneficia amemus, sed propter ejus virtutem. Hac ratione diluit facile S. Thomas quidquid sibi opposuerat contra verum Dei amorem propter se ipsum ut verum motivum amoris. Eadem nos facilitate respondemus iis, quæ contra nos ex hoc beneficiorum capite Bolgenius affert ex Scriptura. Nimirum Rex David ereptus misericorditer a Deo ex insidijs, quas toties ei tetenderat Saul, unctus in in Regem, et mille a Deo beneficijs cumulatus; similiter Debitor, cui tot debita condonata erant; tandem creatura, quam Deus prior dilexerat, Deum diligunt ex toto corde, ex tota mente, et fortitudine propter beneficia suscepta, *ly propter* significante causam dispositivam, seu dispositionem ad diligendum Deum propter ipsum. Quatenus ex beneficijs susceptis, eorumque recognitione animus erigitur ad cognoscendam virtutem, et bonitatem benefactoris, a qua dimanant; et virtus ipsa, seu bonitas jam cognita immediate movet ad amorem. Unde proprie loquendo, cum voluntas amare incipit, non jam amat propter beneficia, sed propter virtutem, et bonitatem benefactoris. Smile quid contingit in Fide Theologica, cujus assensus immediate fit propter divinam veracitatem nobis mysterium revelantem; et nihilominus ex argumentis credibilitatis disponitur homo ad assentiendum mysterio propter Dei testimonium. Ratio autem utrobique eadem est, unde et æque dici potest: homo mysterio revelato assentitur propter argumenta credibilitatis, *ly propter* unice significante causam materialem, et dispositivam, seu dispositionem, non vero causam motivam

assensus. Sicut enim argumenta credibilitatis ducunt hominem ad piam affectionem credendi, et hæc affectio pia assensum imperat propter Dei testimonium; ita beneficiorum recognitio ducit hominem ad cognitionem virtutis, et bonitatis benefactoris, et hæc virtus, et bonitas cognita movet immediate ad amorem. Hoc eodem modo, inquit S. Thomas, disponit ad amorem spes, disponit et timor: Deus enim, in quem speramus, bonitatem nobis ostendit et in promittendo, et in auxiliando, similiter ostendit virtutem, et bonitatem suam in potentia nos a pœnis eripiendi: ergo ex Spe, et timore disponimur ad Deum amandum propter ipsius bonitatem, virtutem, et perfectionem.

78. Præter hæc est et alia peculiaris ratio in gratitudine præcæteris virtutibus, ob quam ex illa potius disponamur ad amandum Deum super omnia propter ipsum, Ut illa bene intelligatur, supponendum est ex D. Th. ma 2. 2. q. 106. et ex cæteris Theologis, gratiam, seu gratitudinem erga Deum esse virtutem supernaturalem sub virtute Religionis comprehensam; nam licet inter homines *pietas*, qua colimus parentes, *observantia*, qua reveremur personas in dignitate excedentes, et *gratitudo*, qua gratias agimus benefactoribus, censeantur virtutes inter se distinctæ, quatenus tamen ad Deum referuntur, omnes in Religione continentur, seu radicanur, quæ est ex D. Thoma *superexcellens pietas, observantia, et gratitudo erga Deum*; in quo concurrat omnis ratio debiti; quia est primum principium omnium bonorum nostrorum. Unde invenitur in eo debitum descendens ex Paternitate, ex Persona in dignitate constituta, et ex supremo Benefactore. Atque hinc fit, ut sicut virtus Religionis non respicit immediate Deum ut objectum *quod*, sed medio cultu, in quem afficitur, ita et gratitudo non respiciat Deum immediate, sed media gratiarum actione, seu redditione debiti, unde proprius actus elicitus a gratitudine est *velle* reddere debitum, seu *velle* recompensare beneficium. In hac autem redditione, seu compensatione tres gradus agnoscit S. Thomas hic q. 107. art. 2. quod etiam ante ipsum præstiterant alij Patres. Primus est beneficium *recognoscere*. Alter est *laudare*, et gratias agere. Tertius tandem *retribuere* pro loco, et tempore secundum facultatem.

79. Ex hac de gratitudine doctrina, et ex tribus enumeratis gradibus illud sponte sua consequitur, quod, licet ad gratitudinem pertineat *velle* recognoscere beneficium, *velle* laudare, seu gratias agere, et *velle* retribuere secundum facultatem; ipsa tamen beneficii recognitio, laus, seu actio gratiarum, sicut et retributio ad alias virtutes, imo et potentias pertinere possit. Nam primo recognitio interna beneficii non pertinet ad voluntatem, cujus est *velle* recognoscere, sed ad intellectum ponderantem beneficium acceptum. et obligationem inde resultantem, quamquam et voluntas hunc actum intellectus, seu recognitionem offerre Deo solet per modum cultus, et ideo est quodam-

dammodo gratiarum actio. Unde dicebat Augustinus 2. Confes. cap. 7. *Gratiæ tuæ deputo, et misericordiæ tuæ, qui peccata mea tanquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo, et quæcumque non feci mala. Quid enim facere non potui?* Atqui hic primus est gradus, in quo non est charitas, seu amor actualis; disponitur tamen animus ad cæteros gradus, in quibus inveniri solet. Secundo laus Dei tribus modis fieri potest, vel ad se, vel ad alios homines, vel ad Deum, ut cuique potest experientia constare. Et tribus hisce modis Angeli Deum in Cœlo laudant, tum cum ipsis colloquentes, tum cum aliis Angelis, tum cum Deo. Quocumque tandem modo fiat hæc Dei laus, quæ si mentalis sit, in actu consistit intellectus, ut bene Suarius, si vero simul vocalis, addit locutionem externam, frequenter excitat actum voluntatis complacentis, et gaudentis de magnitudine, liberalitate, et Bonitate Benefactoris, qui quidem actus ad charitatem spectat. Nam si Dei magnitudinem, liberalitatem, ac bonitatem laudamus apud nos, eam illico ex Dei gratia approbamus, et de illa complacemur. Si eas perfectiones apud alios laudamus, facile (supposito semper Dei auxilio) intervenit tunc desiderium Dei gloriam propagandi, tum gaudium de prædicatis Dei perfectionibus. Si tandem laudem Dei eidem præsentamus dicentes verbi gratia: *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe*, nemo non videt, quod hanc nostram ad Deum locutionem consequatur actus gaudii de perfectionibus Christi, dummodo *quod confitetur lingua*, ut aiebat Ambrosius, *teneat affectus*. Et hæc laus dici solet gratiarum actio, quæ sine aliquo affectu ad Charitatem pertinente non fit. Imo si perfecta sit gratiarum actio, continet etiam tertium gratitudinis gradum, in quo clarius ostenditur amor Dei super omnia.

80. Licet enim in hoc gradu secundo communiter inveniatur amor aliquis ad Charitatem pertinens, sed vero non raro solet esse pure affectivus, ut dicunt Theologi, et non perfecte unitivus cum Bonitate Divina, vel super omnia: at in retributione perfecta secundum facultatem creaturæ gratia Dei præventæ intervenit sine dubio amor Dei efficax super omnia ex toto corde, anima, et mente. Ratio est, quia cum gratitudo non tam respiciat ex S. Thoma hic q. 106. art. 5. beneficium ipsum, quam affectum Summi Benefactoris, cui fieri non potest æqualis retributio, imperat, quam potest perfectissimam compensationem secundum facultatem viribus gratiæ adjutam. Hæc autem in actu charitatis perfectæ propter Deum continetur. Imperat itaque gratitudo amorem Dei super omnia, quo certe nulla major retributio, seu compensatio a creatura fieri potest. Quid enim majus facere potest creatura ex Dei gratia, quam se totam Deo immediate tradere ad ejus beneplacitum in omnibus saltem præceptis omnino sequendum? Audiatur S. Athanasius in Psalmum adductum ab Auctore: *Diligam te Domine fortitudo mea*, qui certe illum intelligit in hoc

eodem sensu, qui obuius est naturam gratitudinis consideranti. Sic enim scribit; *Diligam te Domine fortitudo mea: Cum Dei senserit beneficia, quod omnium donorum est maximum, offert ipsi, nempe charitatem, cui primas in præceptis Salvator detulit. Offert igitur Propheta Regius pro beneficiis, quibus a Deo fuerat cumulatissime auctus, maximum, quod potest, donum, scilicet charitatem, in compensationem perfectam, et qua maiorem exhibere non poterat.*

81. Hanc eandem animi grati compensationem pro beneficiis a Deo acceptis exprimit egregie S. Bernardus ab uno ad alterum gradum ascendens in Serm. de Passion. Domini ita disserens: *Nam et animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligasti. Nam pro eo, quod dedisti tuam, debitor tibi sum; et pro mea quidem anima bis a te mihi data, semel in creatione, et semel in redemptione, quid magis juste tibi reddam, quam ipsam, non habeo. Pro tua autem pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine rependi possit, non inuenio. Nam etsi Cælum, et terram, et omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certe nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingere possem. Ut autem ipsum, quod et debeo, et possibile mihi est, retribuam, tut, Domine, muneris est. Diligendus, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, et tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es. Adhæreat anima mea post te, qui pro me mori dignatus es.* En quomodo gratitudo supernaturalis disponit suaviter, et natura sua ad amorem Dei super omnia inclinans ad compensationem, seu retributionem, quam potest anima perfectissimam, Benefactori suo. Considerans Bernardus beneficium duplex creationis, et redemptionis, volensque ex gratitudine aliquid pro duplici munere retribuere, *quid, ait, magis juste tibi reddam, quam animam, non habeo.* Item: *Diligendus, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, et tua mihi sequenda vestigia.* Quo clarius adduci nihil potest pro amore benevolentiae, ad quem gratitudo disponit. Et id est proprie rependere amorem amori, id est, eundem redhibere, seu talem reddere, qualis suscipitur. Sicut enim Deus nos amat gratis, spontanee, nihil sibi retinens, seu intendens utilitatis, aut commodi, sed omnia in nos bona diffundens, et beneficia cumulatissime conferens, ita et nos si amorem amori rependere volumus, debemus eum diligere gratis, spontanee, nihil utilitatis ex amore quærentes, sed potius, quæ sunt ei bona, saltem extrinseca, procurantes. Eandem doctrinam de hac amoris redditione tradit Bernardus serm. 83. in Cantic. dicens: *Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori, vel de simili mutuam rependere vicem.* Quod idem legimus in Manual. apud Augustini opera: *Anima amans cunctis suis renuntiat affectionibus, et tota soli incumbit amori, ut possit respondere amanti in reddibendo amorem.* Atque hæc quidem, ut arbitror,

ratio est, cur S. Augustinus Epist. 77. tantopere commendat nobis gratiarum actionem sic scribens: *Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo scribamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Unde et non semel tradit Franciscus Suarez perfectam gratiarum actionem sine charitate non posse fieri; et S. Ignatius in Exercitatione ad amorem Divinum excitandum hac eadem via nos ducit, ut vidimus, ex consideratione divinatorum donorum, ut scilicet ei, qui nobis talia præstitit, præstando quod possumus respondeamus.

82. Ex dictis credo a nemine posse in dubium revocari, gratitudinem ad Dei amorem ita disponere animum fortiter, et suaviter, ut vix sit ulla virtus supernaturalis, quæ majorem habeat proportionem ad excitandum amorem. Legatur S. Bernardus sermone de amore Dei, ubi totus est in ostendendo, quomodo Incarnatio, et Passio vim habeant majorem ad accendendum amorem, quam vel ipsa concupiscentia gloriæ. Neque id solum inde provenit, quod Dei attributa nobis clarius ex illis operibus manifestentur, quæ ratio potissima quidem est, sed etiam ex natura gratitudinis, quæ cum vera est, sincera, atque perfecta, inclinatur ad retributionem perfectam. Unde dixit S. Thomas q. 106. art. 5. quod recompensatio beneficii potest etiam ad *amicitiam* pertinere. Et ratio, quam adducit, illa est; quia in *amicitia honesti* debet in recompensatione beneficii haberi respectus ad electionem, sive ad *affectedum dantis*. Et in Opusc. de Dilectione Dei cap. 3. (si tamen est. D. Thomæ; certe continet sententias in ejus operibus sparsas) disertè tradit, amorem erga Deum ex beneficiis susceptis non esse concupiscentiæ, sed *amicitiæ*. *Sic iste, inquit, diligit illum (Deum) propter beneficia, quæ confert ei; iste motus est magis amicitiae, quam concupiscentiæ.* De hoc Joan. cap. ultimo: *Diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos: et ita meruit redamari.* Uoi vides hic a S. Thoma proponi, et ad sensum nostrum explicari eundem Scripturæ locum, quem Auctor opponit. Unde addit ex S. Bernardo: *dignus plane Deus, qui redametur, præsertim si advertamus Quis, Qualis, Quantumque amaverit.* Est igitur redamatio non amor concupiscentiæ, sed verissimus amor amicitiae, et benevolentiae.

83. Sec vero hic etiam notandum est (quod licet alias insinua-verim, repetendum est sæpius, ne irrepant æquivocationes, quibus ir-retitur Cl. Auctor) non esse confundendam virtutem Theologicam Cha-ritatis cum virtute morali gratitudinis. Cum enim gratitudo vult red-dere Deo retributionem perfectam, volitio illa respicit ut objectum formale motivum honestatem resplendentem in redditione debiti; et me-dia hac redditione respicit Deum; at illa ipsa retributio perfecta, cum sit amor Dei, respicit immediate Deum, ut objectum motivum amo-ris: unde prima illa virtus est pure moralis, suumque proprium habens objectum a Deo distinctum; altera autem Theologica est, et Deum ut proprium objectum motivum immediate respiciens. Simili modo po-

test gratitudo velle Deo retribuere actum Fidei, Spei, Patientiæ, seu alterius virtutis, ut v. g. in verbis propositis Davidis: *Diligam te Domine fortitudo mea*, addit etiam Regius Psaltes, *et sperabo in eum*, nec ideo actus Spei est indistinctus ab actu gratitudinis. Erigitur quidem David ex consideratione beneficiorum ad Deum amandum ex toto corde, et ex eadem consideratione erigitur ad sperandum, quia nimirum ad utramque virtutem beneficia disponunt. Quod additur de contritione Davidis ad verba Nathan proponentis tum beneficia præterita, tum alia futura, et quidem majora, eodem prorsus modo intelligendum est, atque locus insinuatus. Unice addo, quod si ultima illa verba, per quæ indicantur futura beneficia, continent præmium essenziale, ut vult significare Bolgenius, illud fiet sine dubio, ut præmia sperata non jam pure disponant ad amorem, ut aiebat S. Thomas, sed sint causa amoris motiva, atque adeo ut nullum sit inter Spem, et Charitatem verum discrimen. Verba ergo illa non indicabant essenziale præmium, sed stabile in domo David regium sceptrum, et ex eo Messiam nasciturum, ut exponunt communiter Interpretes.

84. At Augustinus, inquit Auctor, super Joannis verba: *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*, hæc habet; *Et velut causa quæreretur, quare nos diligere fecit, adjunxit, quoniam ipse prior dilexit nos*. Ergo id, quod nos movet immediate ad amandum, est amor, quem prius erga nos Deus ostendit: ergo beneficium non pure disponit ad amorem, sed immediate movet ad amandum. Neganda est plane hæc ultima consecutio, quam nec Bolgenius ipse admittere potest, alioquin amor Dei propter ipsum solum esset amor Dei propter beneficium a Deo distinctum. Distinguenda sunt accurate duo illa, *affectus* scilicet dantis beneficium, et *beneficium* ipsum collatum, *amor* Dei prior, et *utilitas* in nos derivata ex amore illo priori. *Affectus* dantis beneficium, et *amor* Dei nos movent immediate ad amorem; *beneficium* ipsum, et utilitates, quæ in nos derivantur, nos tantum disponunt ad illum. Ratio primi insinuata jam est, quia scilicet amor Dei est Deus ipse; igitur qui Deum amat propter amorem Dei, Deum amat in se, et propter se. Item: Deus nos amat quia bonus est in se, nam ex sola sua bonitate movetur ad amandum nos: si ergo Deus amatur a nobis, eo quod nos amat, amatur a nobis, quia bonus est, ut optime argumentatur Suarius. Ratio secundi constat ex dictis de natura virtutis gratitudinis, quam qui accurate teneat, parum sane movebitur, etiam si Bolgenius multo plura ex Scriptura, et Patribus produceret ad persuadendum amorem suum unicum concupiscentiæ, quia nimirum ex beneficiis excitamur ad amandum Deum.

85. Non est tamen prætermittenda parabola debitoris, et multo minus illa sententia: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Hæc autem adeo non favet Auctori, ut contra ipsum potius regeratur. Nam amor debitoris magis diligentis eo tendit, ut quoad possit, res-

pondeat affectui donatoris. Hic autem major est erga eum, cui denarii quingenti remittuntur, quam erga eum, cui unice condonantur quinquaginta. Ut enim ex Seneca inquit S. Thomas hic q. 106. art. 5. *beneficium non tam in eo, quod fit, aut datur, consistit; sed in ipso dantis, aut facientis animo.* Ex quo concludit S. Doctor, gratiarum actionem attendendam esse secundum affectum benefactoris, et non præcise secundum effectum, qui interdum exiguus esse potest, cum grandis sit affectus. Quare is, cui plura Deus peccata condonat, magis illum amare debet, quam is, cui pauciora remittuntur, quia majorem in Deo erga se cognoscit affectum, majorem gratiam, id est, *magis gratis*, cum majori esset poena dignus. Majori autem affectui, et gratiæ majori major debetur recompensatio. Atqui amplior hæc gratia, et affectus major est ipse Deus, bonitas, et perfectio infinita; Igitur qui Deum amat propter illum majorem affectum, Deum amat in se, et propter se.

86. Nec est, cur Bolgenius tantopere insistat in illa proportione, quæ inest inter magnitudinem beneficii collati, et magnitudinem amoris recompensantis beneficium, nulla facta mentione affectus benefactoris. Non enim quantitas sola dati, sed quantitas potius affectus benefactoris compensationem exigit. Profecto majus esse videtur Dei beneficium donum *innocentiæ conservatæ*, quam donum *justitiæ restitutæ*, et tamen poenitens in verissimo quodam sensu magis tenetur gratias Deo reddere, quam innocens; quia *licet ex quantitate dati*, ut inquit S. Thomas quæst. sup. laud. art. 2. *teneatur innocens ad majores gratias Deo reddendas, alio modo potest (justitia restituta) dici major gratia quia magis datur gratis: et secundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones poenitens, quam innocens, quia magis gratis datur illud, quod ei datur a Deo, cum enim esset dignus poena, datur ei gratia.*

87. Ex doctrina S. Thomæ de quadruplici causarum genere, quam fuse explicavimus, eoquod operæ pretium non modicum existimavimus, manifeste colligitur, imbecillum esse Auctoris rationem ex eo desumptam, quod Deus in Scriptura nobis proponatur sub aspectu liberalis, benefactoris, et largitoris beneficiorum, ut ad eum amandum excitemur. Namque propositiones illas sic intelligit Theologus cum S. Thoma, ut beneficia disponant ad amorem, et Deus diligatur propter aliud a Deo, *to propter* significante causam dispositivam, non autem immediate motivam amoris. Id autem unice competit Divinæ Bonitati, quæ nobis ex beneficijs innotescit, et cui talem ex Dei gratia amorem reddimus, qualem ab ea suscepimus, spontaneum scilicet, voluntarium, atque gratuitum. Ob hanc ipsam rationem SS. Patres, præcipue Augustinus, et Bernardus, cum nos hortantur ad Deum amandum propter ipsum amore casto, gratuito, et voluntario, indicare solent causas ad amorem dispositivas, *quia dat se, quia non aliud accipies quam Deum &c.* ut nimirum ex illis excitemur, et dirigamur
ad

ad amandum Deum *propter ipsum*, qui unus est causa immediate motiva dilectionis, non autem possessio, vel consecutio Dei. Alioquin amor Dei nec virtus esset Theologica, si in Dei sisteret possessione tanquam in ratione motiva.

88. At in Solil. inter Opera Augustini cap. 1. sic exclamat igne succensus Auctor pius: *Diligam te vita animæ meæ. Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita mea, et gloria tota animæ meæ etc.* Quæ omnia manifeste exprimunt amorem concupiscentiæ, nec nisi violenter nimis aptari possunt amori benevolentiam. Hæc Bolgenius in Psal. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Verum hæc unice proponi possunt contra amorem benevolum ab eo, qui non satis observat tendentias diversas actuum supernaturalium, et eorum connexionem, atque dependentiam. Profecto in præfatis pijsimi Auctoris verbis tres actus ex sua tendentia distincti continentur, *amor Dei, desiderium Dei, et gaudium de Deo*, qui tamen omnes ad benevolentiam pertinent, et eliciuntur immediate ab habitu Charitatis, cuius objectum formale respiciunt. Primus actus est amor *diligam*, alter est desiderium *Appare mihi*, tertius gaudium *delectatio, solatium dulce, vita mea etc.* Amor est causa, et radix desiderij, et gaudij, unde duo isti actus sunt effectus amoris. Qui enim amat ardentem, desiderat ad eum, quem amat, pervenire, et de illo gaudet, si quodammodo teneat. Sic tamen ut ille ipse, qui propter se movet ad sui amorem, moveat ad desiderium, et jam quodammodo habitus sit id, in quo quiescit amans, et delectatur. Hinc Sancti, quia amant Deum, Deum tenere desiderant, et de illo gaudent, cum illum habent ulla ratione præsentem. Quod si velis, ut desiderium, et gaudium sint etiam formaliter, vel realiter amor, nihil refert. Nobis enim satis est, quod tres hi actus idem prorsus objectum motivum respiciant, ut ad benevolentiam pertinere intelligantur. Nam amo bonum, desidero bonum, gaudeo de bono alterius, quin hi actus regrediantur ad me.

89. Ut hæc explicentur ad principia Theologica, recolenda est doctrina, quam dedimus Prolegomeno ultimo de natura delectationis, ubi explicuimus ordinem istorum actuum, et naturam, causas, ac objectum delectationis. Placet hic summam omnium colligere, et ante oculos ponere; namque non semel hac chorda oberrare mihi videtur eruditissimus Auctor in tribus primis Dissertationis suæ partibus. Enim vero anima sanctis dedita meditationibus, maxime si ad contemplationem per Dei gratiam elevetur, Deum videt cognitione supernaturali, vel etiam intuitu quodam simplici, ad quem donum sapientię, et ex hac cælesti illustratione Bonitatem infinitam modo quodam peculiari detegente, in Deum fertur amore ardentissimo. En *amor principium cæterarum affectionum.* Cumque amet infinitam illam bonitatem, nondum sibi præsentem per visionem beatificam, et per consecutionem realem, quam

quam sperat, cupit, desiderat, anhelat pro reali possessione Boni sic infiniti, ut magis illi afficiatur, et magis illud amet propter ipsum. En *desiderium* effectus amoris. Nam amat quidem anima, at amare magis desiderat infinitum Bonum amabile propter ipsum. Sed licet bonum infinitum non sit animæ realiter præsens per visionem beatificam, seu realem possessionem, est tamen illi præsens peculiari modo per cognitionem illam altissimam, et per amorem ardentissimum; præsens, inquam affective, ut vidimus ex S. Thoma, et ex bono ita præsentis gaudium habet ineffabile de bonis Dei. En *gaudium* ex amore resultans. Anima igitur Spiritus Sancti gratia singulariter mota, et multo magis si ad contemplationem elevetur, tres hos benevolentiae actus, præter plurimos alios, ut fidem faciunt Patres, et Doctores Mystici, exercere solet. Jam credit, jam sperat, jam adorat, jam reveretur, nunc amat, nunc desiderat, nunc gaudet, et ab uno ad alterum actum progreditur, sic scilicet ut virtutes mutuo foveantur, et intendantur ob connexionem, quam habent inter se. Princeps tamen affectus esse solet amor, qui cæteros movet. Id ipsum observare quisque poterit in colloquijs, quæ nobis scripta reliquerunt Sancti Patres, et Viri Spirituales in orationibus suis, ubi mira cernitur affectionum varietas, ut recte dicas, in colloquijs hujusmodi cum Deo omnes ferme virtutum actus ebullire. Legatur Pater Joan. Baptista Scaramellius, qui in Direct. Mystico ad rigorem Theologiæ omnino formato, quæcumque ex hoc capite contra amorem benevolentiae adduci possunt, perspicue, solide, et sapienter explicat.

§. X.

*Expenduntur reliqua Scripturæ testimonia, quæ
Bolgenius allegat.*

90. **T**ria alia adducit Auctor testimonia vere impertinentia et quæ, nullum credo lectorem fore, qui non ea statim judicet importuna. Primum ex Epist. Pauli ad Hæbr. cap. 11. qui loquens de fidelitate Moysi hanc reddit rationem. *Aspiciebat enim in remunerationem.* Alterum ex Genes. 15. ostendens præmium essentielle Abrahamo propositum: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Tertium denique ex Apostolo ad Colos. 1. ubi Paulus hortatur ad impletionem legis ex motivo præmij promissi: *Audientes, inquit, fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in Sanctos omnes propter Spem, quæ reposita est vobis in Calis.* Ex quo ultimo Apostoli loco illum conficit Auctor syllogismum: Exacta legis observatio nascitur ex amore, ut testatur S. Joannes; sed præmium in Cælo promissum erat motivum christianos excitans ad opera bona, et ad impletionem legis, ut fidem facit Apostolus: ergo amor proprius Charitatis Theo-

Theologicæ est desiderium præmij nobis promissi. Eadem argumentandi ratione utitur in duobus præcedentibus locis de Moyse, et Abrahamo. Sed vero quis hæc cum legat, parum sane dignam Bolgenio logicam non suspiciat? Persequamur singula, et quid sit dandum cuique, videamus.

91. Primum illud de Moyse testimonium aperte designat motivum Spei Theologicæ, quæ, ut vidimus, speciem desumit a remuneratione essentiali, a præmio nobis promisso, a Deo ut adipiscendo, ut jam alias diximus, et probavimus ex S. Thoma, et in sequentibus amplius demonstrabimus. Quid est enim quod desideramus, quid est quod expectamus, qui tandem est, quod speramus, nisi Deum videre, tenere, possidere, eoque in æternum frui? Profecto ex hoc ipso, et ex cæteris, quæ hic proferuntur, testimonijs probant Theologi necessitatem Spei. Id quod merito supponit Illustr. Bossuet, qui ex eodem principio urgebat invicte contra Cameracensem in notis illis disputationibus, nullo modo esse contrarium statui perfectionis in hac vita, quod perfectissimi viri se exercent in actibus Spei Theologicæ, cum constat, viros illustres, quos Scriptura commemorat, illos actus exercuisse.

92. Illud alterum ad Abrahamum ejusdem est naturæ. Nam Deus per illa verba manifeste erigit S. Patriarcham ad confidendum, et sperandum in eo, et ad depellendum omnem timorem, ostensa ei magnitudine præmij, et securitate protectionis. Propterea dixit Dominus: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Quæ verba mirifice congruunt Spei Theologicæ, quæ ex magnitudine præmij, et ex confidentia divini auxilij superat arduum omnem, excluso timore, et pusillanimitate, ad quæ potius inclinat arduitas. Unde S. Bonaventura in 3. dist. 26. art. 4. q. 4. locum istum Scripturæ non ad Charitatem refert, sed ad Spem Theologicam dicens: *Spei duplex est actus, quorum unus est principium, et origo alterius: Spes enim facit confidere, et faciendo confidere facit expectare juxta quod dicit Dominus Abraham: Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Certum est igitur hoc in loco fieri sermonem de Spe Theologica, illumque aptari optime huic virtuti, quocumque tandem modo ejus natura, et objectum motivum explicetur.

93. Tertium ex Epistola ad Collossens. desumptum videtur mihi contrarium intentioni Bolgenij. Porro Apostolus tres ibi virtutes aperte designat: *Audientes fidem: En primam. Et dilectionem: en secundam: Propter Spem: en tertiam.* Cur igitur Auctor confundit *Spem cum dilectione*? An Charitas non est virtus ab Spe distincta? Dicam, quod res est. Legit Bolgenius *dilectionem* illam esse propter *Spem*, et hinc voluit colligere, præmium essentiali esse objectum motivum illius dilectionis. Sed male prorsus collegit. Primo, quia si res sperata est objectum motivum Charitatis, actum est de distinctione harum virtutum,

et

et de excellentia Charitatis supra Spem. Secundo, *to propter* non significat, quod spes ipsa, vel res sperata sit motivum Charitatis, sed quod Spes ad Charitatem disponit, ut aiebat S. Thomas, et nos supra demonstravimus. Cave, precor, cl. Bolgeni, ne virtutes has duas confundere videaris; unam ab altera palam secerne; namque id in tua scribendi ratione periculum est valde probabile, ut in peccatore, cui Spes inest et penes habitum, et penes actum, insit etiam Charitas, quem errorem esse manifestum minime dubitas. Tandem in vulgata ponitur *comma*, vel *incisum* ante illa verba *propter Spem*, unde *to propter* non innuit Spem esse motivum dilectionis.

94. Veniamus jam ad argumentationem ex tribus hisce formatam testimonijis. Exacta legis observantia nascitur ex amore Dei. Hæc est major: verissima quidem. Nam Charitas est *vinculum perfectionis*, est *plenitudo legis*, est Regina virtutum, quæ, quia *ad finem ultimum conformatio est*, ut scribit S. Thomas, habet primario, et per se imperare, movere, dirigere, et determinare actus cæterarum virtutum. Quæ de causa nos diximus, amorem Dei super omnia esse obedientialem, ex quo creatura Deum sic amans, illum amat super omnia illa, quæ Deo displicent, imo et super ipsam creaturam, quæ ex virtute amoris se totam Deo ad ejus libitum tradit. Veniamus ad Minorem. Sed præmium in Cælo promissum erat motivum Christianos excitans (ut et Moysen, et Abrahamum) ad opera bona, et ad impletionem legis, ut testatur Apostolus: *audientes fidem vestram &c.* Minor vera etiam est, ut dicemus, sed testimonium Apostoli non est omnino foeliciter adjunctum. Nam ex communi Interpretum sensu illud habemus, quod Apostolus *audita fide, Charitate, ac spe Colossensium oret pro illis, ut in scientia Dei, et bonis operibus proficiant.* Quare non excludit a motivo bonorum operum, et observantiæ legis fidem, et Charitatem. Vera tamen est Minor, ut dicebam. Quis enim neget, præmium essentielle nobis promissum magnum esse incentivum, imo et verum motivum excitans ad opera pietatis, et ad Legis observantiam? Sed vero consequentia illa: ergo præmium essentielle est objectum motivum amoris: recta non est, nec ad Logicæ principia bene deducta. Non enim omne, quod movet ad legis observantiam, amor est, non omne, quod excitat ad opera pietatis, est *Charitas, legis plenitudo, vinculum perfectionis.* Ut autem actus ad observantiam movens amor sit ad Charitatem immediate pertinens, respicere debet objectum motivum proprium hujus virtutis, non vero alterius, quæ sit inferior Charitate. Quis non videat, timorem supernaturalem pœnæ sensus æternæ efficaciter movere posse ad excludendum peccatum, et ad observantiam legis, qua sine æterna pœna est sine dubio incurrenda? Quis non videat, actum Spei beatitudinis æternæ movere etiam posse efficaciter ad observantiam legis necessariam ad beatitudinem assequendam? Et tamen vel ipse Bolgenius varijs in locis nos docet, actum Spei non

esse actum illum concupiscentiæ, in quo collocat essentiam Charitatis actualis. Quod dico de timore Inferni, et de actu sperandi, dici similiter potest de actu Fidei, et de actibus aliarum virtutum supernaturalium. Sed cum nulla earum sit per se plenitudo legis, et vinculum perfectionis, nulla est radix, origo, et causa cæterarum virtutum. Contra vero, quia Charitas est legis plenitudo, idcirco, ut alias notavi ex S. Thoma, est radix, et principium, cui debentur, et quacum infunduntur aliæ virtutes, ut implere legem possit, quæ non semper impletur per actus formalis amoris, sed etiam per exercitium aliarum virtutum, quæ sunt quasi administræ Charitatis. Hanc eandem doctrinam video ab Auctore plane supponi in 2. et 3. parte Dissertationis, ubi peccator attritus proponit legis observantiam; quia tamen illud propositum non oritur ex motivo uno Charitatis, non est amor perfectus hujus virtutis.

95. Profecto si Logica in hoc capite indicata a Bolgenio probanda esset, eodem quisque filo probare posset, Fidem Theologicam esse ipsam eandem Charitatem. Commendat nempe Paulus ad Hæbr. 11. Moysen a fidelitate erga legem, quia *aspiciebat in remunerationem*. Atqui multo magis commendat in eodem capite Moysen, Patriarchas, et Martyres a fidelitate erga legem ob eorum fidem heroicam: Fides igitur erit charitas. Si dubitas de minore, audi, quod ait Apostolus in eodem loco: *In hac enim (Fide) testimonium consecuti sunt Senes. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit. . . . Fide Henoc translatus est, ne videret mortem. . . . Fide Noe. . . . aptavit Arcam. . . . Fide, qui vocatur Abraham, obediit, in locum exire. . . . Fide obtulit Abraham Isaac. . . . Fide Jacob moriturus singulos Filiorum Joseph benedixit. . . . Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium Filix Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. . . . Fide reliquit Ægyptum non verius animositatem Regis. . . . Fide celebravit Pascha. Quid dicam de illis, quæ Paulus hic addit? Qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. . . . lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Qui suam hic vellet facere Bolgenianam Logicam; an non ille probaret assumptum multo sane uberius, multo sane efficacius, quam Bolgenius ex jejunis illis verbis *aspiciebat in remunerationem*? Dicam quod est, et mysterium, si quod est, Bolgenio aperiam. Nullum ex iis ratiociniis legitimum est; nam præter charitatem possunt et aliæ virtutes movere ad observantiam legis. Quodque unum legitime confici potest ex hoc Apostoli loco, sicut et ex aliis multis, quæ in eundem sensum allegari possent, illud est, Fidem, Spem, Religionem, cæterasque virtutes supernaturales a Charitate foveri, qua de causa fides viva, et charitate informata perfectius credit, et spes similiter cum amore conjuncta sperat certius, firmiusque confidit. Id quod ex S. Am-*

brobio desumit S. Thomas in Disp. quæst. de spe art. 3. ad 1. inquiring. *Dicendum, quod sicut Ambrosius ibidem subdit, rursus in se quodam sancto circuitu (virtutes Theologicæ) refunduntur, quia scilicet cum aliquis ex Spe ad Charitatem introductus fueris, tunc etiam perfectius sperat, et castius timet, et firmiter credit.* Et 2. 2. q. 18. art. 8. *adveniente, inquit, charitate spes redditur perfectior, quia de amicis maxime speramus.* Hac igitur de causa multa tum Fidei, tum Spei per Charitatem formati, et quidem admodum heroica, tribuuntur in Scriptura.

96. Nec illa verba apud Math. 6. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, favere possunt Bolgenio ad excludendam amorem benevolentiam erga Deum. Primo quidem, quia si sensus literalis inspicitur attente, possunt satis congruenter aptari amori, et desiderio æternæ retributionis, atque adeo Spei Theologicæ, unde dicitur bis in eodem capite. *Pater tuus reddet tibi: Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Et contra dicitur de hypocritis *receperunt mercedem suam* vers. 5., et eadem sententia repetitur vers. 16. Unde Christus nos docet non thesaurizare thesauros in terra, sed thesaurizare nobis thesauros in Cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; quod quidem videtur respicere æternam mercedem, quam invenimus in Cælo. Et huic interpretationi conformia sunt satis Augustini verba, *ubi thesaurus, ibi delectatio*, quia nimirum amor, et desiderium Spei proprium tendit ad possessionem Summi Boni, et ad fruitionem, quæ est thesaurus cælestis, quem expectamus.

97. Sed demus, et quidem omnino libenter, verba illa referri ad Charitatem Theologicam. Quid tum postea? An idcirco charitas actualis erit amor concupiscentiæ Bolgenianus? Nulla id ratione persuaderi potest consideranti naturam amoris. Nam illa verba: *Ubi thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit*: explicari optime possunt de extasi amoris propria, ex qua cogitationes, curæ, sollicitudines, cor, et amantis anima sunt in amato. Unde dicebat Plato, amantis animam magis esse ubi amat, quam ubi animat, et Augustin. 4. Confes. cap. 6. *Bene, ait, quidam dixit de amico suo: dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus.* Sed vero extasis varia est pro varietate thesauri. Nam avarus cor habet in thesauro suo per extasim non simpliciter talem, et perfectam, sed imperfectam, quia, ut aiebat supra S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 3. *non contentus gaudere bono, quod habet, quærit frui aliquo extra se, (et hanc vocat extasim imperfectam) Sed quia illud extrinsecum bonum quærit sibi habere, non exit simpliciter extra se, sed talis affectio in fine intra ipsum concluditur. Sed in amore amissionis affectio alicujus simpliciter exit extra se, quia vult amico bonum quasi gerens curam, et providentiam ipsius propter ipsum amicum. Ex quo satis, credo, manifestum est, extasim esse talem, qualis fuerit the.*

thesaurus, et Charitatem Theologicam, quæ perfectissima amicitia est, sic esse in thesauro suo, ut in eo perfecte sistat, quin ex eo quidquam sibi trahat, sed potius in thesaurum illum infinite amabilem referat personam amantem. Augustinus supra laudatus recte dicit, *ubi thesaurus, ibi delectatio*, quia *ubi thesaurus, ibi amor*, et nomine delectationis amorem exprimit per propositionem causalem, vel sumens effectum notioerem pro causa minus nota, ut non semel advertit S. Thomas. Unde in eodem loco dicit, quod *delectatio* est quasi pondus animæ, quod idem expresse affirmat de amore multis in locis. Quare propositio illa S. Augustini, *ubi thesaurus, ibi delectatio* sic intelligenda cum S. Thoma: *ibi delectatio* de bono amati, concedatur: *ibi delectatio* de bono ab amante participato, seu participando, negetur. Legatur Prolegomenon 8. de fruitione.

98. At Augustinus, instat Bolgenius, pro eodem sumit verba illa *Delectare in Domino*, atque illa *ama Dominum*, et ex modo loquendi S. Doctoris videntur esse Synonyma. Verum id præoccupatum est nobis Prolegomeno ultimo, ubi ostendimus, amorem esse maxime delectabilem, et esse non posse affectionem istam sine delectatione, quæ quia notior est nobis, opportunissima est ad exprimendum amorem. Nunc vero addo, delectationem etiam supposito amore benevolentiae extendi debere ad actus amorem præcedentes, ad eos, qui amorem comitantur, et ad illos, qui sequuntur amorem. Ita nimirum existimo dictum esse ab Augustino, non amari nisi quod ante amorem delectat, nisi quod cum amore delectat, et nisi quod jam obtentum delectat. Primum enim, si sermo sit de amore benevolentiae (*retardante* juxta Bolgenium *fervorem*, *tolente suavitate*, et *aridissima nutriente corda*) certum est apud Theologos, non posse quem procedere ad actum illum benevolentiae delibetatum, et efficacem erga Deum, nisi Dei gratia præveniatur, sic scilicet ut Dei Bonitas infinita supernaturaliter cognita moveat, alliciat, invitet, allecet. Id autem fit per illuminationem mentis, et piam affectionem voluntatis, quas Deus in nobis operatur sine nobis libere agentibus. Quæ doctrina traditur ab eodem Augustino cum alias, tum lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. et 19. Quis autem non videat mentis illustrationem Bonitatem divinam peculiari quodam modo detegentem, et piam ejusdem affectionem esse non posse sine delectatione de objecto, quod sic est præsens intentionaliter potentiis? Hic igitur est primus sensus, quem habet propositio illa, et quem præ cæteris variis in locis Augustinus intendit. Deinde non amatur, nisi quod delectat tunc, cum amatur, et est alter sensus omnino verus. Nam amor est maxime delectabilis, ut vidimus ex S. Thoma, et Bonitas divina jam præsens, et unita voluntati per amorem non potest non in ea causare maximam delectationem; est enim Bonum divinum radix totius suavitatis, devotionis, et delectationis. Unde scripsit S. Bonaventura tom. 2. de Prof. Relig. lib. 17. cap. 16. *non esse veram de-*

visionem, quæ de radice amoris non pullulat. Et S. Thomas 2. 2. q. 82. art. 3. absolute pronuntiat, quod ea, quæ sunt Divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia delectationem, et per consequens devotionem. In eodem sensu loquitur Bernardus, cibum charitatis appellans dulcem et suavem, et mæstos lætificantem. Sed cum hæc per se sint clara satis, venio ad tertium propositionis sensum, quem vel Auctor ipse non negabit.

99. Non amatur nisi quod jam obtentum delectat. Tunc enim Bonum amatum a voluntate est ipsi præsens realiter, vel quasi realiter. In illo igitur quiescit voluntas, de illo gaudet, et in illo delectatur, nihil jam quærens post illud inventum, in quo jam omnino quiescit dulcedine quadam, et suavitate vitali. Et hæc est propriissima, et perfectissima delectatio in suo genere, quæ per respectum ad bonum divinum non habetur in hac vita, sed habebitur in altera, cum Deus præsens animæ per Visionem Beatificam satiabit illam plenitudine ubertatis suæ. Sed vero hæc delectatio ex charitate proveniens non est gaudium de Bono divino ut participato, id enim Spei respondet, ut notavimus; sed de Bono divino in se considerato, ut non semel advertit S. Thomas. Et ut verum fatear, ego non video, quo pacto Bolgenius possit in suis principiis Augustinum explicare, si contendat, S. Doctorem ut synonyma accipere *ama*, et *delectare*. Nam amor Bolgenianus est verum desiderium concupiscentiæ, quod nondum ad quietem, seu delectationem pervenit. *Per desiderium*; inquit ille, *in currendo, et per gaudium in requiescendo*. In via per desiderium curritur; in patria autem per gaudium, et delectationem Beati requiescunt. Ergo desiderium in via non est adhuc delectatio, ut ex ejus principiis evidenter convincitur, et ratio ipsa demonstrat; aliud est enim aspirare ad quietem, et aliud jam quiescere. Reliquum est igitur, ut fateatur Bolgenius, Augustinum sumere delectationem pro amore, quatenus delectatio est res semper cum amore conjuncta, et effectus detegens illius naturam. Quæ ab Auctore proponuntur de siti, cupiditate, desiderio apparenti coram Deo, ejusque præsentia fruendi, commodius expendentur capite sequenti, ubi varias Sanctorum Patrum sententias eo tendentes in vero, et germano sensu, et quem amoris natura clarissime demonstrat, explicabimus. Quo facto nihil erit prorsus in hoc secundo Bolgeniano capite, quod scrupulum lectori creare possit.

CAPUT III.

Synopsis Capitis tertii Bolgenianæ Doctrinæ
ex Patribus desumptæ

1. *S*ancti Patres amorem Dei designant tanquam amorem quemdam concupiscentiæ erga Deum sub aliquo respectu ad nos. Clemens Papa a S. Joanne Damasceno (eclog. lib. 1. tit. 49.) laudatus amorem Dei explicat per respectum ad nos. Grati siquidem animi est, dicit Summus Pontifex, dilectionem erga eum conservare, qui nobis, ut simus, est Auctor. S. Ignatius Martyr Epist. ad Rom. n. 7. naturam exprimit Charitatis ardentissimæ verbis illis, ut Christo fruatur. S. Cyprianus (de Orat. Domini) docet, nos amare debere in illo (Deo) quod Pater est. In aliis item Operibus Fideles hortatur ad Martyrium, ut cum Christo regnent, quasi hoc esset motivum excellentius ad majorem charitatem juxta illud: majorem hac dilectionem nemo habet. Joan. 15. In Epistola Splendidissima de Martyrio S. Polycarpi celebratur admirabilis Martyrum charitas, et ratio illa datur: oculis cordis respiciebant ad ea bona, quæ tolerantibus reservantur. Et ipse Polycarpus ita Proconsuli respondit: Quomodo possum convitia dicere adversus Regem meum, qui salvum me fecit? SS. Martyres Montanus, et Lucius exprimunt motivum, quo animantur Christiani ad observantiam legis dicentes: Si nos invitant justis præmia promissa. (apud Ruinart n. XI.) S. Hefren Syrus (de Judic. extrem. et de Compunct.) describit naturam amoris, quod Justus Deum thesaurum vitæ, cujus nulla est satietas, diligit, et desiderat, et sitit anima, ut fruatur. Et Serm. Ascet. de vita Relig. atque Monast. scribit: Foelix ille, ac beatus, qui percepto dilectionis gustu protinus in ipsius desiderium exarsit. Basilius (in lib. reg. fusius disput. cap. 5.) proponit ut motivum amoris Dei tum cognitionem, tum beneficia, et significat, idem esse Deum ardentem amare, atque desiderare, et anhelare ad contemplandam jucunditatem Dei. S. Gregorius Nazianz. in Orat. 3. Hominibus, inquit placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem a Deo consequamur. Imo sublimius etiam assurgimus. Summo Bono conjungi propter ipsum Summum Bonum exoptantes, non autem propter honores in altero ævo reconditos. S. Ambrosius in Psalm. 1. n. 1. Quoniam summum virtuti, ait, incentivum proposuit Deus futuræ beatitudinis delectationem. Idem in exposit. in Psalm. 116. serm. 2. exprimit charitatem his verbis: et nos igitur illud concupiscamus æternum; illud salutare Dei, non concupiscamus pecuniam ec. S. Hieronimus Epist. 22. ad Eustoch. Desiderium, inquit, desiderio restinguitur. . . . Amemus et nos Christum, ejusque semper quæramus amplexus. S. Joan. Chrysostomus multis in locis Dei amorem ardentem pro eodem accipit ac de-

desiderium videndi Deum, et fruendi æterna fœlicitate. *Legatur homil.* 28. *in Genes. n. 6. lib. 2. de compunct. ad Stelch. n. 3. Exposit. in Ps. 41. et in Ps. 62. ubi n. 6. hæc verba leguntur.* Non dixit (David) amavit anima mea ad Deum vivum, sed ut ostenderet affectum, amorem sitim vocat, ambo nobis significans et ardorem amoris, et ejusdem perpetuitatem. *S. Augustinus in Psalm. 14. vers. 4. Caritas, inquit, quærit (Deum) per speciem . . . Non te quæro, idest, non te diligo: sine fine quærendus, sine fine amandus. In lib. 1. de morib. Eccles. cap. 25. Summum Bonum appetere, est apud ipsum, Deum toto corde diligere. Tract. 38. in Joan. ita scribit: Nam illum (Christum) inquisierunt, et qui oderant, et qui amabant; illi persequendo, isti habere cupiendo. Et universim apud S. Doctorem idem omnino sunt quærare Deum, et amare Deum, Deum amare, et propriam fœlicitatem, seu vitam beatam quærare. Ipse enim Deus fons nostræ beatiitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Legatur Lib. 12. Confes. cap. 20. et lib. 10. de Civit. Dei capit 4. Leo M. serm 92. de Jejun. sept. mens. cap. 3. designat charitatem dicens: Deus ipse est charitas . . . quo utique pius, et castus animus ita gaudet impleri, ut nulla re extra ipsum cupiat delectari. Et serm. 99. seu Homil. de grad. ascensionis in illa verba: Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam ec. Math. 5. docet, famem, et sitim justitiæ esse desiderium fruendi Deo, ut satiatur a Deo, quod vocat amorem castissimæ voluptatis. Julianus Pomerius lib. 3. de vita contemp. cap. 5. inquit: Quid est diligere Deum . . . nisi concipere fruendæ visionis ejus affectum? Et explicans cap. 25. quid sit amare Deum propter se ipsum? reddit rationem istam: ipse quippe est omnibus amatoribus suis vita beata. Quare benevolentia, ut explicatur a Theologis, non est actus voluntatis, sed intellectus, non est amor, sed admiratio. Bene sane scripsit S. Fulgentius Epist. 5. n. 7. discrimen esse notabile inter admirationem, et amorem, cum dixit: Veruntamen non omnes, qui charitatem mirantur, et laudant, statim diligunt charitatem. Amorem autem Pauli, quo mori, et esse cum Christo desiderabat, celebrat S. Doctor in eodem loco tanquam actum fervidissimæ charitatis. S. Gregorius lib. 3. in 1. Reg. cap. 1. n. 7. ea nobis intimat. Et per voluntatem quid diligentes, nisi bona valde concupiscimus? Per affectionem quid nisi veri gaudii perfectionem quærimus? Et lib. 15. Moral. cap. 27. Dumque, ait, magno desiderio ad cœlestia animus inhiat, miro modo hoc ipsum, quod accipere quærit, jam degustat. Quibus ex verbis probat S. Bonaventura de 7. itiner. æternit. dist. 6. quod amare Deum est gustare, quoniam suavis est Dominus. Præterea idem Gregorius lib. 2. Homil. homil. 15. amorem designat nomine desiderii videndi Deum, et fruendi Deo. S. Bernardus Tract. de diligendo Deo quærit, quare, et quomodo diligendus sit Deus? Et primæ quæsitæ parti respondet: Deum esse diligendum propter se ipsum. Quod ut probet, nobis Deum proponit tanquam Crea-*

torem, Benefactorem, Redemptorem, et Glorificatorem. Quod ad secundam pertinet interrogationis partem, inquit, amandum esse certe Deum sine intuitu præmii. Sed vero hoc esse præmium a Deo distinctum, satis clare indicat dicens: Quanto magis Deum amans anima aliud præter Deum præmium non requirit? Proponit deinde quatuor gradus amoris. Primus, inquit, est carnalis, quo seipsum amat propter se ipsum. Alter est, quo jam Deum amat homo, sed propter hominem ipsum. Hos duos gradus excludit a charitate. Tertius est gradus, quo gustata Dei dulcedine, diligit homo Deum propter ipsum, non propter se. Et hic gradus, ait, pertinet ad charitatem Theologicam, cum tamen, ut certum esse videtur, sit plane amor concupiscentiæ. Quartus, inquit, gradus in eo consistit, quod Deum sic amet aliquis, ut se non diligat nisi propter Deum. Qui gradus adeo est sublimis, ut vix ulli hominum contingere possit in hac vita. Sed vero vel hic notandum est accurate, non esse contra charitatem sublimiorem, hominem se diligere. Imo diligens Deum propter ipsum se quoque debet necessario diligere, ut præter alios notavit Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 4. Cum igitur ait Bernardus Epist. 11. amandum Deum, non quia bonus est nobis, sed quia bonus est in se, solum excludit ab amoris motivo tum bona temporalia, tum præmia æterna a Deo distincta, ut ex dictis colligitur satis clare. Quam distinctionem insinuant Ignatius Martyr, Gregorius Nazianz., Chrysostomus, sæpe Augustinus, et alias etiam ipse Bernardus. In eadem S. Bernardi sententiâ est Hugo Victorinus, qui eo usque procedit lib. 2. de Sacram. cap. 8. ut stultos eos appellet, qui dicunt mercenarium esse illum, qui Deo propter præmium inservit. Hæc illius verba sunt. Sed forte mercenarius eris, si diligis Deum, et servis ei, ut præmium ab eo accipias. Dicunt hoc stulti quidem, et tam stulti, ut se ipsos non intelligant. Diligimus Deum, et servimus illi, sed non quærimus præmium, ut mercenarii simus: etiam ipsum (Deum) non quærimus. . . . Quid est diligere Deum, nisi ipsum vel: habere? Non aliud ab ipso, sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quæreret ab ipso, gratis non amaret. Qui hoc amat, se ipsum amat, quia bonum suum amat. Atque hoc quidem de Patribus iudicium est, qui nostram sententiam perspicue tradiderunt; reliquum est, ut duos alios recentiores afferamus, qui rem istam scholastica methodo tradiderunt, S. Thomam, et S. Bonaventuram, qui cæteris apprime consentiunt. Quinque ex Angelico Doctore puncta propono, quæ rem omnino conficiunt. Primum: Benevolentia ex S. Thoma 2. 2. q. 27. art. 2. neque est amicitia, neque est amatio. Ergo benevolentia non est idem, quod dilectio, quæ est charitatis actus. Item. Dicendum, quod benevolentia proprie dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus. . . . sed amor. . . . importat quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in

ipsum. *Alterum*: amor amicitiae distinguitur ex S. Thoma ab amore concupiscentiae, quod hic amor vult sibi soli bonum; amor autem amicitiae, licet sit in re amor concupiscentiae; includit etiam actum benevolentiae, quo quis vult amico bonum. Nam amicitia fundatur in communicatione bonorum. Patent ea ex quaest. 23. art. 1. in quo sic ait S. Thomas: Non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus.... Sed nec benevolentia sufficit ratione amicitiae (*ad rationem amicitiae inquit S. Doctor*) sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. *Quae doctrina confirmatur ex eo, quod scribit S. Doctor tum q. 29. art. 4. illis verbis*: Amor, quo quis diligit se ipsum, est forma, et radix amicitiae: tum ex lib. 8. Ethic. lect. 5. ubi haec habentur: illi, qui amant amicum, amant id, quod est bonum sibi ipsis. Nam quando ille, qui est bonus in se, est factus amicus alicui, fit etiam bonum amico suo. Et sic uterque, dum amat amicum, amat quod sibi bonum est. *Tertium*: objectum charitatis Theologicae est apud S. Thomam Bonum divinum, in quantum est objectum beatitudinis. Constat ex 2. 2. q. 28. art. 1. corp. ubi sic ait S. Doctor: amor super hanc communicationem (beatitudinis) fundatus est charitas. Et art. 4. sicut et saepe alias: Bonum autem divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor charitatis, qui est amor huius boni, est specialis amor. Similiter 1. 2. q. 114. art. 4. inquit: quod vita aeterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanae mentis ad fruitionem divinam est proprius actus charitatis. *Quartum*: S. Doctor distinguit aperte beatitudinem essentialem ab accidentali, ut videre licet 2. 2. q. 24. art. 1. et primam collocat in fruitione Dei. Unde dicit: quod cum sit aliqua communicatio hominis ad Deum secundum quod nobis suam beatitudinem communicat.... amor super hanc communicationem fundatus est charitas. *Ultimum*: S. Thomas asserit, Deum esse amandum propter se ipsum; sed cum ipse sit fons, causa, et objectum beatitudinis essentialis, qui suam in Deo quaerit beatitudinem essentialem, Deum amat propter se ipsum. Secus autem esset, si quaereret beatitudinem accidentalem, quae per Spem Theologicam quaeri etiam potest. Tunc enim Deus non amaretur propter se ipsum. Et hoc in sensu intelligendus est S. Thomas, cum inquit, quod charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Contra vero Spes Deum attingit secundum quod ex ipso provenit nobis adeptio boni. *Quae quidem nisi in praefato sensu intelligantur, inducunt evidentem in S. Thomae doctrinam contradictionem expressam*. S. Bonaventura ait in Opusc. de 7. itin. d. 2. quod amor charitatis est, sive gratuitus, cum affectus... elevatur ad objecti beatifici supernaturalem affectionem. Et in 3. sent. dist. 27. q. 2. art. ita scribit: Et sic patet, quod nullum inconveniens est dicere, quod motus charitatis possit esse mercenarius, si di-

catur mercenarius ex intuitu mercedis æternæ, et increatæ. Nullus denique SS. PP. testimoniis imponeretur finis, si producere vellem ea loca, in quibus verba de charitate facientes, eas nobis exhibent notiones, ideas, et proprietates, quæ non nisi amor concupiscentiæ accommodari possunt. Id univèrsim asserere audeo, legisse me accuratissime Patres, qui de Charitate tractant ex professo, et invenisse plerumque expressiones omnino claras, et, ut dici solet, terminantes pro amore concupiscentiæ, interdum vero non sic claras, sed tamen minime congruentes amor benevolentia. Unde mirari satis non possum, quod tantas egerit radices doctrina Scholasticorum nullum habens in Scriptura fundamentum, nullum vestigium in Patribus. Agimus de argumento maximi certe momenti, in quo falsæ notiones Christianis afferre possunt detrimentum magnum. Docentur pueri, docetur populus rudis, ut actus agant amoris benevolentia, id est, traditur illis doctrina falsa circa amorem Dei. Quamquam verum est aliunde, Spiritum Sanctum mentes Fidelium dirigere, eas lumine illustrare suo, ne instructiones falsæ, vanissimæ, et chimæricæ sanis illorum cordibus impedimentum apponant. Unde recte respondit (apud Ruinart ad Sæc. III. n. 4.) S. Acatius Episc. et Martyr Proconsuli volenti, ut Eihnicorum doctrinam fidelibus prædicaret: illi omnes non meo nutu, sed Dei præcepto reguntur. Audiant me itaque, si justa persuadeam; sin vero perversa, et nocitura, contemnant. Quare parum damni creatur Populo Christiano ex instructionibus falsis circa amorem benevolentia. Negari tamen non potest, quod hæ falsæ notiones multorum capita conturbent, præsertim Mysticorum, ut videre licet in Quietistis, quod amorem Dei retardent, quod tollant suavitatem, et fervorem ab eorum corde Theologorum, qui vana illa doctrina præventi sunt, et tandem quod occasionem, et causam dederint intricatissimis disputationibus de contritione, et attritione, in quibus filum adhuc inventum est nullum, quod ducere tuto possit ad veritatem, quæ tanti nostra refert, invenendam. Per id autem negare non intendimus benevolentia actus, quos elicere homo tenetur ex virtute Religionis, cujus præcepto tenemur Nomen Domini sanctificare, et Dei gloriam, atque honorem procurare. Pleni sunt Psalmi benevolentia actibus, qui potissimum indicantur in Psalmo 106. Confitemini Domino ec. Id etiam ipsum docuit nos Salvator Noster in prima illa petitione: Sanctificetur Nomen tuum. Sed vero benevolentia (arcte teneatur) non est amor, non est amatio, sed actus Religionis ab amore promanans tanquam a fonte, radice, et principio. Cum vero amor in Deum tendere debeat tanquam in finem nos tum ultimum et æternam nostram felicitatem, eam a Deo petimus petitione altera. Adveniat Regnum tuum.

R E S P O N S I O.

2. **C**um hic e Patribus desumptus locus sit quasi basis totius Systematis Bolgeniani, eo fuit Auctor diligentissime intentus, ut

testimonia Patrum, quam posset plurima, hinc, et inde congereret, indices consulens, ut fatetur ipse, in quibus verba *Charitas, amor, dilectio, desiderium*, et ejus generis alia præfigurantur. Hinc texturam effecit speciosam ex desiderijs, appetitionibus, satietatibus, gaudijs, gratiarum actionibus non male consutis, et hæc omnia in unum quasi corpus digesta nobis tradit sub nomine amoris concupiscentiæ. Ego sane ex hoc uno capite diligenter perlecto id in animum induxi iudicium, ut credo, certum, cl. Auctorem fere totum deditum Patrum sententijs extrahendis, non satis examinasse, quæ scripserint Theologi de diversis actibus *amoris, desiderij, et gaudij* virtutis Charitatis. Adeo debili impugnat conatu, quæ tradiderunt Scholastici. Loquitur tamen fidenter nimis, et sibi videtur de omnibus triumphare. Cumque fore putabam, ut nonnihil remitteret de fidentia, et de triumpho in Declarationibus, ad summum illa in iisdem crevisse video, cum pag. 25. Auctorem lego sic scribentem: *Negari non potest, nec mihi unquam negatum est, omnia Scripturæ loca, omnia Patrum, et Doctorum Ecclesiæ testimonia, quæ in Dissertatione produxi, primo aspectu, in sensu obvio, et naturali, quem prima specie menti cujusque repræsentant, amorem Dei exprimere tanquam amorem concupiscentiæ, et quidem amorem purum, castum, gratuitum, atque perfectum.* Addit deinde pag. sequenti: *At qui primus sensus, quæ natura sua sese menti hominum objicit in legendo præfata testimonia, est sensus verus, unicus, completus, sine cujusque alterius inquisitione. Sic enim exigat natura amoris, qui deduci in praxim debet etiam a rudibus.* Nemo non videt, majorem esse falsam omnino penes aliqua testimonia, quæ nec primo quidem aspectu amorem exprimunt concupiscentiæ, et penes alia restringendam, temperandam, et explicandam. Minor item parum est firma; neque enim sensus, qui primo aspectu se objicit menti etiam in re, quæ ad praxim pertinet populi ignorantis, est semper verus, et germanus, ut videbimus. Satis erit, si Sapientes, quæ ab Scriptura, et Patribus intellexerunt (quod non semper illis contingit ex primo aspectu, vel specie verborum) verbis claris, et communiter usitatis proponant Christiano Populo, ut exequi possit virtutum opera, et a vitijs abstinere. Hinc Fideles, quicumque sint tandem, credunt Dei mysteria, quia Deus revelavit, et sic docet Ecclesia. Sperant æternam Beatitudinem sibi a Deo promissam ex fide illius promissionis, et auxilij nunquam defuturi. Similiter credentes Deum esse infinite bonum, infinite amabilem, et infinite dignum omni obsequio, laude, et amore illum amant ex toto corde, illum præferunt rebus omnibus, illi se tradunt totos ex totis viribus, et ex tota fortitudine, ut ei placeant in præceptis, et ne ei displiceant in prohibitis. En tibi doctrinam practicam de virtutibus Theologicis, et en tibi doctrinam de amore benevolentis proprio Charitatis Christianæ, quæ satis est Vetulæ rudi, ut gratia Dei adjuncta diligere possit, ut canebat B. Ægidius, multo fer-

ventius Deum, quam Seraphicus Doctor, qui omnes amoris subtilitates, respectus, objecta, causasque tractatu suo Theologico circumscriptis. Verum hæc non videntur Bolgenio satisfacere, qui pag. 29. declarat. sic pergit sibi adblandiens: *Huic argumento sæpe a me proposito, qui possit resistere, inveni neminem. Hic est profecto scopulus, in quem colliduntur, et pereunt omnes humana sapientiæ machinationes. Nul- lum, qui resisteret, invenisti? Miror equidem; quod tamen dicam, aliud non habeo, nisi quod vel Theologi, quos consuluisti, non satis rem examinarunt, vel eorum responsiones, pace dicam tua, non bene perpendisti. Valet enim plurimum ad obtundendam mentis aciem quantumvis acutam præoccupatio concepta. Id, quod tibi contingere potuisse, non existimo admodum difficile. Potuit enim in perpendedis responsionibus humani quidquam pati Theologus, etiam ingenio præstans, cui doctrina Suarj in argumento præsentis labyrinthus videtur inextricabilis, et cui doctrina S. Thomæ videtur ducere in contradictionem palpabilem, nisi violentissima, si unquam ori Theologico elapsa est ulla, interpretatione excipiatur, ut suo evincam loco pri- vatam de Angelico Doctore Sectionem facturis. Neque est, quod de scopulo firmissimo blandiaris, nam demoliendum spero negotio sic fa- cili, nullum ut restet vestigium rupis durissimæ. Et ut, quod sentio, dicam aperte, non mihi videtur majoris esse firmitudinis scopu- lus iste tuus, quam esse solent arenarum scopuli, quos erigunt pue- ri gestientes in medio rivulo decurrentis aquæ, ea nimirum mente, ut quantam in erectione novæ fabricæ concepere lætitiæ, tantam in repentino ob aquam irruentem casu percipiant voluptatem. Ut igitur ad rem propius accedamus, nutat omni ex parte tuum hoc argumen- tum propositum ex Patribus. Nutat primo: quia ex eo ut summum confici potest, amorem perfectæ concupiscentiæ visionis, seu fruitio- nis beatificæ ad Charitatem Theologicam pertinere. Id autem nec mea refert, nec Theologorum animos contra hunc dicendi modum multum movet. Illud igitur probandum erat ex Patribus, quod apud omnes, vel fere omnes non bene audit, amorem benevolentiam tum naturalem, tum supernaturalem esse fictitium, esse chimæricum, esse notionem com- pactam ex ideis plane pugnantibus. Si primum tantum teneres, salvum cæteroque servans, et tectum amorem benevolentiam, quos sequerere Doctores, non dubito quin haberes, et ex testimonijs Patrum in Dis- sertatione congestis aliqua (non dico omnia) probabili ratione produ- ceres. Sed amorem negans benevolentiam sine duce graderis, nec Pa- trum adduces facile quemquam, qui tibi vel ad speciem faveat, non e primis, non e medijs, non e modernis. Nutat secundo: quia sup- ponit appetitiones, desideria, impletiones, delectationes, satietates, et fruitiones, aliasque ejus generis affectiones ad unum amorem con- cupiscentiam pertinere posse; imo hic est apud Auctorem cl. inextricabilis error; cum certum sit, appetitiones, desideria, delectationes,*

et gaudia pertinere ad benevolentiam, cum nempe ex eodem objecto concipiuntur, ex quo movetur amor benevolentiae. Unde quo est perfectior amor benevolentiae amore concupiscentiae, eo est perfectior appetitio, et delectatio illi competens amori, quam quae huic amori respondet. Nutat tertio: quia pleraque Patrum testimonia, si sumantur, ut sonant, primo scilicet aspectu, et prima specie, ut intelligenda contendit Auctor, illud evincunt, satietatem, visionem, impletionem, delectationem, et fruitionem esse objecta amoris motiva, quod nec Bolgenius ipse se versans in partes omnes sua potest subtilitate componere. Non enim visio, non satietas, non impletio, non delectatio, non fruitio est Deus, qui amatur ex corde; sed Deus est objectum ipsum, quod videmus, quo satiamur, quo implemur, in quo delectamur, et quo fruimur. Opus est igitur ut in illis Patrum testimonijs aliud lateat, vel supponatur objectum motivum, quod non observat Auctor, observare tamen deberet, cum non neget, sed supponat, Deum esse amandum ex Charitate propter se ipsum. Quod quidem adeo certum esse omnibus debet, ut nec visio ipsa, vel fruitio formalis sit objectum adaequata motivum amoris inferioris ad Spem Theologicam necessarij, ut nos docuere Theologi cum S. Thoma contra Durandum, ea potissimum ducti ratione firmissima, quod alioquin Spes non esset virtus Theologica. Nutat quarto: quia ex testimonijs Patrum in argumento propositis alia sunt Bolgenio aperte contraria, alia impertinentia, alia denique, in quibus esse posset aliqua ad speciem difficultas, vel ab Auctore ipso exponenda necessario sunt, ut ex illis quidquam possit in suam causam referre. Ex his igitur constat, argumentum Bolgenianum nutare undique, et sic omni ex parte vacillare, ut per se, vix admoto digito, labefactetur. Libet tamen persequi singula minutissime, et experiri, utrum, quod caeteros praestitisse Bolgenius negat, praestare ipse possim, germanum definiens sensum Sanctorum Patrum non obscurum, non difficilem, sed planum Theologis, et naturam amoris intelligentibus omnino pervium. Prius tamen quam haec exequor, quis sit sensus SS. Patrum circa amorem benevolentiae tum naturalem, tum supernaturalem continenti oratione propono, longiorem certe praetexturus catenam, si qua pollet copiosa librorum suppellectili amplissimae Custos Bibliothecae, eam ipse ad manum haberem. Sed cui est in hoc genere curta supellex, non alia ei potestas est, si vult quidquam producere, quam publicas adeundi cum certo incommodo Bibliothecas.

§. I.

Quid senserint de amore benevolentiae S. Clemens, Polycarpus, Dionysius Areopagita, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, et Hilarius.

3. **Q**ui legerit attente Dissertationem Bolgenij, ejusque Declarationes oculo non admodum critico observaverit, in eam forsansuspicionem deveniet, cl. Auctorem in ea esse opinione ut credat, immensos Scholasticos subtilitatibus vanis, et Arabicæ deditos Philosophiæ vix, aut ne vix quidem evolvisse Patres, vix ab Scriptura profecisse, sed eis potius fuisse antiquius nihil, quam placita sua, sententias, opinionones ex uno fonte humanæ Philosophiæ desumere, et confirmare. Mihi certe risum movet, simul et stomachum tantus animi candor, vel affectatio tanta. Sciat igitur Bolgenius, si modo ignorat, (certe id nescire, vel dissimulare videtur) nullum esse inter Theologos Scholasticos alicujus notæ, qui non primum ab Scriptura profecerit, et ex ea desumat præcipua suis placitis confirmandis fundamenta. Sed cum non semper ex Verbo Scripto res possit immediate dirimi, opus est ratiocinio, ex quo per consecutiones legitimas illud deducatur, quod Scripturæ videtur esse magis conforme. Sciat illos Patribus in primis fuisse deditos, et in eorum germano indagando sensu versatissimos, ut qui non per indices solum consulere Patres, sed integra volumina evolventes, omniaque, et singula conferentes, quæ cujusque mens fuerit, qui sensus, quæ ratio loquendi, foeliciter tradiderunt. Nec jam leviter credat, Theologos, amorem benevolentiae mira consensione tradentes, eum unice a Philosophis, in hac tamen re minime discrepantibus, didicisse, sed in Verbo Scripto clarissime traditum, a Patribus explanatum, et a Sacris Doctoribus mille nominibus confirmatum invenisse. Et quidem de Verbo Scripto satis nobis dictum est capite præcedenti, nunc vero dicendum nobis est de Patribus, atque Doctoribus.

4. Primum itaque Bolgenius ipse judicans, quia rem (pace dicam tanti Viri) non satis penetrat, omnem amorem fundatum in communicatione beneficiorum amorem esse concupiscentiæ, duos nobis offert Ecclesiæ Patres, ex quorum verbis magis sine dubio legitime deducitur amor Theologorum, quam amor ille Bolgenianus ad propriam tendens amanti beatitudinem. Hi sunt S. Clemens Romanus Pontifex, et Sancti Joannis Auditor Polycarpus. Verba, quæ ex primo refert S. Joannes Damascenus, illa sunt. *Ad salutem autem sufficit hominis erga Deum amor. Grati siquidem animi est dilectionem erga eum conservare, qui nobis, ut simus, est auctor.* Dilectio autem erga eum, qui auctor est existentiae nostræ, ad quam inclinatur gratitudo ob beneficium creationis,

nis, non est desiderium æternæ beatitudinis, ut per se notum est satis, sed est dilectio, est redditio, est repensio, est redamatio gratuita, similis illi, quam Deus erga nos exhibuit conferens gratuito, et quia voluit, propriam existentiam. Et hanc pro amore Dei compensationem sine ulla controversia indicat Sanctissimus Pontifex, ut constat ex ijs, quæ supra dedimus ex Bernardo, et Thoma, et ex rationibus Theologicis.

5. Similia sunt, quæ afferuntur ex Polycarpo ita Proconsuli respondente: *Octoginta et sex anni sunt, ex quo servio ei (Jesu Christo) nec me ulla affecit injuria, et quomodo possum convitia dicere adversum Regem meum, qui salvum me fecit? Quorsum ista? Ut nimirum significaret Proconsuli, esse se gratum Jesu Christo, qui salvum illum fecerat, et velle amorem amoris rependere, amorem amore compensare. Est ne hic desiderium æternæ beatitudinis, an potius exprimitur amor ex beneficijs præteritis, et ex gratitudine proveniens, tanquam ex dispositione, ut aiebat S. Thomas, sic tamen ut cum semel amare captum est, Rex ille æternus propter ipsum a Polycarpo amaretur?*

6. Certe ipse Angelicus Doctor, ut notavimus, amorem ortum ex gratitudine ad amicitiam ait expresse pertinere, non ad concupiscentiam. Id quod supponit etiam Chrysostomus hom. 5. in Epist. ad Rom. ubi cum dixisset, *quod sunt omnia propter Christum agenda, non propter mercedem*, rationem protinus reddit, cur Christum diligere debeamus, addens: *si consideremus, quoties illum prætereamus, ipse autem nos non negligat, sed adcurrat, attrahat, ad se alliciat . . . est ejus, qui nos amat tanta, tamque Excellens Pulchritudo, Gloria, Opulentia: nostra autem tenuitas, et vilitas tam ingens. Nonne infinitis supplicijs digni sumus, ut pote qui sic tenues, et abjecti, cum supra omnem modum adamemur a tanto, tam Magno, et tam admirabili Bono, delicias tamen magni facientes illius erga nos amoris sic illudamus? En amor non concupiscentiæ, nec tendens ad mercedem, sed amor benevolentiæ propter Christum respondens amoris Benefactoris.*

7. Dionysius Areopagita (vel quisquis alius: quod a Modernis vix non demonstratum audio; sed tabulis non ita firmis, ut evincendum spero ab Amico in primis charo in Dissertatione, quam parat prelo dandam) de Div. Nom. n. cap. 4. ita scribit de Pulchritudine Dei propter se amanda, desideranda, et expetenda, et de pulchro, et bono Dei ex sua ratione amabili, et ad se trahente, quæcumque sunt pulchra, et quæcumque sunt amabilia: *Omne, inquit, quod ex pulchro, et bono existit, et in Pulchro et in Bono est, et ad Pulchrum et Bonum convertitur, et quæcumque sunt, et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt, et fiunt, et cuncta in ipsum intuentur, et ab ipso moventur, et conservantur, et ipsius gratia, et propter ipsum, et in ipso omne principium, exemplare, finale, efficiens, materiale, ac denique omne prin-*

principium, omnis conservatio, omnis finis; et ut summam dicam, omnia, quæ sunt, ex pulchro, et bono existunt, et omnia, quæ non sunt, in pulchro, et bono sunt supersubstantialiter, et est omnium principium supra quam substantiale, et finis supraquam perfectus; quoniam ex ipso, et per ipsum, et ad ipsum omnia sunt, sicut ait Scriptura. Universis igitur pulchrum, et bonum desiderabile, et amabile est, et ab universis diligitur, et propter ipsum, et ipsius causa, et inferiora amant superiora, convertendo se ad ea. Si igitur universa, si inferiora, si pulchra, si bona amant, desiderant, et se convertunt natura sua ad Pulchrum, et Bonum divinum propter se amabile, sui gratia, et causa sui desiderabile, voluntas hominis gratia Dei præventa amare poterit Pulchrum illud, Bonum illud propter se amabile, gratia sui, et causa sui desiderabile, seque ad illud toto corde, virtute, et fortitudine convertere. Quin potius eo magis amabit pulchritudinem divinam propter se ipsam, quo altior fuerit, et clarior supernaturalis illustratio ostendens bonitatem illam summam propter se, gratia sui, et ex meritis intrinsecis infinite amabilem. Ex quo fit, ut ejus generis amor transiens in pulchritudinem illam divinam propter se, et in ea sistens, sit, ut scribitur in eodem libro, amor extaticus, qui non sinit esse suos eos, qui sunt amatores, sed eorum, quos amant. Id quod unice competere potest amoris benevolentiae, ut sæpius diximus.

8. Clemens Alexandrinus 2. Strom. circa principium ait: *Nihil enim est benevolentia, quam voluntas boni alterius propter ipsum. Voluntas autem boni alterius propter ipsum sine amore formali nec mente quidem concipi potest, ut demonstravimus; nam motivum illud, quod ad illam voluntatem immediate movet, est illa ipsa persona (propter ipsum) cui bonum volumus. Illam igitur amo, dum illi propter ipsam bonum volo. Præterea lib. 4. loquens de suo Gnostico, contemplativo, vel Theologo asserit, eum sine dubitatione prælatorum propriæ saluti perfectam Dei cognitionem conjunctam cum amore Dei propter se, si nimirum per impossibile una posset ab altera separari. Siquis ergo, scribit, per positionem (hypothetice) ei, qui est cognitione (contemplativa, seu cum amore conjuncta) præditus, proposuerit, utrum malit Dei cognitionem, an salutem æternam? Sint autem ea separata, cum sint omnino eadem, nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem propter se, judicans esse expetendam eam, quæ fidem transcendit per charitatem ad cognitionem. Quam in rem multa alia tradit ejusdem generis semper intendens in Bonum honestum, amandum, et expetendum per se, et propter se, præciso omni timore, lucro, voluptate, et delectatione. Eodem fere modo scribit lib. 7. de viris perfectis: qui propter suam in Deum charitatem lubentes parent vocationi, nullum alium sibi scopum proponentes, nisi ut Deo placeant, non autem propter præmia laborum. Quod tamen sic intelligendum est, ut affectus prævalens in corde perfectorum exprimat, ut habemus ex Bernardo, nec*

nec enim Clemens Alexandrinus excludit actus aliarum virtutum, ut fiet clarum studioso lectori.

9. Origenes lib. 3. in Cant. Cantic. tradit memorandam illam sententiam, de qua Bernardus, et ex qua mirifice declaratur amor divinus, quo se totam creatura committit immediate Deo ad ejus agendam voluntatem. *Deum inquit, diligere, nullus modus, nulla mensura, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas, quantum habes. In Christo enim: Jesu diligendus est Deus ex toto corde, et ex tota anima, et ex totis viribus.* Præterea locum illum Apostoli *Optabam esse anathema* ad sensum nostrum interpretatur de amore benevolentiae erga fratres. Cum enim sibi objiciat: *Esto, habeas tristitiam. Esto, dolorem capias de perditione fratrum, qui sunt cognati secundum carnem: numquid eo usque, ut optes anathema fieri?* Ita respondet. *Quid ergo mirum, si Apostolus pro fratribus suis anathema fieri velit, qui sciat, eum, qui erat in forma Dei, exinanisse se de ea, ac suscepisse formam servi, et factum esse pro nobis maledictum? Quid ergo mirum, si, cum Dominus pro servis maledictum factus est, servus pro fratribus anathema fiat...?* Inferiorem vis Moyse Paulum videri? Ille se deleri petit de libro vitæ pro fratribus suis, Paulus non debet optare anathema esse pro fratribus? Et ne putes, Paulum, et Moysem renunciassse efficaciter, et absolute æternæ Beatitudini, sed in illa potius verba erupisse ex affectu potentiali, et conditionato (ut sapienter aiebat Suarius) ex quo Dei beneplacitum præferrebant eorum æternæ fœlicitati, audi, quod addit: *volebat fieri anathema devotione utique, non prævaricatione, quia sciebat a Charitate Christi separare non posse.* Legatur Homil. 2. in exodum, et in Homil. item 2. in libr. Judic., ubi in prima illa ad Spem refert secundam Orat. Domin. petitionem. *Adveniat Regnum tuum,* et in altera ponit pro objectivo dilectionis objectum ipsum admirationis et objectum, cui exhibetur cultus. *Unusquisque, ait, quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur, et diligit, hoc ei Deus est. Denique hoc est, quod ante omnia, et super omnia per mandatum suum Deus deposcit ab homine: diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.* Qua in re velim ab Auctore observatum, an objectum admirationis esse possit, nec ne, objectum dilectionis?

10. Tertullianus, quem Patres sequuntur in expositione Orationis Dominicæ, petitiones illius explicat ad sensum D. Thomæ supra traditum. Nam cap. 6. de Orat. ordinem petitionum maxime commendat dicens: *Quam eleganter divina Sapiencia ordinem orationis instruxit! ut post Cælestia, id est, post Dei Nomen, Dei voluntatem, et Dei Regnum terrenis quoque necessitatibus petitionis locum faceret.* Et cap. 4. primam petitionem intelligit de Charitate, quæ se extendit ad omnes, in quibus Dei Nomen optamus sanctificari. *Non dicentes, inquit, sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.* Alteram autem petitionem exponit de desiderio ad Spem Theologicam pertinente, dicens:

nostrum Regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine, et Passione quesitum. Præterea in Apolog. (apud Dumesnil. lib. 5. de Doctrin. et Discipl. Eccles. n. 27.) plane distinguit affectum placendi Deo a desiderio beatitudinis, imo et illum ei præfert manifeste, ut qui tendit ad agendam causam amati. Nemo quippe, ait, libens patitur, cum et trepidare, et periclitari sit necesse: tamen et præliatur omnibus viribus, et vincens in prælio gaudet, quia gloriam consequitur, et prædam. Prælium est nobis, quod provocamur ad Tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveritis, obtinere: ea victoria habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum. Bis distinguit gloriam placendi Deo a præda vivendi in æternum, et primo loco proponit motivum placendi Deo, secundo autem æternam beatitudinem, indicans motivum amoris benevolentiae, seu Charitatis, et motivum Spei Martyres pro veritate certantes in prælio roborare.

11. Cyprianus, ut vidimus, in Præf. ad Orat. Dom. ex nomine Patris colligit, sic nos agere debere cum Deo, ut ipse sibi placeat de nobis, atque adeo tanquam veros Dei filios id præ oculis habere debere, ut Patri placeamus. Quem eundem sensum retinent illa alia verba, quæ ad tertiam ejusdem Orationis petitionem scribit, dicens: Deum toto corde diligere debemus, amare in illo, quod Pater est, timere, quod Deus est. Nam ut probatum est efficaciter auctoritate, et ratione, amor sincerus Filiorum erga Parentes non potest non esse amor benevolentiae. Porro hujus amoris notas, et proprietates, extasim, et communionem bonorum, et malorum, quæ charitas ad alterum facit propria, optime depingit S. Doctor Epist. 4. ad Moysen, et Maximum Præsbyteros, cæterosque Christi Confessores: Satis, inquit, ac plurimum gaudeo, quando nobis per tales (consortes tribulationum) talia proferuntur. Vobis enim illic in carcere quodammodo et nos sumus, divinæ dignationis hortamenta vobiscum sentire nos credimus, qui sic vestris cordibus inhaeremus. Honori nos vestro charitas individua connectit. Separari dilectionem Spiritus non sinit. Vos illic Confessio, me affectio concludit. Tandem in Epist. ad Turasim Edition. Venet. col. 395. quæ S. Cypriano adscribitur, manifeste docetur, nullum esse præferendum desiderium affectui erga divinam voluntatem. Sic enim legimus in ea: Resurgere, credimus, mortuos, et plangimus. Quid faceremus, si mori tantummodo sine resurrectione præciperet Deus? Voluntas utique ejus sufficeret ad solatium, cui nullum præponendum scimus affectum.

12. S. Hilarius in Psalm. 62. Adhæsit anima mea post te n. 10. hæc habet. Amoris hæc vis est, ut his, quos amamus, etiamsi absentes sint, hæreamus: dum affectum insitum nequaquam aut locus divellit, aut tempus. Adhæsit ergo Deo Propheta non blandimentis sæculi, non corporis vitiiis amorem suum ab eo, Charitatemque retrahentibus: quia secundum Apostolum adhærenti Deo unus est spiritus; et Dominus pro

discipulis cravit . Pater , sicut nos unum sumus , ita et illi unum sint in nobis . Si explicat Hilarius per affectum extaticum adhesionis amorem verissimum benevolentiae Regis David , quem expresserat clarius numero antecedenti per illa verba : Non enim ei (David) alia , quam placendi Deo cura est , cujus tantum in strato meminit . Et in Ps. 144. n. 5. Deus , inquit , ut benedictus , ita et laudabilis est , habens et ex his , quibus beneficentia in nos sua vititur , benedictionis nostrae confessionem , et ex perfectarum in se virtutum admiratione praeconium . Ubi observare debet Auctor , quomodo virtutes in se perfectae , quae sunt admirationis objectum , sint item objectum praeconii , laudis , et amoris .

§. I I.

Quid senserint Basilius , Nazianzenus , Nysenus , Efren Syrus , Chrysostomus , Diadochus , et Cyrillus Alexandrinus ?

13. **B**asilium in lib. regul. fus. disp. cap. 2. a Bolgenio laudatus adeo illi non favet , ut satius ei fuisset illum omnino praetermittere . Docet tamen in Dissertatione S. Doctorem eo loci ne minimam quidem tradere ideam amor benevolentiae congruentem . Miratus sum valde , dum legens responsonem Basili et graecam , et latine factam , nihil ibi video , quod amor benevolentiae non sit . Rogatus a Fratribus S. Doctor , quibus modis charitas Christiana possit acquiri , respondet , tribus eam rationibus formandam , nutriendam , et confirmandam . Prima est illa , quia omnes amamus *pulchritudinem* . Secunda , quia amamus personas cognatione junctas . Tertia , quia Benefactores diligimus . Duas has rationes extremas omnittamus , quas ad amorem benevolentiae pertinere posse et supra indicavi , et in decursu operis amplius demonstrabitur ; veniamus ad primam . Dic , precor , Bolgeni , estne per se se amabilis , expetibilis , desiderabilis super omnia Divina Pulchritudo , seu Bonitas , in qua omnes divinae Perfectiones continentur , an non ? Si affirmes , amorem oportet agnoscas benevolentiae , quae illud objectum sub illa ratione respicit . Si neges ; quem laudas Basilium , eundem deseris ita proponentem primam rationem amandi Deum : *Verum quid est , quaeso , iuquit , Pulchritudine divina admirabilius ? Quae notio Dei Majestate excogitari pretiosior potest ? τί οὖν κάλλους θείου θκυλαριστοτερον ; τις ευνοια τῆς τοῦ θεοῦ μεγα λοηρησίας χρισστερα ;*

Et ne cavilleris de termino *pulchritudinis* , quasi non sit idem pulchrum , atque bonum , amandum , et expetendum , audi eundem Basilium hoc eodem in loco ita ratiocinantem , neque enim cum Scholasticis inierat inimicitias , aut Philosophos non curabat . *Illud autem proprie , inquit , vereque pulchrum est , atque expetendum , et amabile , quid quid*

quid est bonum : at bonus est Deus : quod autem bonum est, id ab omnibus expetendum : ergo Deum expetunt omnia. κυρίως και καλλον και αγαπητον το ακαθόν. αγαθος δε ο θεος. αγαθου δε παντα εφίεται θεου άρα παντα εφίεται.

Ex qua doctrina illud conficitur apertissime, quod si Deus est bonus in se, erit pulcher in se, erit amabilis in se, erit expetibilis in se : Si ergo pulchritudo est amandi motivum, amare Deum possum pulchrum in se. Est ne in responsione Basilii vel minima idea amori congruens benevolentiae ?

14. Quinimo sic emicat amor benevolentiae in hac ad Fratres responsione de charitate, ut ter ponat *benevolentiam*, scilicet (*ευνόϊαν*) loco *amoris*, tanquam si utrique nomini eadem sit potestas significandi. Non aliter discurret S. Doctor in regula 221. ubi ad interrogationem : *Qui modus diligendi Deum?* responderet : *assidua, et supra vires contentio ad exequendam Dei voluntatem eo proposito, desiderio que, ut ejus gloria quaeratur.* Et in regula 3. fusius disputata ita disserit ad sensum Athanasii, et Chrysostomi : *Ac rursus qui amat proximum, ei ipsi, quae Deo debetur, Charitati satisfacit, cum ipse recipiat in se hanc beneficentiam. Quapropter fidelis Dei servus Moses tantum erga fratres ostendit amorem, ut etiam ex Dei libro, in quo fuerat inscriptus, deleri voluerit, si peccati venia populo non concederetur.* Quod idem affirmat de Paulo, qui optabat esse anathema pro fratribus.

15. Nec minus offendere videtur Auctor iu Nazianzeno, quam in Basilio prolabitur. Cum enim sic distincte proponat Nazianzenus duas illas intentiones inter operandum bonas, de quibus Ascetae, et Mystici, sed vero primam inferiorem, alteram superiorem, illam ut pertinentem ad Spem Theologicam, et hanc ut propriam Charitatis Theologicae, eas Auctor sic intelligit, ut penitus discedat a mente S. Doctoris. Ita igitur disserit S. Doctor Orat. 3. *Hominibus placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem a Deo consequamur. Imo sublimius etiam assurgimus (de iis loquor qui vero Dei amore praediti sunt) : quippe qui summo bono conjungi propter ipsum summum bonum exoptantes, non autem propter honores in altero aere reconditos.* Sensus verborum clarus est cuique limpidis oculis legenti. Non ideo operamur, ut placeamus hominibus, sed ut praemium habeamus a Deo ; imo et altiolem habemus, et nobiliorem intentionem, propter summum bonum exoptantes summo bono conjungi, et non propter honores nobis reservatos. Quod autem honor, quem speramus a Deo consequi, et quod honores a Deo reservati amicis suis significant praemium essenziale, certo certius est. Nam beatitudo essentialis est honor maximus, est maxima gloria, cui si caetera, quae consequuntur praemium illud essenziale, conferas, parva sunt certe, et vix nomen merentur honoris, et gloriae.

16. Ultima tamen Nazianzeni verba intelligere, non potest Bolgenius de amore benevolentiae, propterea quod legit in Sancto Doctore *conjugi*, legit item *exoptantes*, ut legerat in Basilio, et omnis *conjugio*, omne *desiderium* est apud ipsum amor concupiscentiae. Vides hic praecursum Auctoris, vides causam labyrinthi, quam sibi fingit, inextricabilis. Scito tandem, Bolgeni, omnem amorem esse conjunctionem affectivam, et non omnem conjunctionem affectivam esse amorem concupiscentiae: est enim *affectiva conjugio* genus, seu ratio superior respectu diversarum specierum amoris. Illud etiam tene, desideria pertinere posse vel ad concupiscentiam, vel ad benevolentiam, prout fuerit objectum motivum desiderii, vel appetitionis. Denique cura, ne signum illud, quod tibi alias traditum est, ad egrediendum e Labyrintho, relinquantur scilicet *propter ipsum*. Si haec observes in Nazianzeno scribente *propter ipsum Summum Bonum*, plana omnia, et aperta esse videbis, et amorem benevolentiae secernes ab amore concupiscentiae. Erat optime perspecta S. Doctori amoris benevoli natura, eamque intervenire plane in omni amicitia honesta eodem in sensu, in quo illam intelligunt mira concordia et Philosophi et Theologi, certe supponit. *Omnia*, inquit Epist. 109 *amicis laeta, et fausta cupio*. Et Epist. 195. ad Lollianum inquit: *Siquidem omnia nobis communia tecum esse dicimus tam tristia, quam laeta, et jucunda*. Id tamen praeter caeteris notandum est ex S. Doctore, quod amici ex vi, ac ratione mutuae benevolentiae non volunt solum amico bonum, sed se ipsos amico volunt, et tradunt, ut sint ejus. Erat inter nos scribit ad Theodosium, seu Theodorum Epist. 114. *pura, minimeque fucata amicitia Nunc vero genere copulatur, ut animus noster incrementum capiat, et magis, magisque alterius simus*. Unde cum Jambico 5. descripsisset Fidem et Spem, describit Charitatem non per desiderium propriae foelicitatis, sed per concordiam, et communicationem voluntatum, quae sine benevolentia stare non potest.

Concors voluntas, charitas, ac amor Dei.

Ad summa certam Sydera ostendit viam.

Hinc nihil antiquius apud Nazianzenum, quam Deum propter se amandum, et colendum amore illo effectivo, et obedientiali, quem descripsimus: *Qui Bonum ipsum*, inquit Orat. 27. tom. I. Edit. Venet. col. 414. *propter se colit, et amplectitur, quoniam rem fixam, et stabilem amat, certam quoque, et constantem erga illud animi alacritatem habet, adeo ut divinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis uti possit: Ego idem sum, et non mutor*. Quia nimirum unitus immutabili bono semper vult, quod vult Deus, eum velle, et numquam sejungitur a voluntate divina, si Bonum immutabile propter se colit.

17. S. Gregorius Nyssenus oculum etiam intendit, ut caeteri Patres Graeci, in divinam Pulchritudinem amabilem etiam in adversis, et minime subjectam vicissitudinibus, sicut est subjecta pulchritudo

corporea . Est consentaneum , inquit hom. 6. in Cant. Cant. *Divinam Pulchritudinem in terrore habere aliquid amabile ex iis , quæ sunt contraria corporeæ pulchritudini . Nam hæc attrahit ad cupiditatem id , quod est visui jucundum , et ab omni terribili , iratiquæ animi affectione separatum . Pulchritudo autem illa , in quam non cadit interitus , est magni , et excelsi animi virtus terribilis , et quæ non potest conturbari , aut suopore affici .* Adeo verum est , Deum esse totum desiderabilem . Et id ipsum est , quod Augustinus inquit , *Deum Sanctis placere , etiam cum eos flagellat .* Quia nempe Divina Pulchritudo , infinita Dei Bonitas , et virtus illa terribilis amanda est propter se , expetenda , atque desideranda , etiam cum terret , cum minatur , cum pœnas immittit ; quia id non agit ex animi perturbatione , aut ex aliqua immoderata impressione , quæ odium excitant ut plurimum , et malevolentiam , sed ex rectissima voluntate , superno consilio , et Dominio perfectissimo , quæ potius ad amorem provocant , et benevolentiam . Ad hoc etiam pertinet , quod ex Suario retulimus , S. Nysenum primam Orationis Dominicæ petitionem de Nominis Dei sanctificatione intelligere de Charitate in eodem sensu , in quo cæteri Patres loquuntur . Unde non explicat petitionem per actum Religionis ab Auctore intentum , sed per amorem tendentem in Deum propter se infinite bonum , et dignum , ut ejus Nomen sanctificetur in omnibus .

18. S. Ephren de *Judicio extremo et compunctione* amorem Dei exprimit per sacrificium internum , et traditionem immediatam creaturæ ad creatorem , et per conjunctionem affectivam obedientialem , de qua Suarius . *Necesse enim est , inquit devotus Pater , aliquem se totum ex toto devovere Domino , sicut scriptum est ex toto corde , ex viribus , ex fortitudine , et ex tota voluntate suspendere , et crucifigere se ipsum jugiter anima , et corpore in cunctis sanctis ejus præceptis .* Ait item , quomodo Deum amans non sit jam sui juris , sed juris divini , cujus adhæret voluntati , eam per omnia sequens : *Ensis utrinque acutus est dilectio spiritus . quæ quidem dilectio ensis instar quamcumque materialem affectionem præcidit , omnibusque terræ limitibus supereminere facit , et adhærescere soli Deo , ejusque voluntatem per omnia explere .*

19. S. Chrysostomus in *Exposit. in Ps. 28.* inter ea , quæ amorem Dei provocare possunt , primo loco proponit Infinitam Dei Pulchritudinem , ita dicens : *Et primum Pulchritudo illius beate , et ab interitu alienæ naturæ res est quædam infinita , et nulla ratione superabilis , quæ omnem excedit rationem , et omnem effugit cogitationem .* Transit deinde ad Dei beneficia , et incidit tandem in Dei erga nos amorem . Quæ tria capita maxime commendant amorem benevolentis erga Deum , nam præter ea , quæ diximus , illum a nobis amorem exigit Chrysostomus , qui intentus est totus ad placendum Deo propter ipsum solum . Hinc placere infinitæ Dei Bonitati præfert constanter S. Doctor cuicumque alteri affectui , desiderio , vel affectioni , ex qua al-

aliud requirat creatura, quam Deo placere. Si omnino dignus fueris, inquit lib. 2. de compunct. cordis, agere aliquid, quod Deo placeat, aliam ad huc præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, vere ignoras, quantum boni sit placere Deo: si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis, aut muneris expeteres. Et ne Auctor existimet S. Doctorem per verba illa extrinsecus mercedis intelligere sola bona distincta a visione et possessione Dei, audiat, quo modo homil. 2. de laud Pauli energice describat excellentiam placendi Deo Unum enim illi (Paulo) formidandum erat, atque metuendum, offensa nimirum Dei, nec quidquam aliud omnino: ergo nec desiderabile illi aliud erat, nisi placere semper Deo. Non dico, quia nihil præsentium desiderabat, sed neque ipsorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas Urbes, et gentes... sed ea ipsa pone, quæ promittuntur in Cælis (Gloria nempe essentialis), et tunc ardentem ejus amorem videbis... Quod enim erat majus omnibus, Christi amore fruebatur.

20. Verum hæc ultima verba longe sunt posita ab intellectione Bolgenii existimantis Paulum amore Christi perfrui idem esse atque desiderare Beatitudinem in Christo. Non est ea Chrysostomi mens, sed est illa multo sublimior. Nam perfrui amore Christi est apud Chrysostomum esse contentum amore uno Christi, ut dicebat supra Bernardus, et ut erat in corde S. Ignatii de Loyola. Ideo autem dicitur perfrui, quia amorem Christi eximium sequitur nobilissima delectatio. Quapropter hunc amorem præfert etiam desiderio æternæ beatitudinis, quia æterna beatitudo est bonum amantis, sed placere Deo, et ipsum amare, est bonum amati, et qui Deum amat magis quam se, magis amat bonum amati, quam bonum suum, et magis gaudet de amati bono, quam de bono proprio.

21. Idem ipsum exprimit S. Doctor hom. 5. in Epist. ad Rom. ita disserens verbis amorem benevolentiae mirifice extollentibus: Assidue quidem peccamus, numquam non in peccatis vivimus. Quod si quando vel tantillum boni officii præstiterimus, ingratorum servorum more id certe accurata, ac veluti institoria cum supputatione examinamus, curiose de remuneratione solliciti, et quam mercedem res a nobis gesta habere debeat. Atqui major tibi merces, si modo citra mercedis spem feceris. Hæc enim dictare, curiose indagare, mercenarii potius verba sunt, quam grati servi. Sunt enim omnia propter Christum agenda, non propter mercedem. Ob hoc et gehennam comminatus est, et Cælorum regnum promisit, ut a nobis ametur. Amemus igitur illum, ut amare quidem par est; hoc enim magna certe merces, hoc Cælorum Regnum, et voluptas, et deliciae, et gloria, et honor, hoc lumen, et beatitudo infinita... Nescio quo pacto in hujusmodi sermonem abductus sum, qui jubeam homines... propter ipsum Christum Regnum Cælorum contemnere... Audi, ut Petrus illius amore ustus ardeat, et animæ, et vitæ, et omnibus rebus illum anteponebat... ac dicens: sequar te, quocumque profecturus es.

Om.

Omnia etiam ipse Christus illis (Apostolis) erat: at neque Cælum, neque Cælorum Regnum amato præferebant. En quomodo Chrysostomus hortatur Fideles ad meliora charismata, plane discernens amorem Christi propter se a desiderio æternæ beatitudinis essentialis, Cœli, Regni Cœlorum nobis promissi, ter in verbis S. Doctoris repetiti. En quanti sit apud eum amare propter se Christum, si cum illo desiderio comparetur. En quomodo amor Christi, et ipse Christus sit Cœlum, Regnum Cœlorum, gloria, lumen, merces etc. nempe in illo sensu, in quo *Deus est nobis omnia*, quia nimirum bonum amati est amantis ipsius fœlicitas, beatitudo, merces, honor, et gloria, quia omnia sua bona propria ex multa dilectione postponit amati bonis.

22. Nec dicas, hic loqui Chrysostomum de desiderio beatitudinis accidentalis, vocat enim *servos ingratos, curiose indagatores, et mercenarios*, qui ex intuitu illius mercedis operantur. Nam alijs in locis eodem modo loquitur Chrysostomus comparans beatitudinem essentialem, et gloriam promissam cum amore Christi, et eum præfert sine hæsitatione desiderio æternæ fœlicitatis, ut constat ex interpretatione illius S. Pauli memorandæ sententiæ ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Deinde hæc reflexio æque Bolgenium urget: nam etiam desiderium honorum æternorum, quæcumque sint ea, nobis a Deo promissorum est bonum, honestum, supernaturale, et pertinens ad Spem Theologicam. Ergo dici non potest in rigore servus ingratus, et curiosus indagator, qui ex illo desiderio operatur. Tandem quia eo tendit Chrysostomus, ut efferat excellentiam Charitatis supra Spem, cæterasque virtutes, et ut nos doceat sine Charitate valere nihil, unde et nos hortatur ad omnia, quoad possimus, agenda ex Charitate elicente, vel imperante. Et quidem quod hac in parte, in qua deprimere Spem videtur, utatur aliqua exaggeratione, patet ex illis verbis, quibus rem temperare videtur, *more, veluti nescio quo pacto in hujusmodi sermonem abductus sum etc.* Hæc est igitur sine dubio mens germana S. Doctoris excludentis a ratione motivi Charitatis præmium essentialia, et quam exprimit verbis illis clarissimis, quæ leguntur in Exposit. Psal. 7. *Amator enim vel miles pro amico moreretur, quamvis post mortem nihil ab eo expectaret. Ita enim nos oportet non propter Regni expectationem nec propter aliquam aliam Spem futurorum bonorum, sed propter ipsum Deum omnia pati.* Ubi vides excludere ab immediato motivo amoris beatitudinem et essentialem, et accidentalem, nisi rerum rationes plane confundas, vel non penetres terminos illos *nihil, non propter, nec propter, sed propter ipsum.*

23. Idem ipsum confirmat multis in locis in ea manens firma sententia, præferendum esse amorem Christi propter ipsum cuicumque desiderio Regni Cœlestis, et Beatitudinis æternæ, ut si loca omnia excribenda essent, *vix non integer liber confici posset.* Non possum tamen

non facere, quin verba proferam, quibus tom. XI. Homil. 8. in cap. 4. ad Ephes. de Vinculis Pauli disserens, eorum memoriam celebrat perelegantiori oratione dicens: *Vinctum esse propter Christum est præclarior, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit, quod dicitur . . . Si quis in Dominum insanit, et ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluit esse vinctus propter Christum, quam habitare Cælos . . . Etiam si nullam haberet mercedem, hoc solum est magna merces, et sufficiens remuneratio, hæc gravia pati propter eum, qui amatur. Sciunt, quod dicitur, qui amant, si non Deum, at homines, qui magis lætantur, si male patiuntur pro iis, quos amant, quam si honorentur. Hoc Sancti chori solum est intelligere, Apostolorum, inquam. Audi enim Beatum Lucam dicentem, eos rediisse gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habitii sunt pro nomine Christi contumeliam pati . . . Siquis me apud Superos collocaret, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem . . . Nihil est melius, quam male pati propter Christum . . . Non propterea bonum est vinctum esse propter Christum, quod ea res Regnum conciliet, sed quod ea fiat propter Christum. Non propterea beata prædico vincula, quod transmittant in Cælum, sed quod ea sint propter Dominum Cæli. Quærisne, Bolgeni, quidquam clarius? Fateor, me non facile illud invenire posse.*

24. Sed tamen dabo alia S. Diadochi Episcopi loca non absimilia. S. Diadochus de perf. Spirit. cap. 12. hanc nobis tradit notionem amoris concupiscentiæ, et amoris Benevolentæ. *Qui se diligit, inquit, gloriam suam quærit; qui autem Deum diligit, gloriam Auctoris sui amat. Est enim animæ sentientis, ac Deum amantis proprium gloriam quidem Dei semper quærere in omnibus mandatis, quæ facit. Et cap. 13. de trib. Virtut. exprimit apprime desiderium benevolentæ a ratione scribendi Bolgeniana longe remotum. Novi, ait, ego quemdam, qui tametsi lugeret, quod non, ut vellet, Deum amaret: tamen ita Deum amabat, ut ejus anima ejusmodi desiderio vehementer continenter teneretur ita, ut Deus quidem gloria afficeretur in eo, ipse vero esset quasi nihil. Ude constat, amare Deum ex S. Diadocho esse amare gloriam Dei, et non gloriam propriam, id enim pertinet ad dilectionem sui. Item eum eximie Deum diligere, qui desiderat vehementer, ut Deus afficiatur gloria. Est ne apud antiquos Patres vestigium amoris benevolentæ, qualem nobis repræsentant Theologi, Ascetæ, et Catechistæ? Non solum apud antiquos Patres hujus generis amor invenitur clarissime, sed a Sanctis Recentioribus ad praxim deductum legimus in eorum Vitis per actus heroicis hic adumbratos a Patribus. Si quis amat Christum, dicebat Chrysostomus, novit, quod dicitur. Si quis in Domino insanit, novit vim vinculorum etc. Et Diadochus: ita Deum amabat, ut desiderio vehementer continenter teneretur, ut Deus gloria afficeretur in eo, ipse vero esset, quasi nihil. Nonne id ipsum noverat S. Joan. a Cruce, cum interroganti Christo, quid præmij po-*

sceret pro tot laboribus, amore insaniens divino respondit: *Domine pati, et contemni pro te*. Quid item aliud est, quod identidem habebat in ore S. Maria Magdalena de Pazzis universis Cœli renunciatis divitijs: *pati, non mori*? Id profecto aliud est nihil, quam vehementer desiderare, Deum glorificari in amato, et amatum esse quasi nihil. Legat, qui volet, opera, quæcumque sint illa, S. Theresiæ, et hac animi affectione erga Christum teneri Sponsam ejus, sæpissime observabit.

25. S. Cyrillus Alexandrinus, quo nihil habet Græcia eruditius, si habeuda est fides perillustri Scripturæ Interpreti Francisco Riveræ, exponens verba illa Joan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*: advertit desiderium, et gaudium de bono Discipulorum Magistrum suum vere diligentium debere posponi desiderio, et gaudio de bonis Magistri: *Occasionem doloris, inquit, vertit in argumentum lætitiæ, palamque eos arguit, quod non latentur potius de eo, quod dolebant. Simul autem docere conatur, opus esse, ut qui veram, ac sinceram in alios Charitatem oclunt, non tantum quod sibi cordi sit, ac voluptati quærant, sed quod usui sit iis, quos diligunt, occasione ita postulante. Quocirca Paulus ad quosdam scribit: Caritas non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt. Ad alios autem: Non sua quærentes, sed quæ sunt aliorum . . . Id enim sentire suos Discipulos hoc loco Salvator admonet . . . Erat igitur jucundissimum, et optatissimum cum nobis ipsis, tam Sanctis Discipulis esse una cum tantorum bonorum largitore Christo, et præsentem semper eum, ac nobiscum versantem habere, sed non multum ei utile videbatur tam longis temporibus commorari in humilitatis forma, quam propter dilectionem erga nos assumpserat, sicuti jam diximus. Oportebat enim nostræ salutis dispensatione jam ad exitum perducta ad suam Gloriam redire. . . Qui enim nobiscum ante resurrectionem ex mortuis homo versabatur, postquam ad Patrem, qui in Cœlis est, ascendit, tunc suum decorem induit, et pristina fortitudine se præcinxit. Sedit enim regnans cum Patre. Gaudere itaque dignum, et justum est, quotquot diligunt illum, quia ascendit ad Patrem, qui in Cœlis est, suam resumpturus gloriam etc. En tibi naturam, et indolem dilectionis erga Christum, cujus est bonum velle Dilecto, bonum Dilecto exoptare, et de bono gaudere Dilecti.*

Quid Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Cassianus, Leo M., Chrysologus, Gregorius, Isidorus Pelusiota, Isidorus Hispalensis, et Ildefonsus.

26. Sanctus Ambrosius lib. 3. de officijs sic nobis proponit amorem amicitiae honestae, ut unice respiciat honestatem, rectitudinem, et decentiam, excluso omni emolumento, utilitate, et delectatione. Imo naturam amoris in eo collocat, ut amans se tradat, et committat amico, quocum in benevolentia concertare debet, malaque, cum oportuerit, pro illo sustinere. *Ea enim, scribit cap. 20., amicitia probabilis, quae amicum tuetur, praeferenda sane opibus, honoribus, potestatibus; honestati vero praeferrī non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jonathae, qui pro pietate nec offensam Patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Achimelec, qui pro hospitalitatis gratiae officijs necem potius sibi, quam proditorem fugientis amici subeundam arbitrabatur.* Clarius ad rem nostram cap. 21. inquit: *Quid est enim amicus nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas, atque supplices, et ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, a quo nihil timeas, nihil ipse, commodi tui causa, inhonestum petas. Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, et gratiae. Virtus est enim amicitia, non quaestus, quia non pecunia quaeritur, sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiae.* Et cap. 23. sermonem instituens de amicitia Judithae erga gentem suam diserte notat, Juditham, honestatem cum sequeretur, utilitatem invenisse, ut plane ostendat, amicitiam per se non intendere delectationes, vel utilitates, sed eas potius amicitiam consequi. *Honestatem, ait, secuta est Judith, et dum eam sequitur, utilitatem invenit. . . . Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo. Quanta honestatis auctoritas, ut consilium de summis rebus foemina sibi vendicaret, nec Principibus Populi committeret! Quanta honestatis auctoritas, ut Deum adiutorem praesumeret! Quanta gloria, ut inveniret!*

27. Eodem modo loquitur de amicitia supernaturali, cum de *Interpellat. David.* lib. 4. cap. 11. n. 28. nos hortatur ad amandum Deum, non propter praemium, sed propter bonitatem suam, sicut Christus passus est, non ex praemij cupiditate, sed ut nobis beneficeret. *Qui illum sequitur, ait, non praemio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consumatur ad praemium. Imitatores enim Christi non propter Spem boni sunt, sed pro amore virtutis. Christus enim per naturam bonus, non propter praemij cupiditatem. Ideo passus est, quia benefacere eum delectavit, non quia incrementum gloriae ex sua Passione quaerebat.* Tandem in Epist. 2. ad Corinth. cap. 5. Charitatem explicat genuinam per

zelum, et sollicitudinem de bonis amati, ut nos docet S. Thomas. *Hæc enim vera, inquit, est charitas, si sua utilitate contempta, ejus curam agat, quem diligere se profitetur.*

28. S. Hieronymus in eadem est sententia, atque Ambrosius de amicitia in genere non quærente delectationes, sed amorem gratuitum, et benevolentia concertationem unice includente. *In amicis enim, ait Epist. 38. ad Castrutium, non res quæritur, sed voluntas.* Unde S. Thomas in 3. dist. 27. q. 2. art. 1. Hieronymum laudat, quod ab amicitia delectationes excludit, ut intentas per amorem. Et de dilectione erga Christum expresse loquens Epist. 14. ad Celantiam non eam explicat per desiderium æternæ beatitudinis, sed per voluntatis communionem. *Grandem vim, inquit, habet vera dilectio. . . nihil est imperiosius charitate. Nos si vere Christum diligimus, si ejus nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus.* Nihil clarius pro amore benevolentia obedientialis, de quo Theologi, ex quo amans se Deo tradit, et subjicit ad ea volenda, quæ placent amato. Videat item Bolgenius, an sit, esseve possit amor concupiscentia in propriam utilitatem conversus, quem S. Doctor describit lib. Epist. Epist. 29. inter select. ad Exuperantium. *Inter omnia, inquit, quæ mihi Sancti Fratris Quintiliani amicitia præstiterint, hoc vel maximum est, quod te mihi ignotum corpore, mente sociavit. Quis enim non diligit eum, qui sub paludamento, et habitu militari agat opera prophetarum, et exteriorum hominem aliud promittentem vincat interiori homine, qui formatus est ad imaginem Creatoris?* Profecto amor hominis ignoti, quem nobis exhibet Hieronymus, in rectè factis ab Exuperantio motivum habebat, non in delicatis voluptatibus, quæ ex præsentia, vel colloquio amici haberi possunt.

29. De Augustino multa diximus cap. 2. ubi excipimus loca varia de amore gratuito Charitatis et ostendimus ex S. Doctore, Deum propter se se, non propter nos, vel propter aliquid a Deo distinctum esse diligendum, et quidem per amorem minime revertentem, aut reflectentem ad creaturam, sed currentem, et sistentem omnino in Deo, quin ullatenus relaxetur, vel convertatur ad hominem. Quæ sane notæ, et proprietates unice possunt congruere amori perfecte extatico, qualis est amor benevolus. In eundem sensum loquitur S. Doctor serm. 330. in Natali Martyr. *Redi, inquit, ad te: sed iterum sursum versus eum redieris ad te, noli remanere in te. Prius ab his, quæ foris sunt, redi ad te, et deinde redde te ei, qui fecit te, et perditum quæsit te, et fugitivum invenit te, et aversum convertit te ad se. Redi ergo ad te, et vade ad illum, qui fecit te.* Adeo est Augustinus intentus in Deum, in quo vult ut omnia sistant, et ut omnia ad illum referantur, ut scribere non dubitaverit lib. 10. Conf. cap. 29. *Minus te amat, qui tecum aliquid, quod*

non propter te, amat. Quod tamen non ita intelligendum est, ut relationem importet præcise actualem, sed aut hanc, aut aliam minus rigorosam. Qua de re optime disserunt Scholastici, qui tamen recte concludunt, Deum ex Augustino diligendum esse ex charitate propter se ipsum, ac in se, et non propter aliud, quod in Deo non sit.

30. Hoc omnino conforme est iis, quæ scribit in Psalm. 3. ubi potissimum motuum amandi Deum reponit in divina Pulchritudine: *Qui facit omnia, inquit, melior est omnibus, qui pulchra fecit, pulchrior est, qui fortia, fortior, quidquid amaveris, ille tibi erit: discere amare in creatura Creatorem . . . Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quam ille, a quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides, sed per ea, quæ miraris, ama quem non vides.* Hinc de Catech. rud. cap. 27. sic scribit: *Amandus est Deus, non sicut aliquid, quod videtur oculis, sed sicut amatur Sapientia, et Veritas, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte Incommutabilis Sapientiæ.* Et lib. 2. Conf. cap. 10.: *te volo,* inquit, *Justitia, et Innocentia pulchra, et decora honestis luminibus, et insatiabili satietate.* Eodem sensu loquitur Serm. 17. de Verbis Apost. advertens, sic esse amandam Justitiam, ut præponatur cuicumque licitæ delectationi. *Justitia, inquit, sic delectet, ut vincat etiam licitam delectationem, et ei delectationi, quæ licite delectaris, præpone Justitiam.* Ratio est, quia vera charitas justitiam, et bonitatem amat propter se, delectationem autem, aut fruitionem propter Justitiam, et Bonitatem. Et hoc est proprie quærere Deum, sed propter Deum, et quærere fruitionem, ut homo sit aliquando plenissime juris Divini. Quod sane clarissime traditur a S. Doctore, ut supra monuimus, dicente: *Jam te solum amo, te solum sequor, te solum quero, tibi soli servire paratus sum, quia tu solus jure dominaris, tui juris esse cupio.*

31. Nec omittenda est Augustini doctrina circa amicitiam honestam, in qua non minus est chimæricus apud Bolgenium amor benevolus, quam in amicitia supernaturali erga Deum. S. Doctor in libro de amicitia ne latum quidem unguem ab Ambrosio discrepat. Namque cap. 2. amicitiam explicat per actus benevolos congaudendi, et condolendi, et in eodem loco approbat definitionem Tullii a nobis exaratam in Prolegomeno 5. Similiter cap. 20. negat ex S. Ambrosio amicitiam esse vectigalem, et asserit esse plenam decoris, et gratiæ. Et Serm. 385. (apud Maurinos in 2. Edit. Venet.) hæc leguntur: *Est alia superior amicitia non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, et mutuam benevolentiam in ista vita mortali . . . Videat enim charitas vestra primum, amicitia amor qualiter debeat esse gratuitus.* Scio, sermonem illum inter dubios collocari; sed tamen mihi magis exploratum est, sententiam, quam ex illo desumo, esse apprime conformem iis, quæ traduntur alias ab Augustino. Exempli gratia: Tract. 8. in Epist. Joan. n. 5. ita dissert S. Doctor

de dilectione in genere, et de amicitia, quam benevolentiam appellat: *Omnis dilectio, Fratres Charissimi, utique benevolentiam quamdam habet erga eos, qui diliguntur . . . sed amicitia quædam benevolentia est (non benevolentia, ut ex Rubeis scribit Bolgenius) ut aliquando præstemus eis, quos amamus, quod si non sit quod præstemus, sola benevolentia sufficit amanti.* Ita legitur apud Maurinos in Edit. laudata. Ex quibus Augustini verbis duo colligo. Primum, quod dilectio benevolentiam habet, importat, seu claudit; non enim dicitur, quod *amicitia* benevolentiam habet adjunctam, ut explicare conatur Bolgenius per complexionem duorum actuum, sed quod *dilectio*, quod actus individuus diligendi benevolentiam habet, id est, quod est benevolus. Alterum, quod amicitia est quædam benevolentia; quæ prædicatio, falsa esset, si duos in amicitia actus ponas, scilicet dilectionem, et benevolentiam. Non aliter atque hæc propositio *velle credere est actus intellectus*, falsa est, quamvis volitioni adjungatur assensus, qui nec de volitione, nec de complexo duorum actuum diversorum prædicari potest, ut patet.

32. Veniamus ad duos Augustini Discipulos Prosperum, et Fulgentium. Primus lib. 3. de vit. contemp. cap. 16. explicat dilectionem Dei per unionem, et consensionem voluntatis cum voluntate divina: *Illi, ait, perfecte diligunt Deum, qui volendo, quod Deus vult, et nolendo, quod non vult, nec ullis peccatis, quibus offenditur, acquiescunt, et semper se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas, et habendas extendunt.*

33. Multo adhuc illustrius doctrinam tradit Theologorum S. Fulgentius, qui et nomen benevolentia, et etymologiam declarat. Cum enim dixisset in Epist. 5. de charit. ad Eugypium Abbatem, posse quemque diligere res temporales, quin eas habeat, et idem contingere in plerisque spiritualium, negat id dici posse de charitate, quæ non nisi ab habente dilectionem diligi potest; neque fieri posse, inquit, ut si habeatur charitas, quæ est dilectio, non diligatur; ex quibus hanc deducit consecutionem: *Homo ergo benevolus est domicilium charitatis. Hoc autem nomen, hoc est, benevolus ex bene, et velle compositum est; si ergo alteri quisquam male velit, in quantum male vult, benevolus non est, per hoc malevolus est.* En quomodo benevolentia est dilectio, quia est idem atque *bene velle*; en quomodo homo benevolus est homo diligens, cumque dilectio esse non possit sine charitate, homo benevolus est domicilium charitatis. Contra vero cum quisquam alteri male vult, malevolus est, et habet malevolentiam, ex qua alterum non diligit, sed odio habet. Non aliter loquitur Serm. de Charit. Dei et proximi, de amore inimicorum, ubi charitatem appellat benevolentiam. *Ecce, inquit, Dominus usque ad inimicos charitatem jubet extendi, et usque ad persecutores christiani cordis benevolentiam dilatari.*

34. Cassianus collat. 11. cap. 8. ad amorem gratuitum nos hortatur *propter solum Dei erga nos amorem*, seclusa quacumque spe præmiorum. Nos ergo, inquit, *diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos. Non ergo aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus, nisi, quemadmodum nullius alterius rei, nisi salutis nostræ gratia prior ille nos dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu.* Nec omittendum, quod cap. 6. proposuerat tria motiva, quibus vitia essent extirpanda. Quorum primum est *metus gehennæ*; alterum *spes, atque desiderium Regni Cælorum*; tertium *affectus Boni ipsius, amorque virtutum.* Et de hoc ultimo motivo ita disserit: *Ille namque solus ea, quæ bona sunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia provocante, sed solo Bonitatis operatur affectu. Omnia enim, ut ait Salomon, propter semetipsum operatus est Dominus. Unde sic operantes, inquit, imaginem, et similitudinem Dei præferre. Et ut pateat, quam sit hæc Ascetarum Magistri tuta doctrina, post laudata duo illa priora motiva illud ultimum celebrat tanquam proprium charitatis. Secundum hunc ergo sensum, ait, nostra quoque est intelligenda sententia, non quod contemplationem perpetuæ illius pænæ, vel beatissimæ retributionis, quæ promittitur Sanctis, nullius pronunciamus esse momenti, sed quia, cum sint utiles, et sectatores suos ad initia beatitudinis introducant, charitas rursum, in qua plenior fiducia, perpetuumque jam gaudium est, assumens eos de timore servili, et mercenaria spe ad dilectionem Dei, et adoptionem transferat filiorum, et quodammodo perfectiores faciat de perfectis.*

35. Concors est in omnibus S. Leo cæteris Patribus et re, et nomine benevolentia. Serm. 10. de quadragesima Dei amorem erga nos benevolentiam appellat, et insinuat amorem nostrum erga illum talem dici debere per illa verba: *Pulchrum enim valde est, et divine Benevolentia comparandum, sui quemque in altero meminisse, et amare propriam in hoste naturam.* Et Serm. 1. de Jejun. 10. mens. Oriatur, inquit, *de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle, non deficit. Ad omnia igitur, Dilectissimi, opera pietatis omnium nobis qualitas prosit annorum, nec benevolentiam Christianam difficultas temporis impediatur.* Quibus in verbis exprimitur aperte frateroa charitas per duo illa: *bene velle, et benevolentiam Christianam.* Præterea Serm. 1. de Jejun. supra laudato, et Serm. 7. de Jejun. Sept. Mensis explicat amorem nostrum erga Deum, sicut cæteri Patres, per totalem subjectionem voluntatis nostræ voluntati Divinæ, et quæ nullam aliam expectat remunerationem, quam *Deo placere.* Sic enim disserit in primo loco: *Dicente itaque Domino diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ec. suscipiat fidelis anima Auctoris sui, atque Rectoris immarcescibilem charitatem, rotamque se etiam ejus subijciat voluntati.* In secundo autem sic loquitur clarissime: *diligenti Deum sufficit ei placere, quem diligit, quia nulla major ex-*
pe-

petenda est remuneratio, quam ipsa Dei dilectio.

36. De S. Petro Chrysologo dici plurima possent pro argumento præsentis. Unus sermo de Bono Pastore, qui est quadragesimus, rem nostram ita proponit omnium oculis, ut nullum dubitationi locum relinquat. Ibi enim depingit elegantissime amorem Boni Pastoris erga oves, describens amorem benevolentiam, qui totus est conversus in bonum, commodum, et utilitatem ovium, pro quibus pascendis, tuendis, liberandis a lupis, et in æternum servandis nihil non pertulit benevolentissime. *Pastor, inquit, Bonus animam suam ponit pro ovibus suis: fortem facit vis amoris, quia nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil læthale computat amor verus. Quod ferrum? Quæ vulnera? Quæ pœna? Quæ mortes amorem prævalent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insistit, mortem ridet, si amor est, vincit omnia.* Atque hæc quidem Bonus Pastor pro ovibus præstat ex amore adversus eas ardentissimo, quia illas amat, quia illis vult bonum, quia earum commodum, utilitatem, et vera bona procurat. Unde pergit suavissimus Doctor. *Quæramus ergo hujus quæ vis, quæ ratio sit amoris, quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utilitas passionis? Est plane vis certa, vera ratio, causa lucens, utilitas tanti sanguinis peraperta: namque Pastoris una ex morte virtus emicuit singularis: Pastor pro ovibus morti, quæ ovibus imminabat, occurrit, ut auctorem mortis Diabolum novo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, et ovibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret. . . Ergo tali forma præcessit oves Pastor, Pastor ab ovibus non recessit, nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donavit suos elidere sic prædones, ut occisæ viverent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ fulgerent regali purpura, niveo vellere perlucere ec. Ubi est, o Bolgeni, tuus ille amor concupiscentiæ ad amantis commodum, et utilitatem conversus? Tolle ab amore Boni Pastoris velle bonum ovibus, et amoris naturam, vim, ac efficaciam omnino tolles. Nam quæ a Chrysologo indicantur causæ, rationes, et utilitates amoris, omnes omnino pertingunt oves, in eas refunduntur, nec ad commoda Pastoris referuntur: *Christus, repeto cum Ambrosio, per naturam bonus, non propter præmii cupiditatem. Ideo passus est, quia benefacere eum delectavit, non quia incrementum gloriæ ex sua Passione querebat.**

37. S. Gregorio Magno solemne est Charitatem exprimere per exhibitionem operum, ut nemo ignorat. Et quidem opportunissime, ut qui ad Scripturæ loquitur sensum. *Si diligitis me, ait Dominus Joan. 14. mandata mea servate. . . Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. . . Si quis diligit me, sermonem meum servabit etc.* Unde sicut ex hoc capite demonstravimus, Charitatem actua-lem consistere non posse in desiderio æternæ fœlicitatis, quia nempe ejusmodi desiderium nec est plenitudo legis, nec vinculum perfectionis,

CUM

cum existere plane possit in homine peccatore beatitudinem sperante, et desiderante, ita ex eodem ineluctabili principio deducitur, non esse apud S. Gregorium Charitatem actualem illud ipsum desiderium, quod nisi peccator eliciat, sperare minime potest beatitudinem. Deinde ipse S. Doctor lib. 2. Homil. homil. 38. ad Charitatem requirit, quod homo ex toto corde se Deo tradat, nihil sibi relinquens: *Non enim, inquit, jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur ex toto. Quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit.* Qui autem præter Deum moveretur ad amandum ex visione, vel possessione Dei, non Deum ex toto diligeret, nec totum cor in Deo poneret, sed etiam in visione, vel possessione, unde jam sibi aliquid relinqueret, quod Deus non est. Tandem lib. 4. in cap. 6. Job. cap. 11. sub illa verba: *et terrores militant contra me*, assertit nobilitatem nostræ regenerationis ostendendam esse ex amore filiali erga Deum ut Patrem. *Tunc, ait, nobilitatem nostræ regenerationis ostendimus, si eum ut Patrem diligimus, quem nunc ser-vili mente ut Dominum formidamus.* Demonstratum est supra ex Patribus, et ex ratione ipsa naturali, amorem sincerum filiorum deferre Patri, non sibi, esse debere propter Patrem, et non præcise ob hæreditatem consequendam. Et certe quis mente concipiat, nobilitatem generationis supernaturalis ostendi per amorem, ex quo non deferamus Authori regenerationis, illum propter se unum amando, sed ex quo potius nostram fœlicitatem, commodum, et hæreditatem quæramus, ad nos ipsos ex amoris virtute revertendo?

38. Isidorus Pelusiota motivum amoris casti, honesti, et laudabilis inter homines collocat in pulchritudine virtutis. Unde Epistolarum lib. Epist. 87. quæ incipit: *Amicitia primordium, ac benevolentia igniculus*: ita disserit de lege amoris pudici. *At divinus, et pudicus amor, qui rei firmæ, et stabilis est, proinde stabilis quoque ipse est: quodque virtutis pulchritudinem magis imaginatur, eò quoque arctius et secum, ac inter se devincit eos, qui earum rerum desiderio tenentur.* Et quod majus est, epistola 336. ejusdem libri ad Martinianum, Zosimum, Maronem, et Eustachium ita præfert amorem salutis æternæ fratrum desiderio propriæ suæ fœlicitatis, ut ex parte saltem imitari videatur Mosem, et Paulum. Audiamus illum, namque ejus litteræ et mentem illuminant, et voluntatem accendunt. *Ego vero, inquit, ut ex hac insania emergatis, exopto; non quod, nisi emerseritis, detrimenti quidquam hinc subiturus sim, (nisi tamen quisquam mœrorem, qui hinc ad me redit, commemoret,) nam quod ad præmij rationem attinet, nihil damni faciam, verum quod majore salutis vestrae, quam præmij consequendi cupiditate tenear. Quod si quis mihi diffidit, is longe ab amicitia habitu remotus esse deprehenditur. Quodsi, cum coarguitur, ad impudentiam se convertat, ac neminem mortalium hoc unquam præstitisse contendat, a viro Deo charo Mose, atque a Sapientissimo Paulo refelletur.*

Ex

Ex quibus alter de divino libro expungi optabat, nisi Judæis ignoscere-
tur, alter hæc conditione anathema esse cupiebat, ut Judæi omnes ad vi-
tam accederent. Quod si rursus dicat. Quid igitur? Viris ne illis te
comparas? Illud responderem, quod, cum in alijs omnibus virtutum præ-
rogativis cunctis fere hominibus, nedum his duobus, inferior sim, at u-
num tamen hoc arcte, atque ardenti animo teneo, quod quantum in me
situm sit, omnes salutem consequi cupiam. Ubi consideranda sunt ver-
ba illa majore salutis vestræ, quam præmij consequendi cupiditate tenear:
longe ab amicitie habitu remotus esse deprehenditur. Quasi diceret, mul-
to est fortior, ac generosior amor, et desiderium salutis æternæ pro-
ximi propter Deum, quam desiderium propriæ fœlicitatis, ut bonum
est proprium desiderantis. Item: qui hæc non credit, quæ asseveran-
ter affirmo, virtutem habitus amicitie, procul abest, ut experimento
proprio agnoscat.

39. Clarissimus Ecclesie Doctor Isidorus Hispalensis, qui, qua
pollebat amplissima eruditione, et doctrina, ita vim nominum, ideas
rerum, et notiones terminorum diligentissime indagavit, benevolentiam
esse, ait, amore gratuitum, perinde ac si unus esset e Theologis,
quos insectatur Bolgenius. Sic enim scribit Sapientissimus Doctor lib.
3. Sentent. cap. 30. amicitie honestæ generatim sumptæ veram tra-
dens definitionem: *illa est vera amicitia, quæ nihil quarit ex rebus
amici, nisi solam benevolentiam, scilicet ut gratis amet amantem.* Igitur
qui gratis amat, benevolentiam habet, et qui benevolentiam habet,
gratis amat, quia gratis amare aliquem est illi bene velle, et quia il-
li bene velle est eum amare gratis. Item: lib. 2. Different. Different.
31. supponit, desiderium æternæ beatitudinis præcedere Charitatem,
et per eam fieri, ut perfectius credatur. *Nec aderit, inquit, fructus
spei, vel stabilitatis fidei, nisi fuerit perfecta Charitas, quæ fidem, ut
credat, adjuvet, et spem expectatione corroboret.* Certitudo itaque ex-
pectationis, quæ a Charitate derivatur in Spem beatitudinis desideratæ
mirum in modum corroborat desiderium, et actum sperandi, quia de
amicis, ut alias diximus, *maxime speramus.* Et hic est fructus Spei de
quo loquitur Isidorus.

40. S. Ildefonsus Archiep. Tolet. lib. de Cognit. Baptism. cap.
133. Editit. novissimæ primam, et secundam petitionem orat. Domin-
eodem interpretatur modo, atque cæteri Patres, sic ut prima ad Cha-
ritatem spectet, et altera ad Spem Regni Cælestis. *Cum dicimus, in-
quit, sanctificetur Nomen tuum, nos admonemus, desiderare, ut Nomen
ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur. . .
Et in eo quod dicimus: adveniat Regnum tuum, quod sive velimus, si-
ve nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud Regnum excita-
mus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur.* Tendit igitur pri-
ma petitio ad gloriam Dei desiderandam, et procurandam in omni-
bus. *Qui enim dicit, ait cap. 35. ejusdem libri, clarificare in omnibus*

gentibus; sicut clarificatus es in nobis, et Prophetæ tui fideles inveniantur, quid aliud dicit, quam sanctificetur Nomen tuum? Præterea in libro de itinere Deserti cap. 90., cum dixisset, certum esse testimonium amoris Dei dilectionem proximi; non hanc explicat per desiderium æternæ retributionis in diligente proximum, sed per id, quod diligens bona proximo quærat, et a malis illum defendat propter Deum, non quærens quæ sua sunt, sed quæ sunt amici, id quod sine benevolentia esse non potest. Et tunc, inquit, vere diligi probabitur Deus, quando in Deum amicus propter Deum dilectum convincitur inimicus. Hæc ubi vera consistat (dilectio) intercidi nescit, quia interruptionem non habet, quod permanebit in æternitatis bæreditate: tantum effectum suæ operationis idonea, ut non quærens, quæ sua sunt, se se periculis ingerat proximorum, atque quicquid lucrandum adsciverit, aut propria prosperitatis communiione refoveat, aut susceptæ adversitatis expugnatione defendat.

§. I V.

Quid S. Joannes Damascenus, Beda, Alcuinus, Anselmus, Agobardus, Theophilactus, Hugo Victorinus, Blesensis, atque Bernardus?

41. Sanctus Joannes Damascenus, qui omnium primus Theologiam recto ordine comprehendit, ut Bellarminus notavit, amorem exponit amicitie honestæ per communionem bonorum, atque malorum, nihilque ait importare, ut aiebat Isidorus, præter benevolentiam, unde in benevolentia firma collocat veram amicitie honestæ rationem. *Communia omnia faciamus*, scribit in Sacris Parallelis Titulo 7. lit. φ. *cum molestias, tum voluptates*. Hæc quippe amicitia natura est. . . *Tria esse amicitie genera edocemur, quorum primum, et præstantissimum est, quod virtute conflatur. Firma quippe benevolentia est, quæ a ratione profisciscitur. Secundum, ac medium est illud quod in mutue vicis commercio consistit, quod etiam liberale, atque ad tuendam vitam utile est. Tertium vero, ac postremum, quod ex consuetudine cum Ethnicis contrahimus. Novi, inquit, ille, id, quod constat voluptate, verti, et mutari posse. Itaque primum amicitie genus Philosophi est, alterum hominis, tertium animalis. Ubi notandum obiter verbum illud edocemur. Nec enim puduit Damascenum e Philosophis ediscere, quæ bene ab illis tradita sunt de amicitie natura. Id quod refugit, parum sane prudenter, audire cl. Auctor.*

42. Paulo aliter loquitur in Parallelo 18. lit. A. de tribus amicitiarum generibus. *Quarum una, inquit, illum, quem amat, propter Deum amat; altera, quia dives ille est, accipiendi muneris causa: tertia affectionis astu. Atque illa quidem pure, et sincere eum laudat, quem di-*

diligit; altera ob avaritiam; postrema voluptatis ergo. Nec est, cur Auctor confugiat ad subtiles illas delectationes, et delicatas voluptates, quas percipit amicus ex præsentia, colloquijs, et conversatione cum amico, namque si illa intendantur ut finis amicitiae, possunt quidem facere amicum jucundum, sed non genuinum, ut hic advertit ipse Damascenus inquires: *jucundus ille amicus est, qui animum enutrit. Genuinus amicus est, qui nostras calamitates suas esse censet.*

43. Venerabilis Beda in cap. 15. Lucæ dilucide proponit tres illas operandi intentiones, de quibus Casianus, quem sequuntur Ascetae, nobis commendans intentionem propriam Filiorum Dei, qui non solum ex affectu ad Regnum Cœlorum, seu ipsis promissum præmium moventur ad bene agendum, et ad temperandum a malo, sed potissimum ducuntur ex affectu ipsius boni. *Servus est, inquit, qui adhuc metu gehennæ, seu præsentiæ legum a vitijs temperat. Mercenarius, qui spe, atque desiderio Regni Cœlorum. Filius, qui affectu boni ipsius, atque amore virtutum.* Qui igitur propter Bonum infinitum operatur, ut ei placeat, longe operatur perfectius, quam qui agit ex Regni Cœlorum desiderio. Nam hæc secunda intentio bonum intendit proprium operantis, cujus est amor; at prima illa bonum curat amati, quem toto corde diligit.

44. Alcuinus Opusc. 6. de anim. ration. tom. 2. inter Opera Edit. noviss. p. 146. docet, diligendum Deum ut Bonum Summum, et Indeficiens, et ut Pulchritudinem plenam. *Si naturale est, inquit, omni homini bonum amare, naturale est etiam Deum amare, quia Deus Summum bonum est, sine quo nihil boni quisquam habere poterit. Ille est indeficiens Bonum, plena Pulchritudo, totius felicitatis abundantia. Amor vero hujus Boni non nisi in anima esse poterit. Et hoc anime excellens Bonum est, illud amare Bonum, in quo solo, et a quo solo, et per quem quidquid boni est in ulla creatura Bonum est.* In qua loquendi ratione notis exhibet manifeste tanquam motivum amoris Bonitatem illam, et Pulchritudinem universalem, et indefectibilem, in qua omnes creaturarum bonitates continentur.

45. S. Anselmus, cui norma cœlitus data est tradendi obscurissima quæque ratione plana, et Scholastica, præcipuus fuisse videtur, ut notat Eximius Doctor Disp. de Spe, qui viam aperuit Scholasticis, ut divisionem, quam suscipit Auctor impugnandam, duplicis amoris, perfecti scilicet, et imperfecti, verbis ad Sancti Doctoris mentem exactis in Scholis traderent. Nam duas in hominis voluntate distinguit S. Pater aptitudines, seu facultates, alteram ad volendum commodum, et alteram ad volendam rectitudinem, alteram, cujus actio esse potest honesta, vel inhonesta, prout fuerit commodum, seu beatitudo intenta; et alteram, cujus actus non potest non esse rectus, et honestus, ut qui dirigitur in bonum honestum per se tale. Sic enim scribit in lib. de casu Diaboli cap. 4. *Nihil enim velle poterat (Diabolus) nisi ju-*

stítiam, aut commodum: ex commodis enim constat beatitudo, quam vult omnis rationalis creatura. In nobis possumus hoc cognoscere, quod nihil volumus, nisi quod justum, aut commodum putamus. Mag. Justítiam vero volendo, peccare non potuit. Disc. Verum est. Mag. Peccavit ergo volendo aliquid commodum, quod nec habebat, nec tunc velle debuit.

46. Clarius in lib. de Concord. cap. 9. Sicut visus, inquit, plures habet aptitudines, scilicet ad videndum lucem, et per lucem figuras, et per figuras, ad videndum colorem; ita instrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco affectiones. Quarum una est ad volendum commoditatem; altera ad volendum rectitudinem. Quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult, et ad has, si fallitur, putat se referre, quod vult. Per affectionem, quæ ad volendum commoditatem pertinet, semper vult homo beatitudinem, et beatus esse. Per illam vero, quæ nunc est ad volendum rectitudinem, rectitudinem vult, et rectus, id est, justus esse. . . . Nunc considerandum est, quomodo ex his duabus voluntatibus, quas voco aptitudines, seu affectiones, procedant, sicut dixi, merita hominum, sive ad salutem, sive ad damnationem. Rectitudo quidem, quantum in ipsa est, nullius mali causa est, et omnis meriti boni mater est. . . . Illa vero voluntas, quæ est ad volendum commodum, non semper mala, sed quando consentit carni concupiscenti adversus Spiritum. Hæc S. Doctor, ex quo habemus, aptitudinem ad volendum commodum, seu beatitudinem parere posse actum bonum, seu malum, prout fuerit intentæ beatitudo; alteram vero aptitudinem parere semper actum rectum, bonum, et justum, quia, ut ait S. Pater, est rectitudo, et hanc pronuntiamus, cum justitia designatur rectitudo voluntatis propter se servata. Veniat nunc cl. Dissertationis Auctor, et proprijs oculis videat, an ullum in Patribus inveniri possit vestigium alterius amoris, quam concupiscentiæ, vel desiderij ad propriam amantis foelicitatem intenti.

47. Quod si adhuc reuict, quod semel in animum judicium induxit, deponere, audiat S. Doctorem in Monol. cap. 68. sic scribentem: Nihil igitur apertius, quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut Summam Essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est Summum Bonum: imo ut nihil amet nisi illam, aut propter illam; quia illa est Bona per se, et nihil aliud est bonum, nisi per illam. Clara sunt hæc, Bolgeni, nec ulla ratione sinistra interpretanda. Quin imo et tibi ostendunt clarissimam rationem intelligendi locum illum, quem pro tuo opinandi modo producis ex cap. 70. ejusdem Monolog., in quo illa habentur verba: Ipsum idem bonum, quod sic se amari exigit, non minus se ab amante desiderari cogit. Nam quis amet Justítiam, Veritatem, Beatitudinem, Incorruptibilitatem, ut his frui non appetat? Nota verba illa quis sic amet. nimirum quis sic amet Essentiam divinam propter se ipsam, quia bona est per se, et ut nihil aliud amet nisi propter ipsam, quin ea frui desideret, non propter fruitionem, sed pro-

propter ipsam *Essentiam divinam*. Quod enim amatur, et id propter quod amatur, est objectum motivum desiderii fruitionis. Nam quia amo, idcirco desiro intime uniri cum amato.

48. Anselmo consentit Agobardus sic disserens in Tract. de modo Regiminis Eccles. cap. I. *Unus est Sponsus, qui habet Sponsam, qui diligendus est propter se, non propter aliquid aliud, cum ipse sit Pax, Veritas, Justitia, Sanctificatio, et Redemptio, et omne Bonum, et sine illo nullum bonum, qui de Cœlo venit; et super omnes est, qui quos arripit de terra, levat ad Cœlum.*

49. Theophilactus Chrysostomi sectator locum illum Apostoli *Optabam ego ipse anathema esse pro Christo*, in eodem explicat sensu, in quo illum Chrysostomus commentatur. *Itaque, inquit, ipse ego, qui innunera transegi, diligens Deum supra quam natura ferat, opto, ait, pro gloria Dei excidere a gloria Christi: Hoc autem non est excidere, sed potius assequi.* Et pro hac exponendi ratione, ex qua Paulus præferebat sine hæsitatione gloriam Dei, et ejusdem nominis propagandi desiderium desiderio æternæ fœlicitatis, laudare possum Athanasium, Theodoretum, et satis communem Doctorum sententiam. Qui omnes supponant (nec in controversiam unquam venire posse judicant) aliud esse quærere, et desiderare æternam fœlicitatem, et aliud longe perfectius desiderare ex affectu intimo in Deum, nomen ejus in omnes gentes propagari.

50. Hugo Victorinus Tract. 4. Erud. Theolog. cap. 8. charitatem explicat, et amorem honestum erga alterum, quasi esset unus è Theologis recentioribus: *Charitas, inquit, est amor honestus, qui ad eum finem dirigitur, ad quem oportet. Amor est bona erga alterum propter ipsum voluntas. Unde Tullius: Amicitia est voluntas erga aliquem bonarum rerum illius causa, quem diligit.* En, mi Bolgeni, tuus ille Victorinus toties allegatus, et tantopere a te laudatus pro tuo unico amore concupiscentiæ. Profecto verba, quæ tibi ex illo repræsentato, non exhibent amorem concupiscentiæ, sed verissimæ benevolentiam ad sensum ipsum Marci Tullii, et aliorum Philosophorum; nec sane aliis utuntur Theologi ad benevolentiam exprimendam. Similia tradit Victorinus aliis in locis. Sed quoniam mens peracuti Doctoris, in qua plus æquo Bolgenius innititur, accurate nobis mox exponenda est, veniamus ad Blessensem, qui eadem ferme ætate cum Victorino floruit.

51. Porro Blessensis Tractat. de Charit. Dei cap. 45. amorem explicat per affectum puram benevolentiam dicens: *Rationalis affectus est, qui ex alienæ virtutis consideratione procedit. Hic affectus, audita quandoque triumphali Martyrum Passione, audientium corda quadam suavissima devotione perfundit. . . Hic affectus inter David, et Jonatham suavissimi amoris primitias consecravit, ac socialis vinculum gratiæ nunquam paterna commutatione solvendum, gravissimo fœdere Charitatis innexuit. Visa namque immutabilis probitatis in Adolescente constantia, qua lori-*

atum Gigantem Puer inermis prostraverat, quod aliis fuisset invidiæ seminarium, fuit in Jonathæ virtutis augmentum. Anima exgr Jonathæ testimonio Scripturæ Reg. 24. colligata est animæ David; et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. Hunc ipse Jesus misericorditer Math. 19. in se transformans affectum intuitus Adolescentem, qui ei virtutes suas annuntiaverat, ut ait Evangelista, dilexit eum. Vix est in toto hoc Blessensis discursu verbum ullum, quod amorem benevolentiæ non spiret. Audi motiva ex consideratione virtutis, passione Martyrum, constantiâ immutabilis probitatis, virtutes suas nunciaverat. Unde sibi constans Blessensis sic ait cap. 56. Rationalis affectus qui ex aliene virtutis consideratione oboritur, cæteris perfectior est, quibus ad dilectionem proximi excitamur. Nec modicum virtutis indicium est amor ipse virtutis.

52. De Bernardo dicere hic quidquam superfluum mihi videtur. Tot enim dedimus ex illo testimonia, tamque manifesta, ut vel pugnacissimum quemque frangere debeant. Et quod majus est, magisque Lector demirabitur, ex Mellifluo ipso Doctore daturi sumus deinceps multo plura, quia nimirum Adversarius antiqui immemor Proverbii *Novacula in Cotem* nos ipse ad pugnam provocabit. Interim tamen expendat ille hanc Bernardi sententiam ex Tract. de diligendo Deo: *Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu, diligendus sit.* Brevis quidem sententia est, sed minime enervanda per distinctionem præmii essentialis ab accidentali, quæ licet in re sit vera, non nisi per summam importunitatem rei præsentis accommodari potest. Nam excludit Bernardus intuitum præmii, quod maxime meretur dilectio. Præterea id scribit Bernardus, ut ostendat, charitatem non esse mercenariam. Est ne vera merces præmium essentialis, an aliquid, quod præmium non sit? Expendat et aliam, quæ habetur Serm. 13 de Dilect. proximi, et continet id ipsum, quod nos docuit Isidorus: *Illam est vera amicitia, quæ nihil ex rebus amici quarit, nisi solam benevolentiam, scilicet, ut gratis amet amantem se.*

S. V.

Quid B. Albertus M., S. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Carthusianus, Jordanus, Malleolus, Ignatius de Loyola, Xaverius, Salesius, et Sancta Theresia?

53. **B**eatus Albertus M. in Compendio Theologicæ veritatis (edito Venetiis an. 1584. opera diligentissima R. P. Seraphini Caponi Porrectani) agit de Charitate Theologica in Libro 3. cap. 23. usque ad 33. et nihil in eo legitur, quod non sit apprimè conforme placitis Theologorum de amore benevolentæ. Exponitur in cap. 24. discrimen duorum amorum amicitæ, et concupiscentiæ his verbis: *Amor gratuitus* (sic vocat amorem habitum ex gratia, et respicientem Deum ut finem

finem principalem) dividitur in amicitiam et concupiscentiam. Secundum amicitiam diligit quis Deum purissime non respiciens utilitatem propriam, sed bonitatem amati. Secundum vero concupiscentiam diligit quis Deum remunerationem expectans. Indicatur deinde differentia inter amorem Dei, et amorem proximi: Diligere Deum in hoc differt a dilectione proximi, quia diligere Deum est velle ei bonum, quod habet, scilicet quod sit Omnipotens et Summe Bonus, et hujusmodi. . . Diligere vero proximum est velle ei bonum, non per essentiam, sed per gratiam. Præterea in cap. 26. statuitur propositio illa, quæ Auctoris nostri conatus magna ex parte convellit, ut quæ distinctionem exhibet finis quæ a fine in quo, contra quam toties peccatur in Dissertatione. *Tam vita æterna finis est, inquit, quam ipse Deus est finis nostri laboris; sed vita æterna finis est, quo quiescitur, Deus vero terminus, in quo quiescitur.*

54. Tandem cap. 29. amoris gradus ita declarantur. Primus est, cum diligo me propter me: iste amor non est bonus. Secundus est, cum diligo Deum propter me: iste est mercenarius, sed tunc est bonus, si principalis finis est Deus. Tertius est, cum diligo Deum propter se, id est, quia bonus. Hic est valde bonus, quia talis amor uno tantum oculo, id est, dextro respicit Deum. Quartus est, cum diligo me propter Deum. Hic est optimus, quia in tali amore nihil quærit homo de suo, et in se ipso, sed tantum quæ Dei sunt. Qui duo postremi gradus ad charitatem spectant; primus, quia diligit Deum propter se, id est, quia bonus, non quia possidendus, ut non bene exponit Auctor noster pugnantia tentans redigere in unum; non enim Dei possessio est ejusdem Bonitas infinita: alter, quia se diligens propter Deum in eundem se formaliter refert, nec se quærit, sed Deum, et quæ Dei sunt, cujus fit ipse per amorem. Duo tamen Alberti verba negotium possunt Lectori facessere, nempe *gratuitus*, et *principaliter*, quibus significat amorem concupiscentiæ et esse *gratuitum*, et respicere Deum *principaliter*. Sed primum illud verbum unice significat ex Doctore Sapientissimo amorem Spei haberi ex gratia Dei; illud autem *principaliter* distincte explicatur a Theologis affirmantibus, Deum principem locum habere in movendo ad actum diligendi per amorem concupiscentiæ, quamvis sua quoque vis partialis movendi competat visioni, vel possessioni, ut nos ipsi notavimus.

55. Quod de Bernardo dixi paulo ante, dicere quoque possum de S. Thoma, et quidem potiori ratione, tum propter laudata testimonia clara nimis, et sic urgentia, ut exceptionem non habeant, tum propter afferenda multo plura, quia pugnam ex illo multis, mirisque modis instituit Cl. Auctor. Nunc vero id unum assero, paratum esse me ad demopstrandum apud Lectores integros, S. Thomam in Disput., in Sentent., et in Summa definivisse vices minimum sententiam Theologorum de vero amore benevolentis erga Deum. Nec aliter sentit, ubicumque datur ei occasio de Charitate tractandi.

56. Placet tamen duo tantum loca proponere, quibus discrimen essenziale duorum amorum benevolentiae, et concupiscentiae plenissime ostenditur. Primus habetur quæst. 5. de Charit. art. 11. ad 6. ubi sic scribit Doctor Angelicus. *Dicendum, quod hæc est differentia inter amicitiam honesti, et delectabilis: quia in amicitia delectabilis amicus diligitur propter delectationem; in amicitia autem honesta amicus diligitur propter se ipsum, sed delectatio provenit ex consequenti. Ad perfectionem igitur amicitiae honesti pertinet, ut aliquis propter amicum interdum absteineat etiam a delectatione, quam in ejus presentia habet, in ejus servitiis occupatus. Et secundum hanc doctrinam explicat loca illa S. Pauli, quæ antea discussimus. Quia nimirum amor perfectus ad Charitatem pertinens vult bonum amico, et non præcise amanti.*

57. In eadem est firma sententia in altero loco, qui habetur 2. 2. q. 23. art. 3. in quo nos docet, hominem ex charitate magis Deum diligere, quam se ipsum, quod fieri certe non posset, nisi amor noster ad Deum ipsum secundum se, et non præcise ut a nobis participandum tenderet. Unde, cum sibi proponat argumentum hoc: *quantum aliquis diligit Deum, tantum diligit frui eo: sed quantum aliquis diligit frui Deo, tantum diligit se ipsum, quia hoc est summum bonum, quod aliquis sibi velle potest: Ergo homo non plus debet ex charitate Deum diligere, quam se ipsum;* huic argumento, quod in Bolgeniano Systemate nullam admittit solutionem Theologicam, cum actus Religionis, ad quem confugit Auctor, dilectio non sit, ita respondet S. Thomas amoris benevolentiae defensor: *Ad tertium dicendum, quod hoc, quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiae. Magis autem amamus Deum amore amicitiae, quam amore concupiscentiae, quia majus est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus. Et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex charitate, quam se ipsum. Igitur ex S. Thoma dilectio charitatis est major in ratione amoris, quam amor concupiscentiae. Ecce autem? Quia amor Charitatis tendit in bonum divinum in se, et quia amor concupiscentiae tendit in bonum divinum ut participandum; et bonum divinum in se consideratum majus est, quam bonum quod participare possumus.*

58. Seraphicus Doctor non minus est Auctori contrarius (saltem qua parte negat hic amorem benevolentiae) quam Doctor Angelicus. En quo pacto explicet Bonaventura in 4. dist. 29. art. 1. q. 2. naturam charitatis, ejusque objectum, et actus. *Habitus charitatis est unus in specie. Unicus habitus venit ab unitate objecti, et actus principalis. Et hoc quidem est reperire in Charitate, si quis diligenter velit attendere. Actus enim charitatis est diligere. Diligere autem idem est, quod velle bonum. Cum ergo charitas diligit aliquem, bonum optat ei, quem diligit: istud autem bonum, quod charitas optat, unum solum est, videlicet Bonum æternum, et Bonum summum. Istud autem summum Bonum*

num aliquando homo per Charitatem optat Deo, aliquando sibi, aliquando proximo. Secundum quod optat ipsum ipsi Deo, dicitur diligere Deum, quia vult, quod ipse Deus sit summum Bonum, et quod habeat omne Bonum per essentiam. Secundum quod optat illud proximo, sic dicitur diligere proximum, quia vult, quod habeat illud bonum per gratiam, et gloriam. Secundum quod optat sibi, sic diligit se ipsum. Generaliter ergo in actu dilectionis ipsius charitatis unum est bonum optatum, licet multa sint, quibus bonum illud optatur: et illud est objectum principale ipsius habitus diligendi, quoniam ipsum propter se optatur a charitate, ita quod habeat rationem objecti principaliter moventis, et finis quietantis, et quia illud est unum solum, sive comparatur ad se, sive comparatur ad eum, qui habet Charitatem, sive comparatur ad proximum, hinc est, quod habitus charitatis habet esse unus. Planius nihil afferri potest pro amore benevolentiae in sensu Theologorum: Diligere est vel le bonum. Diligere Deum est optare, quod Deus sit ipse Deus, quod sit summum Bonum, quod habeat omne bonum per essentiam. Et art. 2. q. 3. ad 3. inquit item ut S. Thomas, quod Charitas Deo bonum optat, plusquam habens charitatem optet sibi.

59. Eodem prorsus modo loquitur S. Doctor in Opusculis Spiritualibus, atque in Tractatu Theologico, ut facillimum esset a plurimis locis demonstrare. Satis sit hic transcribere, quod lib. 2. de Prof. cap. 23. nobis commendat his verbis: Deum diligere debemus super omnia, maxime propter semetipsum, quia bonus in se (audi Bolgeni voculas in se) imo ipsa bonitas est, et bonum infinitum, quo nihil melius vel cogitari, vel esse potest, et quo omne, quod est aliquomodo bonum, bonum est: si ergo omne, quod bonum est, diligendum est, ille, qui summe bonus, summe, si possibile esset, et infinite diligi deberet: justum esset, ut saltem eum exigua mensura nostrae possibilitatis, ex omni, quod sumus, scimus, et possumus, diligamus. Placuit esse longiusculum in Bonaventurae verbis exarandis, quia operæ pretium futurum esse judicavi, jam nunc in medio ponere mentem S. Doctoris, quem suum esse credidit Auctor, nobisque objecit tanquam omnino contrarium.

60. Idem ipsum contigisse Bolgenio cum S. Antonino, nemo non videat, cum sit ejus mens ita clara, perspicuaque legenti, ut quantum arbitror, nisi de industria comprimantur oculi, amor benevolentiae Theologorum luce clarior meridiana cuique videndus sit. Nam part. 4. Sum. titul. 6. cap. 3. sic disserit. Cum aliquid amamus, ut ei bonum velimus, dicitur amor benevolentiae secundum Philosophum 8. Ethic. Unde benevolentia importat amorem procedentem a voluntate rationali. Non sufficit autem benevolentia ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Benevolentia autem importat solam amationem unius ad alterum, etiamsi ille non redamet, qui amatur. En tibi ex Antonino enuntiata tria tres Auctoris praec-

cupationes dissipantia, et ex quibus debuisset ille recte interpretari, quæ in Angelico Doctore in alienum omnino sensum detorquet. Primum est: *Velle bonum alicui, est amor benevolentiae*. Alterum est: *Benevolentia non sufficit ad amicitiam, quia requiritur mutua amatio*. Tertium tandem: *Benevolentia importat solam amationem unius ad alterum*. Quibus addi potest quartum, quod prius expresserat idem Antoninus illis verbis: *Quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiae*. Ecce tandem? Quia nimirum id non est velle Deo bonum, sed sibi. Obvia sunt ista, mi Bolgeni, clara nimis, atque perspicua, quæque Antonini nomen in tuto collocant, ejusque mentem omnino liberant a peregrina tua expositione, de qua postea.

61. Dionysius Carthusianus in alterum Dionys. de divin. Nomin. art. 26. nobis proponit Charitatem iisdem omnino verbis, quibus ab Scholasticis declaratur: *Theologi, scribit, in Scripturis Deum appellant dilectum, et amatum, in quantum est substantialiter Bonus, et Optimus. Bonum quippe est ipsius appetitus objectum: bonum vero intellectum, id est, intellectualiter cognitum, est amoris, quæ charitas dicitur, objectum. Hinc supergloriosissimus Deus summe, pure, et incomparabiliter est amandus propter se ipsum*. Et si amoris definitionem vult a tanto Viro Bolgenius audire, legat eundem ibidem ita dicentem: *Amans vocatur, qui vult alteri bonum*.

62. Raimundus Jordanus, qui vulgo dicitur *Idiota* lib. 1. Contemp. de amor. divin. cap. 22. docet, in Christo esse omnia motiva, quæ possunt accendere amorem nostrum, et præ omnibus celebrat, quod sit supernaturalis, et superbonus. *Dilectio, ait, est juxta hominem in ore ejus, et in corde, ut adimpleat eam, et diligat te Domine, qui es summe Gloriosus, summe Delectabilis, et summe Pretiosus. Amicitia namque est respectu honesti delectabilis, et utilis: quæ omnia sunt in te, Domine Jesu Christe superamabilis, et superbone*. Quibus in verbis significare videtur, quod scribit Suarez, Deum non modo amandum esse nobis, ut *Bonum nostrum est*, qui amor pertinet ad Spem, quæ fertur in Bonum nobis delectabile, sed multo magis amandum esse ut *Bonum summum in se*, qui amor pertinet ad Charitatem.

63. Thomas Mallecolus vulgari nomine *Kempis* appellatus adeo est intentus in amorem benevolentiae suis in libris de Imitatione Christi virorum omnium ad perfectionem tendentium usu, et exercitatione celebratissimis, ut vix quidquam inveniri possit apud Scriptorem ullum, quod affectum erga Deum benevolum magis commendet. *Qui veram, inquit lib. 1. cap. 15. et perfectam Charitatem habet, in nulla re seipsum quærit, sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. . . . Nec in se ipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona optat beatificari*. Lib. 3. cap. 5. *Est amor . . . se ipsum nunquam quærens. Ubi enim seipsum quærit, ibi ab amore deficit*. Juxtaquæ scripserat lib. 2. cap.

cap. 11. *Qui autem Jesum propter Jesum, et non propter suam propriam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione, et angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt . . . o quantum potest amor Jesu purus nullo proprio commodo, et amore permixtus! Nonne omnes mercenarij sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt? Nonne amatores sui magis, quam Christi probantur, qui in sua commoda, et lucra meditantur? Ubi invenitur talis, qui velit Deo servire gratis? Hinc lib. 3. cap. 25. verum in via spirituali profectum collocat in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate. Qui sane amor obediens, et super omnia ad benevolentiam spectat, ut ostendimus. Innumera leguntur in eundem sensum in hoc aureo libello, quæ tamen non sic accipi velim, ut credat aliquis, Auctorem excludere actus aliarum virtutum. Qui enim ad omnes fere hortatur in singulis capitibus, omnes Reginæ virtutum debere inservire contendit, et, quoad fieri possit in hoc fragili statu, a Charitate dirigi, et imperari.*

64. Quod si Viri hujus ad miraculum illuminati non flectaris auctoritate, en tibi, Bolgeni, occurrit alter non minus Sanctorum scientia conspicuus, quique ab ijs, quibuscum vixit, *Kempis animatus*, appellabatur. Huic sine dubio multum deferes, et hujus forsitan exemplo, monitis, et exhortatione commoveberis. Hic est S. Ignatius de Loiola, qui cum ad majorem Dei gloriam agere omnia tota animi contentione consueverit, vel ex hac ipsa operandi ratione condemnare satis videtur Systema novissimum. Erat ei Viro Sanctissimo Divini amoris igne succenso antiquius nihil, quam amici sui Jesu Christi bona procurare, Dei Gloriam quærere, ejusque honorem ab ortu solis ad occasum usque propagare. Unde et in Officio illud ab omnibus cum admiratione legitur: *Auditus aliquando dicere, si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo servire, et proximorum saluti, quam certum ejusdem Gloriæ statim mori.* Qui sic sentit, sic loquitur, sic operatur, præfert ne desiderium æternæ beatitudinis studio procurandi bona Dei, an contra et Deo placere, et bona ejus curare præponit longe æternæ gloriæ desiderio? Numne existimat ille summum Charitatis actum esse desiderium æternæ felicitatis, an contra placere, et servire Deo propter se etiam cum incertitudine beatitudinis æternæ? Clara res est, nec commentario indiget. Veniamus nunc ad ipsius monita, quibus æque fere ad amorem instruimur benevolentia, atque suo nos prius instituerat exemplo. Inter Constitutiones, quas divino edoctus Spiritu Societati reliquit, eminet illa, quæ legitur part. 3. cap. 10. *Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant, et placeant Divinæ Bonitati propter se ipsam, et propter Charitatem, et eximia beneficia, quibus prævenit nos, potius quam ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum*

rum (quamvis hinc etiam juvari debeant), et crebro admoneantur, ut in omnibus querant Deum. Quæ Constitutio adeo est visa momenti maximi, ut in Summarium transierit Constitutionum, quod tenendum memoriter omnibus Filijs Societatis proponebatur, eratque Regula Summarij decima septima. Eam tu, Bolgeni, ab ephebia didicisti, et assecutus mente ad praxim deduxisti. Nec quæ tua est memoriæ tenacitas, et in Deum pietas, excidisse crediderim vel a mente, vel ab intentione operandi. Quid igitur quæris clarius quidquam pro amore benevolentiae eo tendentis, Deo ut placeat propter se ipsum? Quid est, quod disputes de hoc amore, an scilicet sit perfectior, quam desiderium præmiorum æternorum, seu æternæ, et essentialis beatitudinis? De hac enim Ignatius sermonem habet, nec ullus unquam de re adeo perspicua dubitavit. Ex illa itidem constat, velle Deo placere propter Charitatem suam, et beneficia, quibus nos prævenit, ad Charitatem Theologicam pertinere, et esse actum longe perfectiorem, quam desiderium æternæ beatitudinis. Nam objectum immediate motivum amoris est Deus ipse. Qua de causa ad excitandum amorem, tria illa, quæ in Summario insinuantur, proponit S. Bonaventura in loco proxime citato de Profes.

65. Jam vero quod amor ex beneficijs in nos a Deo derivatis in Deum tendat, aut tendere debeat, vidimus ex S. Bernardo, et ex natura virtutis gratitudinis ad perfectam recompensationem moventis. Id ipsum clarissime tradit S. Ignatius in Libro aureo Exercitiorum hebdomada 4. in contemplatione ad amorem spirituales in nobis excitandum. Namque in puncto 1. post perpensa cum intimo animi affectu beneficia tum generalia, tum particularia, quæ Deus abundantissime nobis contulit, et quantum nostra causa egerit, atque pertulerit, se ipsum, quantum potest, donare volendo, docet nos Magister Sapientissimus, quo pacto in compensationem illam perfectam prorumpere debeamus verbis illis perfectum Dei amorem propter se continentibus. *Quibus optime perspectis, vertar ad me ipsum, et disquiram mecum, quæ meæ sint partes, et quid æquum, justumque sit, ut divinæ offeram, exhibeamque Majestati: haud sane dubium, quin mea omnia offerre debeam, ac me ipsum cum summo affectu, et verbis hujusmodi, vel similibus: Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem. Quidquid habeo, vel possideo, tibi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum tua gratia tibi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

66. Superfluum mihi videtur inquirere, an hic amor spiritualis, de quo Ignatius, situs sit in desiderio æternæ beatitudinis, an potius in intimo affectu, per quem creatura se totam tradit Deo, ejusque voluntati, ut possit quodammodo implere partes suas, aliquam Deo recompensationem pro tantis muneribus exhibendo. Unde creatura 2-

amore Dei contenta nihil aliud ex vi hujus quærit amoris quam Deo placere, qui eam gratis, et quia voluit, prior dilexit. Porro quotquot S. Ignatij exercitationes spirituales vel frequentant, vel alijs tradunt frequentandas, hoc in sensu clarissimo doctrinam intelligunt Sanctissimi Patris, nec nisi per abusum, ut credo, enormem, et contra commune judicium intelligi aliter, aut explicari potest. In eundem perfectæ compensationis affectum desinunt illa, quæ proponuntur in secundo, et tertio puncto ejusdem contemplationis, ut legenti facile constabit. Quot hic ego proferre possem Filios Ignatij, qui hac ejus instructi doctrina amorem benevolentia Dei aut scriptis tradiderunt, aut, quod majus est, exemplo suo comprobarunt? Nam certe domesticis exemplis abundamus.

67. Sit unus inter omnes Xaverius, Xaverius, inquam, ille sic immenso æstuans Charitatis incendio, et sic ardenti Christi causam agendi abreptus desiderio, ut incendere universum Orbem, nullo sui quæsito commodo, imo nec ulla ex vi amoris gratuiti quæsita remuneratione, quanta potuit animi, et corporis contentione exoptaverit. Profecto amoris gratuiti, et generosi, quo urebatur, notas, et proprietates exprimit apprime pervulgata etiam apud pusiones, et virgunculas devota Cantio rythmo Lusitanico a Xaverio composita.

*Si cesset Inferni pœna;
Tollatur et Spes gloriæ;
Ego gratis te merentem
Diligam.*

Te, inquam, merentem, id est, dignum amore meo gratuito, quia Summum Bonum, quia infinite amabile propter te ipsum, etiam præcisa omni Spe beatitudinis æternæ.

68. S. Franciscus Salesius, bonus certe in argumento, quod verſamus, Judex, et Arbiter, ut qui doctrina Sacri amoris mirifice excultus, et multo magis edoctus experientia libros scripsit 12. de origine, progressu, et unione divini amoris, sic explicat divisionem communem amoris, de qua Theologi, ut nihil sit, quod desideres aut clarius pro amore benevolentia, aut solidius pro ejus discrimine ab amore concupiscentia. Bolgenium, credo, non recusaturum Patrem, quem pro se, ut jam viæbimus, vix non triumphans allegat. Igitur S. Franciscus de Sales tract. de amore Dei 1. part. lib. 1. cap. 12. sic scribit. *Dividitur amor in duas species. Alter dicitur amor benevolentia, alter autem amor concupiscentia. Hoc amore amatur res aliqua ob commodum, quod curamus; illo vero rem amamus propter bonum ejusdem; non est aliud amare amore benevolentia personam aliquam, quam ei ipsi velle bonum. Addit deinde: cum amor benevolentia non habet ex parte rei amata amorem, qui respondeat, vocatur amor simplicis benevolentia; sed cum habet amorem, qui ex parte rei amata respondeat, appellatur amor amicitia. Hinc lib. 5. ejusdem primæ partis per duo-*
de

decim ipsa capita docet nos duas exercitationes amoris sacri, quæ fieri debent erga Deum, Jesum Christum, et Beatissimam Virginem medijs actibus benevolentiae, et complacentiae, quos ad Charitatem revocat. Contra vero ad Spem docet pertinere amorem concupiscentiae, qui licet sit, ut ait, multum fortis, est tamen imperfectus, si cum amore Charitatis comparatur. Legesis integrum lib. 2. part. 1. cap. 17. ex quo placet transcribere verba hæc a Bolgenio notanda. *Amor, quem in Spe exercemus, o Theotime, tendit quidem in Deum, sed ad nos revertit; spectat divinam bonitatem, sed cum respectu ad nostram utilitatem; tendit ad supremam perfectionem, sed respicit nostram satisfactionem, non transfert nos in Deum, quia est in se bonus, sed quia bonus est adversus nos: ac ideo amor iste amor quidem verus est, sed concupiscentiae, et propriorum commodorum. . . . Quare amamus Deum hoc amore, concupiscentiae? Quia est bonum nostrum. Sed cur amamus summe? Quia ille est summum Bonum nostrum. Porro quando dico summe, non dico, eum amari a nobis respectu summi amoris, nam summus amor non est nisi in Charitate. Hic autem amor est imperfectus, eoquod non tendat in infinitam Bonitatem, quia talis est in se ipsa, et nemo per solum illum amorem (audi Bolgeni) possit observare Dei mandata, neque obtinere vitam æternam, eoquod amor iste plus habeat affectionis, quam effectus. Si transcribere vellem, quæ in hanc rem legi in hoc S. Salesij tractatu de amore benevolentiae Theologorum, codicem effingerem satis longum pro re supra modum clara non necessarium.*

69. Denique producere possem Sanctos alios recentes, qui de amore benevolentiae scripsere eum in sensum, in quo scribunt Theologi; juvat tamen illis ommissis catalogo finem imponere doctrina cœlesti Seraphicæ Matris Theresiæ, quæ jure merito Ecclesiæ Patribus, et Doctoribus annumeranda est, sive doctrinæ consideres soliditatem, sive in rebus altissimis, et a sensu remotis ordinem, et perspicuitatem. Nec id mirum cuiquam videri debet, qui Theresiæ vitam ab eadem conscriptam perlegerit. Ipsa quippe cap. 23, quo solet animi candore, humilitate mentis, et spiritus libertate fatetur, Deum sibi concessisse donum Sapientiæ, non solum illud, quod ad dona refertur Spiritus Sancti, daturque ad sanctificationem propriam (hoc enim penes habitum omnibus inest justis cum gratia sanctificante, et penes actum Sanctæ concedebatur frequenter ad altissimas contemplationes) sed sapientiam, quatenus gratia est gratis data, de qua Apostolus: *alij per Spiritum datur sermo Sapientiæ*. Cum igitur hæc gratia gratis data dirigatur præcipue ad utilitatem aliorum, qui ab habentibus Sapientiam ad dicendum modo apto, congruo, et communicabili de rebus etiam altissimis instrui debent, audiamus nos eximiam in re Ascetica, simul et Mystica Magistram. Loquens Sanctissima Virgo in Cast. Mans. 6. cap. 9. de desiderijs, quæ Deus infundit dilectissimis animabus serviendi Sponso suo sine ullis delectationibus, et adversa quæ
que

que pro eo patiendi, sic inquit: *Hæc desideria, ut arbitror, supernaturalia sunt, et earum, quæ magno Dei amore succensæ sunt, animarum propria; quæ quidem vellent Sponso suo demonstrare, se non ei ullo modo servire propter retributionem, unde non habent præ oculis gloriam, ex qua vires accipiant ad ei serviendum, sed ipsum placere amori, cujus naturæ est agere, et operari mille modis. Vellent tunc anima, si posset, rationes invenire ad se perdendam, et transformandam in Deum; et, si esset opus, esse semper in nihilum redactam ad Dei majorem gloriam, et honorem, id ipsa voluntarie acceptaret. Sit ille in æternum laudatus Amen, qui sic se inclinans ad se communicandum miserimæ creaturæ, ostendere vult magnitudinem suam. Agitur hic causa creaturæ ex desiderio æternæ felicitatis, an causa Dei, cujus honor, gloria, et beneplacitum, etiam cum majori creaturæ sacrificio, ex amore verissimo benevolentiaë procuratur?*

70. Qui legere velit cap. 3. Mans. 7., non tam sibi legere videbitur Theresiaë Mansionem, quam Bernardi Sermonem 83. in Cant. Namque infusa est duobus doctrina omnino eadem, et quas ex Bernardo collegimus sententias de amore castissimo Sponsæ, eadem leguntur hoc in capite. Atque ut omnino ostendatur soliditas doctrinaë Seraphicæ Matris, advertit capite sequenti, animas ita singulariter a Deo præventas cadere in aliquas imperfectiones, et peccata venialia, non tamen advertenter, et quod majus est, quamvis in se mortalia non cognoscant, non tamen habere securitatem, Unde locum dant timori, Spei, aliisque virtutibus.

71. Hæc autem, multaque alia, quæ sunt in promptu ex omnibus Operibus, quæ Sancta conscripsit, directe demonstrent amorem benevolentiaë, sed facere non possum, quin locum afferam, ex quo omnium oculis subjiciatur, quænam sit vera peccatorum contritio? Namque spero, fore, ut cl. Auctor illum considerans corrigat parum sane prudentem resolutionem, quam pag. 121. Declar. scripsit super casu Conscientiaë Theologi Mediolanensis exquirentis, utrum qui detestatur efficaciter peccatum, quia Dei est offensa infinite boni, et infinite perfecti, sit sufficienter dispositus ad justificationem? Respondet Bolgenius intrepide negans ob leves rationes, quas videbimus. At respondet affirmans Sancta Theresia, apud quam dolor expressus non potest non esse vera contritio. Si dubitas, audi, quomodo describit per varias clausulas verissimam contritionem fundatam in amore benevolentiaë, et non in desiderio æternæ beatitudinis.

72. Sic enim scribit Mans. 6. cap, 7. *Anima (cui Deus se communicat particulari modo) non recordatur poenæ, quam propter peccata meretur, sed quod fuerit ei tam ingrata, cui tantum debet, et ei, qui infinite dignus est, ut ametur, et ut illi serviat; quia et ex gratiis ipsis sibi a Deo communicatis maxime cognoscit magnitudinem Dei. Poenas Inferni vix timent (ejusmodi animæ) et timor amittendi Deum in-*

terdum eas affligit satis, sed non ita frequenter. Omnis earum timor eo vertitur, ne Deus permittat unquam, ut illum offendant. . . Pœnam autem, et gloriam propriam parum curant, et, si desiderant in Purgatorio per multum temporis non detineri, id potius exoptant, ne a Deo sint absentes, quam propter pœnas illius loci. . . . Nec pœnam (doloris peccatorum) minuit et judicare, et credere, quod jam Deus peccata dimiserit, et oblivioni dederit, quin et hoc ipsum pœnam, et dolorem magis augeat, quia vident tantam bonitatem, ex qua fit ei gratia, qui merebatur Infernum. Ego judico, hoc fuisse martyrium magnum in S. Petro, et in Sancta Magdalena, ut enim in illis amor erat magnus, tot acceperant gratias, et cognoscebant Magnitudinem, et Majestatem Dei, ita dolor de peccatis erat in illis et durissimus, et tenerrimus. En quomodo Sancta Theresia dolorem perfectum peccatorum in eo collocat, quod odio habeatur peccatum, quia oppositum tantæ Bonitati, tantæ Majestati, tantæ Magnitudini, et quomodo ex gratijs receptis magis cogoscatur Bonitas illa infinita, cui malum opponitur peccati.

73. At inquit Bolgenius, odium peccati non est amor Dei, ut patet in detestatione Judæ. Hoc est fundamentum (quis crederet!) decisionis Bolgenianæ. Charissime mi, nulla est in primis difficultas, quod odium peccati sit amor Dei, sic ut unus actus duplicem habeat tendentiam aversionis, et conversionis respectu diversorum, præsertim cum objecta sint inter se subordinata, et recessus ab uno extremo possit esse accessus ad aliud. Quæ vero opponi solent contra identitatem amoris, et odii respectu diversorum, tricæ sunt, quas juvenes imberbes, dum Logicæ penetrant terminos, expeditissime solvunt. Deinde sint illi actus duo; refert omnino nihil; namque odium a nobis descriptum esse non potest sine amore infinitæ Bonitatis. Ideo enim odio habemus peccatum, ut offensam Divinæ Bonitatis, quia eam amamus super omnia. Unde in casu Theologi Mediolanensis hic amor supponendus est vel indistinctus ab odio peccati, vel ut causa, ex qua illud oriatur. Neque enim sine Dei amore simile odium concipi a creatura potest. Quis enim non videat, ideo contritum efficaciter detestari peccatum ut offensam Dei, vel ut malum super omnia malum oppositum Bonitati Divinæ, quia efficaciter amat Divinam Bonitatem? Nulli dubium est, inquit Augustinus lib. 83. qq. q. 33. nullam aliam esse metuendi causam, nisi id, quod amamus. Ex quo S. Thomas, et Theologi statuunt ut certum in argumento principium, esse non posse odium mali sine amore oppositi boni. Hoc tu Cl. Domine, principium assumis in secunda, et tertia parte Dissertationis, et verissimum esse supponis. Perridiculum certe illud est, quod de Judæ detestatione proponis. Habuit ne Judas odium peccati, ut Dei infinite Boni erat offensa? An ei potius peccatum displicuit ex amore sui proprio, et quidem cum horrenda desperatione salutis?

74. Mysticos omitto, qui te in sensu tuo nimis abundantem, ne

tantillum quidem movere videntur, Taulerum, Blossium, Godinum, Scaramellium, aliosque innumeros. Omitto item eadem de causa Ascetas Granatam, Alfonso Rodriguez, Segneri, Pinamontium, Alvarez de Paz, aliosque infinitos. Quem enim ex hoc duplici Sacrorum Virorum agmine laudare non possem pro amore benevolentiae mira concordia ab omnibus tradito? Et vero hi maximam habent auctoritatem apud omnes, tum ob eorum pietatem insignem, et experientiam singularem, tum ob excellentem doctrinam hominibus ad omnem pietatem informandis accomodatam. Hos tu, Bolgeni, Viros suspicere debuisses, nec ita facile contra tantam Sapientium consensionem calamm stringere. Principium illud tuum *jure constringor veritatis, ut mea dicam, eaque caeteris praferam*, locum certe non habet in eo, quod tractamus; argumento, ut ex unanimi Scripturae, Patrum, et Theologorum consensione demonstratum est, et ex liquida expositione sententiarum, quas producis ex Patribus magis, et magis demonstrabitur. Prius tamen de Actis SS. Martyrum, quoniam ad ea se extendit probatio tua ex Patribus, aliquid vel brevi dicamus.

§. V I.

Demonstratur ex Actis Martyrum, et ex praxi Sanctorum amor benevolentiae Theologorum.

75. Quoniam ad Acta Sanctorum Martyrum Bolgenius nos provocat, ex hoc etiam capite firmanda est sententia nostra. Et quidem eo libentius ad eum locum accedimus, quo magis in eo demonstrat Auctor rationum inopiam, imbecillitatem ratiotinii, et vacuitatem, ad rem quae attinet, opportunae doctrinae. Quid enim? Sancti Martyres in tormentorum perpeffione spe futurorum reficiebantur, et ex resultante ex illa gaudio inenarrabili roborabantur: hoc enim, et nihil aliud exprimi potest è laudatis testimoniis: ergo ne chimericus est amor benevolentiae, fictitius, et ignotus antiquitati? Prudentis hominis Logicam desiderabit Lector. Ego sane non modo eam desidero, sed plane probandam nemini affirmare non dubito. Multa sunt profecto in Actis Sanctorum Martyrum, in quibus emicat amor verissimus benevolentiae vel certe inspiciuntur affectiones illae, quae sine amore benevolentiae consistere non possunt. Aliqua colligam ex Actis sinceris apud Ruinart.

76. Sanctus Ignatius Martyr in celebratissima ad Romanos Epistola affectum imitandi Christum in Passione, probandi se apud Christum fidelissimum Discipulum, et placendi ei, vitamque pro eo tradendi multis modis exprimit. Nunc incipio discipulus esse... Sed enim velim, non ut solum dicar Christianus, sed et inveniar. Si enim inveniar, et dici possum, et tunc fidelis esse, quando utique

que mundo non appareo . . . frumentum sum Dei , et per dentes bestiarum molar , ut mundus panis inveniar Christi . Et ut ab hoc placendi Christi desiderio non impediretur a Fidelibus , hæc ait : Si enim saceatis a me , ego ero Dei . . . Mibi autem difficile est Deo potiri , siquidem vos non parcitis mihi . Non enim volo vos hominibus placere , sed Deo placere , quemadmodum et placetis . Et audita a Trojano sententia , ex qua vinctus deducendus esset Romam , cum gaudio exclamavit : Gratias tibi ago Domine , quia me perfecta ad te charitate honorare dignatus es , cum Apostolo tuo Paulo vinculis collocari ferreis .

77. In Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio Sancti Polycarpi hæc habentur . *Æmulos nos ergo sibi esse voluit (Jesus Christus) ac primus virtute cœlesti injustorum justus obtemperavit arbitrio , dans secuturis viam . Pertulit ante illa , quæ aliis perferenda mandavit , qui omnes ita formavit , et docuit , ut non solum nos ipsos , sed etiam per nos fratres singulos salvaremus . . . Quid enim dignum tam pio Domino famulorum reddi obsequium , si majora constat pro servis Dominum , quam servos pertulisse pro Domino ? Unde oportet doctiores nos redditos omnia cum timore narrare , et singulorum militum Christi fidelia devotionum trophea , ut gesta constat , exponere : quo amore circa Deum fuerint , qua patientia cuncta pertulerint . Quis hic non videat , sermonem hic esse de amore , ex quo Sancti Martyres fidelitatem ostendebant in redamando Christum , et in exhibendo ei obsequium , cujus erat omniratione dignus , qui majora pro Martyribus passus erat ? Unde Lactantius lib. 3. Divin. Inst. Martyres laudat , quod se sinerent cremari non ex necessitate , sed ex electione , ut suam fidelitatem Deo probarent .*

78. Porro hanc erga Deum fidelitatem , et amorem liberum , atque gratum exprimunt verba illa Polycarpi , quæ supra dedimus ex Bolgenio ipso . *Quomodo possum convitia dicere adversus Regem meum , qui salvum me fecit ? Et multo magis illa alia , quæ jam jam in ignem mittendus intimo animi sensu profudit Sydera , Cœlum que respiciens : Deus Angelorum , Deus Archangelorum Te benedico , tibi serviens , qui me dignum hac passione duxisti , ut percipiam partem , coronamque Martyrii , initium calicis per Jesus Christum in unitate Spiritus ; ut completo sacrificio istius diei , promissa tuæ veritatis accipiam . Ob hanc rem te benedico in omnibus , et glorior per æternum Pontificem Omnipotentem Jesus Christum , per quem tibi et cum ipso , et cum Spiritu Sancto gloria nunc , et in futurum in sæcula sæculorum . Amen .* Hæc fuit ultima S. Martyris Oratio , in qua ut nobis reliquit affectus ardentissimos Fidei , et Spei Christianæ , sic etiam deprompsit actus excellentissimos Religionis , et reverentiæ , et potissimum amoris , et gaudii benevolentis , quibus gloriabatur de Jesu Christo , et Trinitate , laudans , benedicens , et glorificans sanctissimum ejus Nomen .

79. Ex Actis Sanctarum Perpetuæ , et Fœlicitatis ad annum 202. constat mirabile illud responsum , quod dedit S. Fœlicitas uni ex Mi-

nistris, qui videns eam in partu laborantem, et dolentem dicebat: *quæ modo sic doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti? Modo,* inquit illa, *ego patior, quod patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.* Quasi diceret: cum Christi causam actura sim, et ei ut placeam sacrificanda, ejus auxilium præsentissimum erit.

80. In Epist. Eccles. Vienens. et Lugdunens. ad an. 177. dicitur de Vettio Epagato uno ex fratribus immensa quadam charitatis copia erga Deum, et proximum exuberante, quod in eo *Christus ipse perpetuens magna miracula patrabat, adversarium funditus delens, et illi stri exemplo ceteris ostendens, nihil esse metuendum, ubi Charitas Patris adsit, nullum dolorem, ubi gloria vertitur Christi.* Et de sociis ejusdem Sancti comparatis cum iis, qui in Confessione defecerant, scribitur: *illor enim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, et Charitas erga Christum, et Dei Patris Spiritus recreabat.* Qua in narratione expendenda sunt verba, *ubi gloria vertitur Christi,* et illa alia: *Charitas erga Christum;* quæ proponuntur post Spem promissæ beatitudinis.

81. Quid dicam de Inclito Christi Martyre Arcadio, qui (ex Ruinart. pag. 467. ad an. incert.) *Summa jam parte (manibus articulatim sectis) truncatus in dorsum supinari jubetur. Resupinus in terga Deum magis glorificans, quod in Martyrio Deum suspiceret, unde peteret auxilium, pedes alacris porrigit, et crura simili crudelitate secanda: et protinus pedes articulis, crura pedibus, fæmora coxendisibus, venter quoque coxis sæva Carnificum arte viduantur. Et tanta fuit Martyri constantia, tanta patientia, tanta denique gratiarum actio, ut crudeles adstantium oculi lacrymas continere non possent, et cœlestem plane agnoscerent virtutem.* Videns S. Martyr laceras corporis sui partes jacere in terra dicebat: *O vos felicia membra, quæ meruistis Deo vestro famulari! Nunquam vos sic amavi in corpore sita, ut nunc exulto vos intuens separata. . . Vos estis nunc membra Christi, et me nunc esse Christi sentio, quod semper super omnia optavi. . . Deum meum, qui confortat (dicebat adstantibus) agnoscite; pro quo mori, vita est, pro quo pati delicia, cujus amor non tepescet, cujus honor semper crescet, ad quem pro tam parvo supplicio accedo semper victurus, nunquam amplius ab eo recessurus.* Non dubito, quin ea legens, quicumque sit, observet in Actis Martyris prævalentem amorem gloriæ Christi, eique in sectione membrorum terribilissima affectum placendi, quamquam et spes etiam cernitur, ut par est, futuræ beatitudinis.

82. In Actis Sanctorum Martyrum Montani, Lucii, et aliorum refertur apud eundem Ruinart pag. 205. insatiabile Flaviani desiderium patiendi pro Christo, et votum heroicum, ut martyrium prolongaretur, magis ut Christo placeret, quasi immemor præmiorum æternorum. Cum enim Flaviani Martyrium differretur, et ejus Mater de dilatione condoleret, hoc de ore filii audivit responsum: *Seis, Mater*

merito charissima, ut semper tentaverim, si confiteri contigisset, martyrio meo perfrui, et frequenter concatenatus videri. Si ergo contigit, quod optavi, gloriandum est potius, quam dolendum.

83. In Actis SS. Victoris, Alexandri, Feliciani, atque Longini ad an. 290. extat luculentissima responsio Victoris ad Præfectos, in qua suam in Deum depromit ardentissimam charitatem ob ejus Omnipotentiam, Sanctitatem, gloriam, amicitiam, et magnitudinem ec. Sic enim inter alia legimus. *O si intente videretis, qualis iste sit, cui totus est obediens mundus! Qualis sit, qui est desiderabilis totus! In quo nihil vituperabile, in quo totum laudabile, cujus charitas omnes recipit, cujus judicium nullus evadit. Quid ejus vita sanctius? Quid doctrina rectius? Quid promissis utilius? Quid minis terribilius? Quid ejus tutius Patronatu? Quid laudabilius amicitia? Quid jucundius gloria? Quis Deorum huic similis, quis huic comparabilis? .. Quocirca Viri Illustrissimi... obedite Sanctissimo, Pulcherrimo, Justissimo, Clementissimo, Omnipotenti, Creatori et amico vestro, cujus vos humilitas, si ei acquiescitis, sublimabit, paupertas ditabit, mors vivificabit: cujus vos nunc advocant saluberrima monita, invitant præmia, ut in æterna ipsius gloria paulo post suscipi, et ejus semper valeatis amicitia gratulari.*

84. Ex cognitione beneficiorum Dei ad ejus Bonitatem cognoscendam ducebantur Martyres, eamque considerantes omni obsequio, amore, et sacrificio dignissimam, libenter in tormentis animam in Deum refundebant, ut ex Actis Martyrum Epipodii, et Alexandri constat ad an. 138. Cum enim Epipodius illato dolore ex pugnorum ictibus constantiam demonstraret, mixtis cruore dentibus hæc verba profudit: *Christum cum Patre, ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor, dignumque est, ut illi animam refundam, qui mihi Creator est, et Redemptor.* Mitto alia multa, quæ legi facile possunt in Actis Martyrum sinceris Cl. Ruinart. Nam tum in Actis iisdem, tum in Martyrum responsionibus frequenter occurrunt verba illa, passos fuisse Martyres pro Christo, causa Christi, pro gloria Christi, ut Christo placerent, propter Christum, ut patet ex generica illa responsione S. Justini ad Præfectum ad an. 167. *Maxime nos in votis habemus propter Dominum nostrum Jesum Christum cruciatus perpeti, ac salvari:* ubi duo illa attinguntur motiva, de quibus Tertullianus. Primum, ac principale gloria placendi Christo; alterum gloria capiendi prædam, vel assequendi salutem æternam. Spes igitur, et Charitas fovebant se mutuo, et ex Charitate Martyres certius sperabant.

85. Interdum etiam primatum Charitatis supra Spem Martyres ipsi verbis exprimebant, ut refert Berault lib. 17. Hist. Eccles. sub finem de Victoriano Carthaginis Gubernatore, qui sic eis, qui eum, ut rebaptizaretur, urgebant, opportune respondit: *In Ecclesia Catholica regeneratus ego sum ad vitam æternam: sed quamvis certus non essem de magnifica illa recompensatione (en tibi objectum motivam Charita-*

tatis Bolgenianæ) quam post hanc vitam mortalem spero, non ideo ingratus esse ulla ratione vellem Creatori, qui dedit mihi intellectum, ut cognoscerem, quantum ejus debeo Infinitæ Bonitati. Quam enarrationem desumpsisse videtur laudatus Auctor ex Victore Uticensi, quem paulo ante citaverat lib. 5. Persecut. Vandal. Minime contemnebat Victorianus motiſum excellens Spei nostræ, sed tamen ex gratitudine ascendens ad Infinitam Dei Bonitatem contemplandam, unde in eum beneficium regenerationis promanarat, ex eo excellentissimo motivo accendebatur multo magis ad quævis tormentorum genera perpetiendâ.

86. Placet finem imponere Martyrum Actis exemplo duarum Martyrum et Virginum, quæ ambæ cum tredecim essent annorum, et ideo nedum idoneæ pœnis, maturæ tamen fuere victoriis, sic eas ultra modum Sponsi Cœlestis inflammante Charitate, ut in illis cernas, quem amorem Sponsæ describit Bernardus serm. 83. in Cant. Adeo emicat in Martyrio affectio illa nobilissima placendi Sponso propter ipsum. Eæ sum præclaræ Virgines Agnes, et Eulalia Emeritensis, de quarum prima sic canitur in Ecclesia: *Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cujus pulchritudinem Sol, et Luna mirantur. Jam ab alio amatore præuenta sum. Ipsi soli seruo fidem, cui me tota devotione devovi.* Non sunt affectiones istæ desiderium præmiorum æternorum, sed actus excellentissimi, et tenerrimi, quibus se totam amato committebat ob ejus pulchritudinem, et bonitatem, nihil habens antiquius, quam ut ei placeret, et ei fidem servaret. Unde S. Ambrosius lib. 1. de Virginitibus hunc in modum nobis proponit Agnetis amorem castissimum erga Sponsum ejus. *Non sic, inquit, ad thalamum nuptæ properaret, ut ad supplicii locum læta successu, gradu festina Virgo processit, non in torto crine caput compta, sed Christo, non flosculis redimita, sed moribus. . . . Quanto terrore egit Carnifex, ut timeretur, quantis blanditiis, ut suaderet, quantorum vota, ut sibi ad nuptias perveniret? At illa: Et hæc Sponsi injuria est expectare placituram. . . . Quid percussor moraris? Ubi evidenter demonstratur desiderium placendi Sponso sic ardens, ut vel injuriam Sponsi reputaret, minimam nectere morulam in placendo. Non aliter ac viso Carnifice exultavit gaudio, quod placeret Sponso, ut ore Christiano canit Poeta limpidissimus juxta, ac sapientissimus Aurelius Prudentius in Sanctæ Virginis, et Martyris hymno.*

*Ut vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quod potius venit
Vesanus, atrox, turbidus armiger,
Quam si veniret languidus, ac tener,
Mollisque Ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic hic amator jam, fateor, placet.*

87. Nec minus ostenditur in Beatissima Eulalia desiderium insatiabile placendi Sponso, et gaudium purissimum de Christi gloria, ejusque tropheis. Sic enim nobis annuntiat Ecclesia in ejus officio apud Hispanos: *Quod Beata Virgo renuens* (Dijs nimirum incensum adolere) *fustibus cœditur, et unguis ab utroque latere dilaniatur. In quo tormento Virgo læto ore notas numerans in hæc verba prorupit: Scriberis ecce mihi Domine, quam juvat bos apices legere, qui tua Christe trophea notant! nomenque tuum elicit sanguinis purpura loquitur. Quid dicam de lampadibus lateri admotis, quarum flammam in caput, et faciem volitantem Virgo aperto ore haurit? Nonne omnia hæc verba, et facta Virginis exprimunt, ac subjiciunt oculis amorem benevolentiae, et gaudium de tropheis Christi, et de gloria Nominis ejus? In idem fere recidit, quod legitur in Antiphona ad Benedictus: *Assum est jam corpus meum, jube sale conspergi, ne cœlesti Sponso insipidum præpares holocaustum.* Quæ verba clare demonstrant affectum, quo tenebatur placendi Sponso per sapidum sui sacrificium, non aliter ac illum exprimebat S. Ignatius cum dicebat: *frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*; id est, panis albus, sapidus, et ad edendum invitans. Id quod mire declarat placendi Christo insatiabile desiderium.*

88. Martyrum Actis addenda sunt etiam gesta Sanctorum, qui se se frequenter exercebant in ijs affectibus eliciendis, qui amorem Dei purissimum benevolentiae commendant. Vidimus S. Diadochum dicentem novisse se quendam supra modum lugentem, *quod Deum non amaret, ut vellet*, de quo statim addit Sanctissimus Præsul: *tamen ita Deum amabat, ut ejus anima ejusmodi desiderio vehementer continenter teneretur, ita ut Deus quidem gloria afficeretur in eo, ipse vero esset quasi nihil.* Ita Pater ille antiquissimus testimonio suo comprobans, amorem esse ardentissimum erga Deum affectum illum, ex quo prodit desiderium vehemens gloriae Dei etiam in se ipso procurandæ. Ut vel hinc cognoscat Bolgenius, quomodo animæ sanctæ ex vero amore benevolentiae desiderant, et latentur de bonis ipsis collatis, non præcise quatenus bona sunt propria, sed quatenus in Dei gloriam cedunt.

89. S. Josephus Copertinus adeo erat incensus amore divino ad Dei beneplacitum unice intento, ut eum exprimeret per illum actum vere singularem, quem tradunt Bolland. in ejus vita cap. 3. n. 27. die 18. Septembris: *Domine, ego te amo; etsi scirem, me a te, dum creasti me, ad Infernum destinatum esse, omnino vellem, omnes illis obsequij, et servitij actus exercere, qui unquam a præcipuis Sanctis, qui in Cœlo sunt, exerciti fuerunt.*

90. Eadem amoris puritas, et quæ non potest non esse actus benevolentiae, emicat in litteris, quibus Rex Galliae S. Ludovicus Filiam suam Elisabetham Reginam Navarræ ad pietatem, et perfectionem informabat. *Dilecta Filia* (Bolland. ia Vit. 2. S. Ludovici cap. 3. n.

30. die 25. August.) *te doceo, ut ames Dominum Deum nostrum . . . Nihil tam recte amari potest, neque tam utiliter. Dominus est, cui omnis creatura potest dicere: Dominus meus es tu, nullo bonorum meorum eges . . . Meritus est abunde, ut ipsum amemus, nam prior nos amavit . . . Desiderium concipe, quod nunquam a te abscedat, nimirum qua ratione magis Domino nostro placere possis. Hoc etiam cordi imprime, quod si certo scires, nullum tibi futurum bonorum, quæ feceris Præmium; nullam malorum pœnam, nihilominus cavere deberes, ne facias Deo displicentiam; ac animum adjicere ad faciendum pro viribus, quæ ei sunt grata, puro erga eum amore.*

91. Beatus Henricus Suso in Dialogo de amor. cap. 26. sic cum Deo colloquebatur: *Quamvis nunc egrediens ex hac misera vita, per annos quinquaginta detruderer in ignem Purgatorij, essem, Domine, contentus maxime, modo hæc omnis pœna cederet in tuam gloriam, et honorem, nam tuis provolutus pedibus illud dicerem; Benedictus ignis ille purgatorius, in quo tui laus in me perficitur. Ad summam in re nulla me ipsum volo; quem volo, quem amo, quem quæro, tu ipse solus es, tuumque unum beneplacitum. Et ideo propter laudem, et gloriam Nominis tui contentus essem, etiam si caderem in æternum a te præcipitatus, in inferni pœnis addictus, et a jucundissima tua contemplatione exclusus. Quia non ideo prætermitterem laudare te, dum propter gloriam Nominis tui in tormentis existerem. Nihil sane majus dici potest pro amore purissimo benevolentia exprimendo. Nec est fatua, quæ adhibetur conditio impossibilis, sed energica, et omnino similis rationi loquendi, qua usus est Paulus, et Moyses, ut quæ amoris puritatem maxime demonstrat. Id ipse Beatus et cognoscit, et clare testatur subjungens. Sed in Inferno qui confitebitur tibi? Fac igitur mi Jesu de me, quod in tui cedat gloriam, honorem, et laudem, et ego te ad ultimum usque halitum exultabo.*

92. S. Catharina Senensis in suo de Divina Providentia tract. cap. 89. Deum sic loquentem introducit: *Quia ego vos amo, amari a vobis debeo et sine ullo respectu, et quia vos amavi, quin a vobis amatus essem; et antequam essetis, amor etiam me movit ad creandum vos ad imaginem, et similitudinem meam. Hoc mihi a vobis reddi non potest; debetis ergo id reddere creaturis, quæ sunt rationis compotes, eas amando, quin amemini ab illis, sine ullo scilicet respectu propriae utilitatis spiritualis, aut temporalis, sed solum amando ad gloriam, et laudem Nominis mei, quia ego amo, et sic adimplebitis præceptum Legis. Simili modo repræsentat nobis cap. 76. Deum rationem reddentem, propter quam amantes animæ patientes sunt in tribulationibus perferendis. Quia nimirum sic amant me propter me, quia sum Bonitas Summa, digna quæ ametur; et se amant propter me, scilicet ad Gloriam, et laudem Nominis mei; et ideo sunt patientes, fortes in sustinendo, et perseverantes. Duo hæc loca manifeste declarant, quod sibi motivum præ-*

præfigeret inclita Virgo Senensis in actibus illis ardentissimis, quibus Deum amabat, et Proximum, scilicet Bonitatem Summam, et dignissimam omni amore, obsequio, et laude.

93. Concors est Catharinæ Senensi altera celebris S. Catharina Genuensis, quæ, ut constat in Vita ex Process. Canoniz. cap. 4. n. 38. Bolland. die 15. Septemb. sic ad Deum alloquebatur: *Fieri ne potest, Dulcis amor mi, ut absque consolatione, et spe boni tam in Cælo quam in terra, amor, et obsequium tibi impendendum non sit? Unde satagebat quam maxime, ut vitæ Auctor observat, dulcedinem devitare, et delectationem, quæcumque tandem illa esset, unicam Dei quærens honorem, et gloriam. Insederat alte animo Beatæ Catharinæ, quod ipsa de Deo scribit part. 3. Dialog. cap. 12. Operaris solummodo propter utilitatem hominis: et vis, ut ipse tantum propter Honorem tuum operetur, non ob commodum proprium.*

94. Quid dicam de praxi, quam in actibus amoris purissimi nobis exhibet Magistra Spiritus S. Theresia de Jesu. Plena sunt ejus Opera verissimis actibus benevolentia, quibus Deum prosequabatur, nobis eos proponens tum per modum amoris tum per modum desiderij de Divinis Perfectionibus. Profecto Benedictus XIV. Tit. de Charit. de Canoniz. Sanct. lib. 3. cap. 25. part. 3. n. 27. inde demonstrat, quod *Beata Theresia Deum super omnia propter ipsum solum amavit, quod Gloriæ ejusdem desiderio arserit, eamque augeri summe, summisque laboribus curaverit. . . in mirabili doctrina librorum, quos conscriptos reliquit. Ipsa Beatissima Mater Cast. inter Mans. 4. cap. 1. docet: animas meditationi insistentes occupari oportere in actibus gaudij de Ecinitate Divina, et quod Deus sit ipse, qui est, sicut etiam in actibus desiderij honoris, et gloriæ Dei. Explicat deinde, quid tandem sit Dei amor, illud adjurgens: Nescimus forsân, quid sit amare. Nec tanen miror, quia non consistit in majore dulcedine, sed in majore determinatione, et desiderio placendi Deo in omnibus, et procurandi quoad ejus fieri possit, omnem offensam vitare, et tandem postulandi ut conservetur, et crescat honor, et Gloria Filij sui, et augmentum Ecclesiæ Catholicæ.*

95. S. Maria Magdalena de Pazzis solebat exprinere suos actus amoris internos multis, mirisque modis. En tibi quatuor ex Vita secunda cap. 13. n. 147. apud Bolland. die 25. Maji 1. *Gaudere, et complacere sibi in Divinis Atributis, id est, Potentia, Sapientia, Bonitate, et Amore infinito quo Deus seipsum, et omnes Creaturas amat. 2. Velle Deo omne bonum, gloriam, et honorem, quem in se ipso habet, et in æternum habebit. 3. Gaudere, quod Deus adeo magnus, et infinitus sit, ut comprehendi nequeat a Creaturis. 4. Inclinare voluntatem ad amandam creaturam solum, quia eam amat Deus.*

96. Sancta Rosa Limana eodem Dei spiritu plena ita cum Christo loquebatur. ut scimus ex ejus Vita cap. 17. n. 225. Bolland. ad diem 26. Aug. *Domine mi Jesu Christe, Deus, et Homo, vere Condi-*

tor, et Redemptor noster, quod unquam te offenderim, vere mente dis-
crutior; quia es, qui es, et quia te amo super omnia. Atque hæc est
formula eliciendæ Contritionis perfectæ in omnibus Ditionibus Hispa-
nis tum in Europa, tum in Americis ab omnibus usitata ut cap. 4.
videbitur. Neque ab hac formula in re saltem discrepare formulas ubi-
que terrarum in Ecclesia receptas, exploratissimum habeo. Loqueba-
tur item frequenter extatica Virgo *de debito Charitatis, de affabili Bo-
nitate Dei dignantis amari, de Pulchritudine Majestatis tam digna a-
mari*, ut habetur ibidem.

97. Tandem facillimum esset nobis longum Sanctorum texere Ca-
talogum, qui omnes in actibus se Charitatis exercebant ob id unum
motivum, quia Deus est infinite bonus, quia infinite dignus amore no-
stro, quia infinite pulcher, quia infinite perfectus, quia est ipse qui
est, et quia eo ipso omnis illi debetur amor, honor, et gloria in sæ-
cula sæculorum. Amen. Intende jam animum, Bolgeni charissime, in
apertissimam veritatem, relinque jam peregrinam opinionem, quæ
nullius forsitan post natos homines mentem subivit, *amorem nempe be-
nevolentia erga Deum esse chimericum, et fictitium*. Sive enim consi-
deres Patres abunde laudatos, sive Acta inspicias Sanctorum Marty-
rum, sive gesta Sanctorum, et praxim mente percurras, fieri non
posse credo, ut manifestæ veritati contentiose repugnes. Quod si ta-
men aliquo angeris importuno scrupulo propter ea, quæ ex Patribus in
Dissertatione congeris; en nunc quid valeant illa, et quo sensu intel-
ligenda sint, in tui gratiam demonstro.

§. VII.

*Quid sit sentiendum de testimoniis Sanctorum Patrum, quæ
a Bolgenio congeruntur in Dissertatione?*

98. Nimis indigeste pro se adfert Cl. Auctor Sanctorum Patrum te-
stimonia, nec omnia, quæ in Dissertatione exaravit, pro
suo laudasset amore concupiscentiæ, si veram, germanamque notionem
amoris benevolentia tenuisset. Adeo scilicet est mihi verum Theolo-
gorum mentem non fuisse illum assecutum. Profecto quæ laudat Pa-
trum testimonia, ad tria capita revocantur. Alia quippe eo tendunt,
ut amor ortus ex gratitudine ad concupiscentiam, ut ipsi videtur, per-
tineat; alia naturam amoris collocare videntur in desiderio præmiorum
æternorum; alia denique amorem Dei exprimunt nominibus sitis, de-
siderii, cupiditatis videndi Deum, eoque fruendi. Primi generis testi-
monia Auctori sunt plane contraria, ut ostendimus. Nec est, cur ex
hoc capite subsidium petat a S. Clemente Papa, Polycarpo, Cypria-
no, et Basilio. Alterius generis testimonia sunt certe inopportuna,
et ad rem novam stabiliendam repetita longissime, et parum pertinen-

tia. Tertii tandem generis testimonia nonnullam ad speciem difficultatem continent, sed quæ tota in eo sita est, quod Auctor naturam amoris intimam haud perspicuens non satis discernit, quænam sit illius ratio vere motiva, et quænam sit ratio pure terminativa. Omissa itaque classe testimoniorum primi ordinis, de secunda classe dicendum est nobis in hoc paragrapho, tractaturis de tertia paragrapho sequenti.

99. Certum est, S. Cyprianum multis in litteris Christi Confessores ad Martyrium exhortari spe proposita fœlicitatis æternæ, eosque roborare desiderio præmiorum æternorum ad ineundum certamen, ex quo, relicto mundo, Cœlestem Patriam ingressuri essent. Nec negamus Moysen, Maximum, Nicostratum, aliosque Confessores ad Cyprianum scribere: *Quid enim gloriosius, quidve fœlicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam relicto mundo Cœlum petiisse, quam desertis hominibus inter Angelos stare? . . . quam Cœleste Regnum sine ulla cunctatione tenere? . . . quam per-ipsam mortem immortalitatem consequi? ec.* Nec tandem in controversiam vocamus quæcumque ab Auctore afferuntur de Sanctis Montano, et Lucio, caterisque Martyribus Africanis, quos *invitabant præmia promissa*. Horum quidquam negare quis poterit? Imo quisnam è Christianis pueris doctrina christiana recenter imbutus illud ignoret, æternum præmium motivum esse magnum ad perpassiones quascumque patienter saltem perferendas? Sed vero quorsum ista, ut ex iis deduci legitime possit, desiderium præmiorum æternorum esse verum actum Charitatis Theologicæ? Quia nimirum, inquit Bolgenius, *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et Sancti Martyres ex promisso præmio ad hanc sublimem Charitatem excitabantur, et accendebantur. Bene habet. Si ergo Sancti Martyres, ad Martyrium excitabantur, et accendebantur ex viva in Christum Fide, ex obedientia ad legem, ex dono Fortitudinis, ex gratitudine erga Deum, ex vera Religione ec. Fides, Obedientia, Fortitudo, Gratitudo et Religio non distinguuntur a Charitate. Atqui virtutes hasce, vel earum saltem aliquas in Martyrio subeundo intervenire frequenter extra dubium est. Non enim Martyr occumbit nisi credens, nisi actum excellentissimum exercens fortitudinis, nisi sui ipsius sacrificium offerens.

100. Crede mihi, Bolgeni, nisi motiva virtutum plane teneas, eaque discernas inter se, virtutes etiam confundas, necesse est. Quæ congeris ex Actis Martyrum, probant quidem Sanctos Martyres exercuisse frequenter actus Spei Theologicæ, quæ ad præmia aspirat æterna, et ex hoc ipso objecto specificatur. Probant eos spe firmissima, et præsentissima, atque formata per charitatem in perpassione tormentorum roborari. Sed Spes Theologica non est Charitas, quæ illa quidem major est, ut habemus ex Paulo (ex quo ad Fidem pertinet ista distinctio,) quæ illam reddit perfectiorem, et firmiorem, ut habemus ex Ambrosio, et Thoma. Probant tandem, Spem Theologicam in arduis

duis superandis adhibendam esse, ut quæ timorem expellit præsentium, et imbecillitatem corroborat ex delectatione præmiorum, quæ major est tunc, et fortior, cum jam quasi manententur, ut jam alias insinuavimus ex S. Thoma. Porro hanc magnitudinem delectationis ex actu sperandi provenienti, et animum reficientis, et corroborantis ex certitudine præmiorum tradit ipse Angelicus Doct. 1. 2. q. 32. art. 3. ad 3. *Dicendum, inquit, quod amor, et concupiscentia delectationem causant. Omne enim amatum fit delectabile amanti, eoquod amor est quedam unio, vel connaturalitas amanti ad amatum. Similiter etiam omne concupitum est delectabile concupiscenti, cum concupiscentia sit præcipue appetitus delectationis. Sed tamen Spes, in quantum importat quamdam certitudinem realis præsentia boni delectantis, quam non importat nec amor, nec concupiscentia, magis ponitur causa delectationis, quam illa, et similiter magis quam memoria, quæ est de eo, quod jam transit. Et hæc est ratio, cur Martyres in confessione fidei, et in perpassione tormentorum in Cælum intenti toties in verba eruperint, quæ vivam eorum Spem fœlicitatis æternæ, immortalis Regni, et coronæ sempiternæ tortoribus indicabant. Quia nimirum Spe gaudentes, fortes, atque robusti afflictionem ferebant, et dolorem superabant. Unde scribebat Chrysostomus hom. ult. in Epist. ad Philip. *Ferto afflictionem et dolorem spe futurorum nutritus.* August. in Psal. 88. in Proæmio: *nemo in hoc sæculo robustus est, nisi in spe promissionis Dei.* Et Ambros. in Psal. 1. *quoniam summum virtuti incentivum proposuit Deus futurae beatitudinis delectationem.**

101. Hæc ultima Ambrosii verba, quamvis eundem habeant sensum, atque altera Chrysostomi, et Augustini, in suam tamen opinionem trahere conatur Auctor, et ex illis ipsis Ambrosium a se stare pronuntiat. Verum hic ejus conatus inutilis est, ac perridiculus, sive vis verborum expendatur, sive res ipsa consideretur. Primum enim verbum illud *incentivum* non est apud Latinos id ipsum, quod est apud Theologos *ratio motiva, seu objectum formale*. Nam *incentivum* idem est ac *incitamentum, illecebra*, quin et verba hæc tria videntur esse synonyma; at nec incitamentum, neque illecebra rationem movendi primariam semper significant, sed sæpe causam, ut ajunt, impellentem, dispositivam, et interdum non removentem. *Impunita spes*, ait Tullius pro Cæl. *maxima est illecebra peccandi*. Itaque cum Parentes et Magistri donorum incitamentis, et promissorum illecebras filios, et discipulos promovent ad bene agendum, ratio motiva recte facti non est illecebra, incentivum, vel incitamentum. Similem exceptionem patitur verbum *summum*, quod idem significat apud Tullium ac *perfectum, singulare, amplissimum*, et non est semper *comparativum*, ut ajunt, sed *partitivum*, et excellentiam significans, ut cum dicitur *Vir summo ingenio, summa prudentia*. Sed Grammaticos relinquamus, ex quibus parum certe momenti in causam suam extrahere potest Bolge-

nus; veniamus ad rem ipsam. Negari non potest Spei Theologicæ objectum, quod amamus, desideramus, et expectamus, esse summum virtutis incentivum. Nam æternæ beatitudinis delectatio, ad quam per Spem tendimus, non potest non excitare animum ad ea peragenda, sine quibus ad terminum illum perveniri non potest. De objecto igitur Spei Theologicæ loquitur Ambrosius, dum scribit, Deum nobis proposuisse delectationem futuræ beatitudinis tanquam summum virtuti incentivum. Nec ante te, ò Bolgeni, unum aliquem fuisse crediderim, qui non in eo germano, et verissimo sensu Ambrosium intellexerit.

102. Ex dictis, credo, constare satis, quam imbecille sit argumentum, quod desumitur ex Sanctis Martyribus ad persuadendum desiderium æternæ beatitudinis esse actum Charitatis Theologicæ, præsertim primarium; sed facere non possum, quin hic notem, occasione data, Auctoris incohærentiam, si ejus doctrina cum ea, quam tradit alias, conferatur. Proponit ille in part. 2. cap. 5. pag. 243. hanc Augustini doctrinam. *Qui autem propter beatitudinem sempiternam, et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in Regnum æternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est, cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum terrenorum modestus, et temperans, et in tribulationibus fortis, et patiens.* Quid igitur Bolgenius super hæc Augustini verba? En illius commentarium pag. 245. *In ejus generis Christianis invenio clarissime attritionem a me superius descriptam. Nam motivum, quod inducit hic Christianos ad recipiendum baptismum, non est unicum, et simplex, sed compositum ex duobus natura diversis. Aliud amoris, nempe propter beatitudinem. . . . Aliud vero timoris servilis, ut scilicet non eat in ignem æternum cum Diabolo.* Unde concludit n. 249. *Christianorum hujus classis dispositionem esse adhuc imperfectam. In quo ergo consistit dispositio perfecta, puritas cordis, et intentionum? Audi illum: Consistit in eo, quod motiva propria timoris servilis separentur ab amore. Quia charitas perfecta foras mittit timorem.*

103. Hic est Bolgenii commentarius, in quo quidem ostendit satis, nec Augustini sensum assequi, nec admittere velle distinctionem obviam Charitatis robustæ a Charitate tenera, et incipiente, quæ tamen vera est Charitas, et gradum jam attingit, Charitatis simpliciter talis. Sed vero id in præsentem non curo, illud unice ex Auctore (ut pateat omnibus incohærentia,) quæro, an Sancti Martyres Montanus, et Lucius habuerint in subeundo Martyrio perfectam Charitatem, nec ne? Affirmabit sane Bolgenius, tum quia ex eorum verbis probat suum amorem concupiscentiæ, tum quia *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Atqui laudati Martyres

tyres movebantur etiam ex motivo timoris ut constat vel ex ipsis verbis a Bolgenio laudatis. *Si nos invitant præmia promissa, si terret injustis pœna prædicta, si cum Christo esse, et regnare cupimus, quæ ad Christum, et ad Regnum ducant, illa faciamus.* En quomodo ut invitabant Sanctos præmia promissa, ita eosdem terreat injustis pœna prædicta. Quorum primum motivum est apud Bolgenium proprium amoris, et alterum est apud omnes motivum timoris, non minus quam motivum illud illius classis Christianorum, de quibus Augustinus, *ne eat in ignem æternum cum Diabolo.* Charitas igitur Sanctorum Martyrum et fuit perfecta, et esse non potuit perfecta. Ergo quod adstruit Auctor in prima Dissertationis parte, id ipsum destruit in altera, et in ea negat, quod affirmat in illa. Clarius objicitur mentis oculis incohærentia, si discursus transferatur ad ea, quæ nobis repræsentat in Littera Ecclesiæ Smirnensis. *Nam eorum (Martyrum) scribit, strenuitatem, ac tolerantiam, et erga Deum charitatem quis non admiretur? . . . Ob oculos quippe habebant illum ignem effugere, qui æternus est, nunquamque extinguetur, ac oculis cordis respiciebant ad illa bona, quæ tolerantibus reservantur. Quid, quæso, discriminis interest inter timorem, ne eat in ignem æternum cum Diabolo, et inter timorem ignis æterni, et inextinguibilis?*

§. VIII.

Quid Patres intendant, dum significant ad Charitatem pertinere desiderium, sitim, famem, cupiditatem visionis, vel fruitionis divinæ?

104. **Q**uæ ex hoc capite desumuntur testimonia Patrum, videntur mihi maxime permovisse Bolgenium ad suum illud systema excogitandum, erigendum, atque firmandam de uno amore concupiscentiæ erga Deum. Sed vero res tanti non erat, ut se in locum committeret aperte præcipitem. Nam si se non poterat expedire a sententiis Patrum, quin ibi agnosceret actus Charitatis Theologicæ, prudentis certe fuisset admittere actus concupiscentiæ mercedis æternæ elicitos ab habitu charitatis, sic tamen ut actus primarius ejus virtutis nobilissimæ sit semper amor benevolentiæ erga Deum, ex quo volumus, ut aiebat Bonaventura, Deum esse summum Bonum, Deum esse ipsum, qui est, Deum in se, et a se habere bonitatem infinitam. Porro qui hanc cum S. Doctore viam ineunt, atque muniunt, testimonia Patrum in Dissertatione congesta adeo non respiciunt, ut potius in rem suam ex parte certe convertant. Cur igitur, Cl. Bolgeni, non es Bonaventuram sequutus, siquidem conclusus angustiis exitum invenire non poteras? Namque via, quam S. Doctor ostendit, probabilis est, atque ab aliquibus trita. Non sic solus incederes sub lu-

ce maligna, atque fucata cum probabilissimo errandi periculo.

105. Sed cum sententiæ Patrum sint, ut arbitror, faciles ad intelligendum, quin ullus admittatur amor concupiscentiæ elicitus a charitate, non est, cur sententia communis Theologorum deseratur. Insinuatum est supra vel in Prodomo velitari ternarium numerum actuum ad potentiam boni prosecutivam pertinere, *amorem* scilicet, *desiderium*, et *gaudium*. Cumque habitus supernaturalis concedatur potentiæ voluntatis, ut eam elevet, atque confortet ad actus naturales eliciendos, totidem etiam actus habitui supernaturali respondent circa idem objectum diversimode tamen propositum. Hinc charitatis est elicere circa Deum non modo amorem supernaturalem, sed etiam desiderium, et gaudium. Patres igitur dum loquuntur de *appetitione*, *siti*, et *cupiditate* videndi Deum, aut fruendi Deo, expriment desiderium benevolentiae, quod est proprium charitatis, ut explicabo. Similiter in aliis locis declarant idem desiderium nominibus *sitis* serviendi Deo propter ipsum, et hoc eodem in sensu exponit S. Basilius sitim illam, qua Deum desiderabat Regius Psaltes, *sicut cervus desiderat fontes aquarum*. Nam rogatus S. Doctor (in Reg. brev. Reg. 157. apud a Ponte p. 6. Med. in Introduct.) a Fratribus, quo affectu inserviendum esset Deo, et in quo tandem ille consisteret? respondit: *Anima affectio bona est desiderium placendi Deo vehemens, insatiabile, stabile et constans. quod sane comparatur ex diligenti, et assidua contemplatione Magnitudinis Dei, et ex grata, ac frequenti recordatione beneficiorum Dei, ex quibus resultat in anima ejus, quod scriptum est, adimpletio: Diliges Deum ex toto corde tuo, cum omni fortitudine tua, et ex tota anima tua, ut faciebat Propheta ille, qui dixit: sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: et Apostolus, qui dicebat, quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an persecutio, an gladius?* Igitur desiderium vehemens, et insatiabile placendi Deo propter ipsum est sitis illa insatiabilis Cervi, de quo David in allegato loco; est item impletio præcepti diligendi Deum; et est affectio, quæ concipitur ex assidua meditatione Magnitudinis Dei. Sic explicat S. Basilius, in sensu videlicet morali, sitim illam Prophetæ; quam tamen explicari apte posse in sensu anagogico de siti videndi Deum, non nego, sed potius confirmo ex aliis Ecclesiæ Patribus.

106. Præter sitim serviendi Deo est et aliud genus desideriorum ad Charitatem pertinens, de quo Patres loquuntur in testimonijs ab Auctore laudatis. Namque desideria ibi expressa non tam tendunt ad Deo serviendum, quam ad Deum videndum, eoque fruendum. Sed vero hæc facillime explicantur a Theologis sic, ut ad benevolentiam referantur. Imo vix quidquam est, quod exprimat magis ardorem amoris benevolentiae ad Deum, quam desiderium visionis, et fruitionis divinæ. Id, quod ex amoris ejusdem natura, indole, et inclinatione de-

descendit, ut jam alias significavimus. Hic tamen res tractanda est fufius, ut mens Patrum omnibus innotescat clarissime. S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 1. post duo illa unionum genera, quæ in amore cognoscit, alteram, quæ amoris est causa, et ad amorem supponitur, et alteram, quæ amor est ipse, sic loquitur de tertia, quam desiderat amans, et ad quam amor aspirat. *Quædam vero unio est effectus amoris, et hæc est unio realis, quam amans quærit de re amata; et hæc quidem unio est secundum convenientiam amoris. Ut enim Philosophus dicit 2. Polit. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum: Sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, et decet, ut scilicet simul convergentur, et simul colloquantur, et in alijs hujusmodi conjungantur.* Ex hac D. Thomæ, et Philosophorum doctrina, quæ nulli nota non est experimento proprio, illud necessario consequitur, ex amore præsertim intenso; et vehementi oriri desiderium unionis maximæ, et quoad fieri potest, realis inter amicos.

107. Quod cum ita contingere necesse sit in amicitia honesta naturali duorum, qui ad convenientem, et decentem aspirant conjunctionem in convictu, colloquutione, et consensione voluntatum, et iudiciorum, potiore id ratione evenire opus est in amicitia honestissima, et supernaturali hominis cum Deo. Hinc Charitas christiana ex suo proprio motivo *divinæ Bonitatis* aspirat, sitit, anhelat ad Dei visionem, et fruitionem; nam hæc est unio maxima, decens, et conveniens, quæ Deum inter, et hominem esse potest, hæc est unio realis, vel quasi realis, quæ arctissime necit creaturam, et Deum sine ullo separationis periculo. Quare anima Deum in hac vita amans intense illum enixe quærit, ejus visionem ardentem exoptat, et ad fruitionem toto cordis impetu anhelat, non ob sui commodum, et felicitatem, sed ob illud idem motivum, propter quod amat, ob *divinam* scilicet *Bonitatem*, ut ei se tradat omnino, perpetuo, indissolubiler, ut ejus sit semper, et ut in æternum Deus regnet in ea. Quod vero desiderium hoc sit amoris effectus, inde plane constat, quod anima non ideo præcise Deum amat, quia desiderat videre Deum; sed contra quia Deum amat, idcirco desiderat videre, quem amat. Sitis ergo apparendi ante Deum, de qua Propheta Regius, et desiderium fruendi Deo, de quo Patres, sunt effectus certissimi amoris intensi, et ab eodem habitu Charitatis eliciuntur, a quo elicitur amor, cum idem respiciant motivum formale, quod ab amore respicitur.

108. Placet id ipsum amplius declarare: anima desiderans ex Charitate videre Deum, ejusque sitiens conspectum, non desiderat videre Deum propter visionem, in ea nempe sistendo, sed eam ordinat ad amorem propter ipsum Deum, vult nempe visionem Dei ut objectum materiale, vel ut medium ad amorem indissolubilem, perpetuum, et non interruptum cum Deo propter ipsum. Unde Hugo Victorinus cap.

7. de cœlest. Hierarch. inquit: *rectum ordinem esse intelligere, ut ames. Et Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 11. scribit: esse peruersum ordinem amare, ut intelligas: sic nimirum ut in ipsa intellectione sistatur. Nam ut supra diximus ex SS. Gregorio, et Thoma, amor in contemplatione movet ad intelligendum, non ut in intellectione mens sistat, sed potius ut voluntas ex clariori intellectione accendatur, et ignescat. In eundem sensum loquitur Bernardus lib. de amore Dei cap. 1. Ex dono, inquit, tuæ gratiæ contemplans omnes angulos conscientiæ meæ, vel terminos. unice, et singulariter desidero videre te, ut omnes fines terræ meæ videant salutare Dei sui, ut amem, cum videro, quem amare, hoc est bene vivere. . . . Ex eo, quod vel leviter sensi, vel vidi, magis accenso desiderio, vix patienter expecto, ut a me auferas manum tangentem, vel infundas gratiam illuminantem, ut tandem aliquando secundum responsum veritatis tuæ mortuus mihi, et vivens tibi, revelata facie, ipsam tuam faciem incipiam videre, et affici tibi a visione faciei tuæ. Et o facies, facies, quam beata facies, quæ affici tibi meretur videndo te? Hæc Bernardus consentiens omnino Anselmo, et Victorino, ex quibus habemus, animam Deum amantem velle clariorem Dei intellectionem, velle Dei visionem, ut illum magis amet propter ipsum, ut illi magis afficiatur. Quod ipsum nos docet Ecclesia in Transfigurationis officio canens:*

Splendor Paternæ Gloriæ,

Incomprehensa Charitas,

Nobis amoris copiam

Largire per præsentiam.

Ubi vides, Visionem Beatificam, et Dei præsentiam desiderari debere ex Charitate ad amoris copiam habendam in illa æterna vita, in qua, ut ait Bernardus cap. 4. libri supra laudati: *sola erit perfecta, et æterna fruitio, et tanto foelicior, quanto jam remotis omnibus, quæ hoc retardare, vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo.*

109. Cum igitur visio Dei ad amorem propter Deum ex Charitate ordinetur, facillimum est intelligere, quomodo appetitiones, et desideria, quæ ad visionem, et amorem aspirant in testimonijs allegatis ex Patribus, ad Charitatem pertineant, cum respiciant idem objectum motivum, atque amor ipse. Ut enim amat anima Deum propter Bonitatem infinitam, ita desiderat unionem illam realem, vel quasi realem per visionem, et amorem beatificum cum Deo propter ipsum. Et id est illud idem, quod aiebat Nazianzenus: *Imò sublimius etiam assurgimus, quippe qui Summo Bono conjungi propter ipsum Summum Bonum exoptantes, non autem propter honores in altero ævo reconditos.* Id item est, quod inquebat Augustinus: *Charitatem voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum: idest, ad inhærendum Deo per amorem indissolubilem propter ipsum. Nam frui apud Augustinum*

est

est amore inherere alicui propter ipsum. Sed ut tollantur æquivocationes, quæ in hanc doctrinam irreperere possunt, illud est habendum præ oculis, Deum, et ejus fruitionem non esse duos fines ex S. Thoma, et cæteris Theologis, sed esse unum finem integrum; unde fruitio non appetitur ex D. Thoma propter alium finem, licet propter Deum appetatur, sed appetitur propter aliud objectum motivum a fruitione distinctum, quia causa motiva actus Charitatis est sola divina Bonitas. Ex hujus doctrinæ Theologicæ contemptu, vel oblivione descendunt æquivocationes variæ in cl. Auctoris Dissertationem, quia nimirum separare non vult subtiliter, et accurate finem *quod* a fine *qui*, et causam vere *motivam* a quiete ipsa, fruitione, et delectatione in bono ipso movente. Audiatur S. Thomam ea clarissime discernentem, et docentem simul, quomodo quies, fruitio, et delectatio appetantur propter bonum movens ad quietem, et delectationem. *Ejusdem rationis est, inquit S. Doctor 1. 2. q. 2. art. 6. ad 1. quod appetatur bonum, et quod appetatur delectatio, quæ nihil est aliud, quam quietatio appetitus in bono: sicut ex eadem virtute est, quod grave feratur deorsum, et quod ibi quiescat. Unde sicut bonum propter se ipsum appetitur, ita et delectatio propter se, et non propter aliud appetitur, si ly propter dicat causam finalem; si vero dicat causam formalem, vel potius causam motivam, sic delectatio est appetibilis propter aliud, id est, propter bonum, quod est delectationis objectum, et per consequens est principium ejus, et dat ei formam. Ex hoc enim delectatio habet, quod appetatur, quia est quies in bono desiderato.*

110. Ex dictis constare satis videtur, amorem Dei propter se ipsum esse radicem, causam, et originem desiderij, cupiditatis, et petitionis videndi Deum, habendi illum, et eo fruendi, sic tamen ut id ipsum, quod movet ad amandum, moveat ad illud desiderium, et petitionem unionis maximæ, cujus est capax amor amicitia inter duos. Unde rectissime Augustinus in Psalm. 104. *Deus est, inquit, sine fine quærendus, quia sine fine amandus; non dicit sine fine amandus, quia sine fine quærendus; ut æque congruenter dicere posset, si amare, et quærere essent verba synonyma, ut contendit Bolgenius; sed e contrario quærendus sine fine, quia sine fine amandus, ut ostendat amorem esse causam inquisitionis. Nam quia amo Deum, desidero videre Deum, et ad eundem pervenire, nec nisi incongruenter diceretur, quia desidero videre Deum, amo Deum. Id quod vel in amore naturali, præsertim honesto, videre quisque potest, si suos in actus reflectere velit.*

111. Atqui hic est sensus germanus, verus, et naturalis eorum testimoniorum, quæ in hanc rem congerit Bolgenius ex Patribus. Hic est sensus (anagogicus nimirum, ut dicebam, nam litteralem alium esse, nemo est qui ignoret) verborum Prophetæ Regij: *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum etc.* Hic item est litteralis sen-

sus verborum Pauli desiderium habentis *dissolvi, et esse cum Christo*. Nec est in hac intelligentia obscuritatis umbra, sed omnia sunt plana, obvia, et perspicua naturam amoris, quæ vix ulli ex hac parte esse potest ignota, consideranti. Quis enim ratione præditus non clare percipiat id ipsum Summum Bonum, quod movet ad amorem sui vehementem, et intensum, movere etiam immediate ad desiderium majoris unionis cum eodem Summo Bono, si ad illud amans non pervenerit? Nam si desiderium illud non sequatur amorem, et quidem ex eodem motivo, plane consequitur, amorem non esse intensum, nec ardentem, sed debilem, imperfectum, remissum.

112. Sed quamvis Sancti Patres disertis verbis nobis traderent (quod sane non tradunt, nec eos tradere Bolgenius probat,) *objectum motivum* sitis, et desiderij videndi Deum, et fruendi Deo esse visionem, vel fruitionem, non ideo quidquam Theologos moveret expressio. Est enim constans apud eos, perpetuaque doctrina, Charitatem primario, et per se cæteras ad operandum movere virtutes, eique frequentissime attribui illarum actus, ut quæ dat formam omnibus, et imperium exercet circa illas. Quare dum Charitas ex proprio motivo divinæ Bonitatis, vel amicitiae cum Deo confirmandæ, imperat actum, quo quis sperat æternam sui fœlicitatem, hic actus Spei suum habens proprium, et peculiare motivum Charitati tribuitur moventi, et imperanti. Qui modus loquendi communis est apud S. Patres. S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 1. tradit doctrinam generalem, quæ rei applicata nostræ materiam mirifice illustrat: *Est autem considerandum, ait eo loci in corp. art. in actibus animæ, quod actus, qui est essentialiter unius potentiae, vel habitus, recipit formam, et speciem a superiori potentia, vel habitu, secundum quod ordinatur inferius a superiori. Si enim aliquis actum fortitudinis exercent propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter est fortitudinis, formaliter vero Charitatis*. Similiter Bonaventura lib. 2. Prof. cap. 2. inquit. *Sicut Deus est unum simplex, et perfectissimum Bonum, in quo est omne bonum perfecte, et cui nullum bonum deest, ita Charitas est una virtus in se omnem habens virtutem*. Ex quo principio illi tribuit actus aliarum virtutum, ita pergens: *Charitas ergo cum proximum respicit, dilectio proximi dicitur; cum ejus miseriæ compatitur, misericordia vocatur; cum ejus bono congaudet, congratulatio; cum æquanimiter adversa tolerat, patientia*: et eodem modo discurret de actibus humilitatis, castitatis, prudentiæ, temperantiæ, fidei, et spei, quos omnes Charitati tribuit ut radici, et causæ omnium. Sic etiam Ambrosius in Epist. 1. ad Corinth. cap. 8. observat, quod licet Charitas litterario vocabulo appelletur una, *multis tamen consistit; sine patientia enim non potest (consistere) nec sine humilitate, nec sine cordis simplicitate*. In eodem sensu loquuntur frequentissime cæteri Patres Charitati tribuentes aliarum virtutum actus. Quin et Apostolus 1. ad Corinth. 13. tradit expresse doctrinam istam ad Charitatem referens actus.

actus aliarum virtutum: *Charitas*, inquit, *paciens est, benigna est, non agit perperam . . . Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

113. Ex quibus manifeste constat, quod licet Pauli desiderium, ut cum Christo esset, licet sitis David apparenti ante Deum, et inhabitandi in Domo Domini, et licet appetitiones, et desideria a Patribus expressa respicerent ut objectum immediate motivum æternam felicitatem, congruentissime tribuerentur Charitati moventi, et imperanti ex proprio motivo Divinæ Bonitatis actus illos ardentis, et intensos videndi Deum, eoque fruendi. Cum enim multo quidem perfectius speretur, cum amatur, *quia de amicis*, ut inquit S. Thomas, *maxime speramus*; animæ Sanctissimæ, quæ jam semel gustarunt suavitatem Domini, se exercent frequentissime in hujusmodi desiderijs videndi Deum, et se se intime conjungendi cum Summo Bono per unionem maximam intellectus, et voluntatis. Sed non semper Charitas ex proprio motivo divinæ Bonitatis efficit, ut efficere potest sine dubio, desideria illa majoris conjunctionis cum Deo, ut demonstravimus; nam interdum illa imperat movendo Spem, quæ ex motivo proprio æternæ felicitatis desiderat visionem Dei, et fruitionem ejusdem. At semper est verum, desideria ejus generis pertinere ad Charitatem aut elicientem, aut imperantem, et quidem potiori ratione, quam Religioni tribuitur actus Fidei, Spei, aut Charitatis ex Augustino dicente, coli Deum Fide, Spe, et Charitate. Ratio hujus insinuata jam est, quia scilicet Charitas est radix, et forma virtutum, perfectior omnibus, et per se, et primario imperans, movens, atque determinans earum actus.

114. Quæ dicta sunt nobis de amicitia supernaturali, in qua frequenter intervenire solent desideria ex motivo formali ejusdem amicitiae, licet ad speciem pertinere videantur ad amorem concupiscentiæ, contingere sæpe videmus in amicitia honesta naturali unius ad alterum, et in amicitia politica boni, et honesti Civis erga Communitatem. Exempli causa. Amicum habeo, qui varijs fortunæ casibus ad eas est reductus angustias, ut dura egestate prematur. Ego sane de amici infortunio ex sincera condolens amicitia vellem illum in pristinum statum revocare; sed non est penes me sic amicum de meis elevare, nisi munus obtineam, seu provinciam, quam jam ante amici casum, medijs adhibitis ordinarijs, obtinere conabar; nunc vero amicum eligendi causa, muneris exardet desiderium, unde et conamina replico, preces extendo, nulli parco exquisitæ diligentiae, arripiendo media non eligenda certe, nisi amicum summa premi paupertate considerarem. Quæro igitur, an hoc meum desiderium muneris obtinendi ad propriam meam felicitatem pertineat, an ad amicitiam? item an sit amor concupiscentiæ, an ex amore oriatur verissimæ benevolentiae? Clara profecto responsio est. Desiderium expressum in idem bonum intendit, et idem

bonum procurat; sed ante amici casum erat plane desiderium ad concupiscentiam pertinens, post amici vero casum ab amore nascitur amicitiae, cujus objectum motivum plane respicit, unde est desiderium, per quod amico bonum desiderat.

115. En alterum exemplum in amicitia politica, ex quo idem demonstratur. Cives erat Mexici amantissimus Patriæ, suorumque concivium, qui honeste negotiando ad maximam fortunam pervenerat. Casu autem accidit, ut Civitate ingenti concussa terræmotu, publica Ædificia corruerint, cum pecuniosus Civis naves suas miserat in Europam mercibus onustas pretiosissimis, et ex Europa in Americam delaturas genera multa. Ut primum damnum observavit Negotiator, destinat illico damnis publicis reparandis quidquid lucri ex mercibus citro, utroque delatis acquirere posset, negotiationem per litteras, amicos, aliaque media exquisita procurando, urgendo, et securissimam reddendo. Prima navium transmissio, et negotiationis institutio ex amore proprio ditescendi orta est, ex eoque accrescendi desiderium est profectum, sed post infelicem Civitatis eventum jam ex amicitia politica, et ex amore benevolentiae erga concives lucri capendi desiderium oriebatur. Sic igitur homo ex supernaturali Spe, et ex amore ordinatissimo concupiscentiae desiderat foelicitatem propriam, sed considerans Dei visionem medium esse certissimum ad amicitiam indissolubilem, non interruptam, et æternam cum Deo propter ipsum, vult jam Dei visionem, et foelicitatem propriam propter Deum ipsum, ut ei soli semper vivat, et ut ei tradatur in æternum, ut eum semper amet propter se, et semper confiteatur Deo, quoniam bonus est. Hoc esse videtur illud, quod desiderabat Rex David, dum Ps. 141. dicebat: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.* Quod S. Augustinus intelligit de corruptione corporis. Quem versum recitans S. Franciscus (Deo, ut credo, inhians in æternum confiteri) animam efflavit, ut in ejus vita testatur S. Bonaventura.

116. Jam vero prius quam ad indagandam in particulari mentem aliquorum Patrum accedo, juvat ad Scholæ usum proponere syllogismum ex doctrina ab Auctore tradita, illumque excipere in commodum lectoris ex iis ipsis, quæ firmata sunt nobis. En argumentatio Bolgeniana. Sancti Patres nobis repræsentant charitatem expressionibus *sitis*, et *desiderii* videndi Deum, eoque fruendi; *sitis* hæc, atque desiderium est amor concupiscentiae: ergo charitas actualis est verus amor concupiscentiae. En nostra responsio. Sancti Patres nobis repræsentant charitatem per *sitim*, et desiderium videndi Deum, eoque fruendi propter ipsum tanquam rationem motivam desiderii, vel *sitis*, concedimus; propter visionem, aut fruitionem tanquam rationem movendi, negamus. Nam si sermo sit de Charitate elicente desiderium visio, fruitio, possessio, et consecutio est objectum materiale, et

pure terminativum ejusmodi desiderii, et charitas unice respicit unionem illam *propter Deum*, quocum ardentem amans perfecte uniri desiderat. Dixi de *Charitate elicente*, nam si sit sermo de Charitate imperante, ad eam etiam spectat desiderium visionis, et fruitionis *propter se ipsam*. Ex quo unice conficitur, actum concupiscentiæ æternæ beatitudinis a Charitate imperari. Id quod nedum verum est, sed etiam frequentissime accidit, cum videndi Deum desiderium est ardens, et insatiabile. Profecto omnem fere doctrinam, quæ a nobis tradita est in præsentem §. pro intelligentia vera, germanaque SS. Patrum, qui proferuntur ab Auctore, complexus est scitissime verus ille Theologus, et in exponendis Patribus solertissimus V. Cardinalis Robertus Bellarminus ita scribens, sapienter ut solet, lib. 5. de Justif. cap. 9. *Cupimus videre Deum, atque ea Visione felices effici, ut tanto ardentius, et securius Deum diligamus . . . Vix contingere solet, ut aliquis ardentem appetat videre Deum, nisi quia ardentem amat ipsum Deum amore amicitiae, ita ut cupiat eum videre, quia diligit eum, non quia diligit se. Quam ille movetur parum catena Patrum Bolgeniana, qui potissimam ætatis suæ partem in eorum accurata meditatione consumpsit!*

§. I X.

*Quenam sit S. Bernardi mens in Tractatu de diligendo Deo?
Ubi et de Juliano Pomerio.*

117. **Q**uamvis ex iis, quæ in genere exposita sunt nobis de mente Sanctorum, vix quidquam ex eorum loquendi ratione adferri congruenter possit, quod explanatum non sit, juvat tamen de aliquorum mente tractare privatim, tum ut magis splendeat amor benevolentiae Theologorum, tum ut Bolgenii conatus Bernardum, Thomam, Hugonem, et Bonaventuram appellantis non retundamus modo, sed irritos etiam, et imbelles ostendamus. Et primo quidem agendum est de Bernardo, cujus compendium ex tractatu de Diligendo Deo nobis repræsentat Auctor suum ex illo firmans systema de amore concupiscentiæ. Ego sane legi non semel tractatum Bernardi, et mecum ipse reputans, et expendens singulas S. Doctoris sententias, quid in iis invenerit homo prudens pro opinione sua cordatis hominibus persuadenda, plane non video. Ad rem veniamus. Propositio, quæ in hoc ad Haymericum Tractatu proponitur a Bernardo, et operis partitio adeo est clara, et explicata sapienter, ut in lectoris gratiam placeat mihi potius Bernardi exordium transcribere, quam ejus epitomem conficere. *Vultis ergo, inquit S. Pater, a me audire, quare, et quomodo diligendus sit Deus? Et ego. Causa diligendi Deum, Deus est. Modus, sine modo diligere. Est ne hoc satis? Fortasse utique, sed Sapienti. Cæ-*

terum si insipientibus debitor sum, ubi sat est dictum sapienti, etiam illis gerendus mos est. Itaque propter tardiores idem profusius, quam profundius repetere non gravabor. Ob duplicem ergo causam Deum dixerim propter se ipsum diligendum: sive quia nihil justius, sive quia nihil diligi fructuosius potest. Duplicem siquidem parit sensum, cum quaeritur de Deo, cur diligendus sit? Dubitari namque potest, quid potissimum dubitetur; utrum nam quo suo merito Deus, aut certe quo nostro sit commodo diligendus? Sane ad utrumque idem responderim; non plane aliam mihi dignam occurrere causam diligendi ipsum præter ipsum.

118. Neminem ego fore crediderim, qui hoc in exordio non videat apertissime amorem benevolentiae. Quid enim sibi volunt verba illa: *causa diligendi Deum est Deus*? Quid item illa: *Deum dixerim propter se ipsum diligendum*? Quid illa tandem: *non plane aliam mihi dignam occurrere causam diligendi ipsum præter ipsum*? An non collocant in Deo solo totam rationem motivam amoris, nihilque, quod in eo non sit, exprimunt motivum non dignum amoris Dei? Possunt quidem esse aliae causae, quæ nos disponant ad amorem, et quæ nos ducant in cognitionem divinæ Bonitatis, sed nulla esse potest, quæ ad amorem immediate nos moveat præter Deum ipsum, ut mille modis demonstravimus, et potissimum ex D. Thoma, quocum mire consentit Bernardus.

119. Duas ergo causas proponit Mellifluus Doctor, ex quibus diligi debet Deus propter se ipsum. *Meritum Dei*, et *præmium nostrum*; quod exigit justitia ex parte Dei nos primum amantis, et quod exigit ex parte nostra fructus, et commodum. Hæc ultima causa ex Bernardo est pure dispositiva, cum Charitas apud ipsum præmium quidem mereatur, illud tamen non requirat. At illa prima meritum Dei respiciens intrinsecum est vera causa amoris immediate motiva, cum sit ipse Deus infinite dignus, ut a nobis ametur. In ea tamen tractanda inserit Bernardus sermonem longum de beneficiis tum naturalibus, tum potissimum supernaturalibus, ex quibus ad Dei amorem, et Bonitatem divinam cognoscendam, et propter se ipsam amandam sublevamur. Hinc multa colligit etiam in hac parte prima, ut nos disponat ad Deum amandum propter ipsum, et ex quibus lectori manifeste persuadet, justitiam ipsam exigere, Deum ab Angelis, Christianis, et Paganis debere propter se ipsum diligi. Hæc est Bernardi germana mens, ut eum legenti constabit liquido magis, quam esse diem, dum omnia a Sole collucent. Vidit illam Illustrissimus Bossuetus, qui profitetur ingenue, Bernardum in eo tractatu commendare amorem benevolentiae, quamvis et amorem quemdam secundarium, et implicitum concupiscentiæ latere contendat. Vidit item amorem benevolentiae Cl. Rubeis Bossueti Sectator, et laudator egregius, qui in *Controv. de Charit. cap. 46.* commentans Bernardi tractatum ita scribit: *Primæva hæc ratio (diligendi Deum merito suo) scilicet convenientia*

objecti amati ad amantem reperitur in amore benevolentiae, et amicitiae, quo Deum in se bonum diligimus tanquam finem ultimum, in quo bonum idem divinum volumus Deo, tanquam fini cui ac insuper bona quæsumque exteriora, quæ in ejus honorem, et gloriam, et laudem referuntur.

120. Unus Bolgenius amorem ibi benevolentiae non vidit, sed ut est hominis quævis arripientis in opinionem ante conceptam, unum ille amorem concupiscentiae videre sibi visus est in omnibus fere verbis. Atque hæc est causa, cur compendium tractatus extraxerit. At quo fractu? Quo operæ pretio? Qua in rem suam utilitate? Plane nulla. Videamus, quas ex prima parte tractatus rationes adducat: *Non aliud, inquit Cl. Auctor, agit S. Doctor, quam exponere rationes diligendi Deum, et inter eas illa est prima, amor nempe Dei tantus, ac talis, ut Filium Unigenitum nobis dederit, mortique tradiderit pro Redemptione nostra. Addit, rationem istam valere etiam pro Angelis; nam qui hominibus subvenit in tali necessitate, servavit Angelos a tali necessitate. Concludit, Paganos amare quoque Deum debere, a quo bona corporis, et animæ accipiunt. Unde satis per legem naturalem ex perceptis bonis animæ, et corporis moveri possunt, quatenus Deum propter Deum et ipsi diligere debeant.* Hic est nucleus rationum, quæ ex prima tractatus parte extrahuntur ab Auctore contra amorem benevolentiae. Dixi prius, nulla in rem suam utilitate similes rationes produci, nunc vero majus aliquid dico, eas ipsas amorem benevolentiae invictè probare. Qui enim Deum amat, quia amatur a Deo, Deum amat propter ipsum, cum Dei erga nos amor sit ipsa Dei Bonitas, ut alias diximus. Hinc ratio ista meriti, ut Deus ametur, qua parte dicit amorem Dei erga nos, non est causa dispositiva ad amorem, sed vere motiva, cum sit meritum intrinsecum in Deo residens, atque adeo Deus; est autem causa dispositiva, prout importat beneficia in nos abundantissime collata, quæ ex amore illo promanant, et ex quibus ejus magnitudinem intelligimus. Cum autem ad amplitudinem amoris tanti, et divinæ Bonitatis altitudinem cognoscendam ex datis muneribus pervenimus; non jam propter beneficia, sed propter amorem, et bonitatem amamus, Deo reddentes amorem talem, spontaneum, et gratuitum, qualem et ipse Deus erga nos ipsos habuit.

121. Hic est sensus clarissimus S. Bernardi toties a nobis expressus tum in Serm. 83 in Cant., tum in Serm. de Passion., tum in lib. de Dign. divin. amor. Quod idem declarat., atque confirmat hoc ipso in loco eo potissimum intentus, ut amor noster omnino respondeat, quoad fieri potest, amorì Dei. *Quid retribuam, inquit, pro omnibus iis? Illum ratio urget, et justitia naturalis totum se tradere illi, a quo se totum habet, ex se toto debere diligere... Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? In primo opere (creationis) me mihi dedit, in secundo (reparationis) se. Et ubi se dedit,*
me

me mihi dedit. Datus ergo et redditus me pro me debeo, et bis debeo. Quid retribuam pro se? Nam etsi millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Jam vero quis non videat, hanc retributionem, commissionem, traditionem, et redditionem creaturæ ad Deum esse verissimum amorem benevolentiae gratuitum, et spontaneum, per quem creatura exhibere conatur aliquam recompensationem pro amore illo verissimo benevolentiae, quo Deus illam creavit, redemit, sanctificavit? Quis autem mente confingat, retributionem ejusmodi esse amorem concupiscentiae, per quem creatura suam quærat fœlicitatem æternam, visionem, et fruitionem Dei?

122. Profecto ex hoc amore concupiscentiæ non quæ Dei sunt, sed nostra quærimus; at intenta a Bernardo recompensatio, quæ Dei sunt, quærit, non quæ sunt nostra. Sic enim amorem amori reddimus, eique nos reddimus totos, qui se totum tradit nobis. Quod si omnia transcriberem, quæ in hanc rem hic affert, et alias S. Doctor ad amorem nostrum excitandum, et gratuitum, et spontaneum, talem videlicet, qualem a Deo suscipimus, ita ut ex virtute hujus amoris nihil intendamus nostrum, sed quæ solius sunt Dei, longa esset ultra modum responsio nostra. Unum tamen hic velim Bolgenium advertere, quod non illum observasse ex Dissertatione colligo. Quod nam illud? Duo Bernardum exprimere longe distincta, cum de Paganis scribit: *ex perceptis bonis corporis, animæque moveri possunt quatenus Deum propter ipsum et ipsi diligere debeant.* Primum est *moveri a bonis*, quæ verba causam indicant dispositivam, ex qua Pagani excitari debent ad Dei bonitatem cognoscendam, eamque propter ipsam amandam. Alterum est *diligere debeant propter ipsum*, in quibus et amor benevolentiae continetur, et ejus objectum motivum.

123. Atque hæc quidem de prima parte Tractatus S. Bernardi, veniamus ad alteram, quæ tantum abest, Auctori ut faveat, immo etiam hic ipse aliud agit fere nihil, quam explicare mentem S. Doctoris in locis, quæ sibi videntur esse contraria. Non enim, scribit Bernardus, *sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen meretricaria est.* Quid ad ista non sane obscura Bolgenius noster? Illud nimirum. *Loquitur hic aperte Bernardus de mercede, et de præmio, quæ Deus non est. Nam si nomine mercedis, aut præmii Deus ipse intelligatur, id est ipsum, quod quæritur per Charitatem, unde addit S. Doctor se ipsum explicans: verus amor se ipso contentus est: habet præmium, sed id, quod amatur. Quanto magis Deum amans anima aliud præter Deum sui amoris præmium non requirit? Aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum amat.* Pulchre, belle, optime. Bernardi mentem certo tenes, Clar. Domine, nec quidquam verius dicere ipse potuissem, magisque sensui conforme Sancti Parentis. Propter hæc, et alia, quæ in tua observo Dissertatione, in amorem ipsum benevo-

len-

lentiæ te ducit ingenii bonitas; sed vero te retrahit statim, quæ alte insedit animo, opinio ante concepta. Id quod in præsentî contingere video in expositione Bernardi, ubi tuis in verbis amorem benevolentia manu ipsa contrecto. Nam qui amore Dei contentus solum Deum quærit propter ipsum, in eodem ipso sistit, quin ad se regrediat, fruitionem, seu possessionem scilicet exoptans. Hic est profecto amor benevolentia Theologorum, apud quos amor concupiscentia movetur etiam partialiter a possessione ipsa, seu fruitione. Et ob hanc causam regreditur ad amantem, nec perfecte sistit in amato. Sed videndum erat tibi, quod sic explicans Bernardum cum cæteris Theologis ense in te ipsum inconsulto abdis capulo tenus. Nam charitas, te fatente, nihil quæret proprium amantis, non quæret fruitionem (*il godimento*, quo toties uteris verbo) non quæret adeptionem boni, non quæret visionem Dei, non quæret foelicitatem formalem, quietem, gaudium, delectationem in Deo. Hæc enim omnia actus sunt vitales a Deo distincti. Quid igitur agendum de Patribus, qui in sensu obvio, claro, naturali, et qui primum se objicit menti, ut dicebas, nos docent ad amorem illa movere, quæ per te non quærentur a charitate? Illos profecto deseris, Bernardum si tenes.

124. Vide te velle omnia conciliare pugnancia, cum addis. *Qua ratione Deus est præmium, et merces hominis? Dando nempe se ipsum clare videndum, et æterna foelicitate fruendum. Charitas igitur Deum quærens ut objectum foelicitatis, et beatitudinis hominis, Deum amat propter se ipsum, non quærit mercedem præter Deum, nec est mercenaria.* Verum hic terminorum ambiguitate convolveris, et claram Dei visionem, ejusque fruitionem cum Deo ipso confundis. Deus est, inquis, præmium, et merces, *dando seipsum homini videndum*: ergo Deus, colligam et ego, in se ipso non est vere præmium formale, non est vere merces formalis, ut postea videbimus ex S. Thoma, sed solum est præmium, et merces *Deus videndus, Deus fruendus*. Qui igitur quærit Deum propter se solum, non quærit Deum ut *videndum, et fruendum*, sicut a contrario qui Deum quærit ut *videndum, et fruendum*, non quærit Deum propter solum Deum. Distingue, precor, tria illa notissima Theologis, et æquivocationem vitabis, unaque videbis, Bernardum a te explicari minime posse. Aliud est visio, vel fruitio, aliud Deus, aliud complexum utriusque. Hinc datur beatitudo formalis, beatitudo objectiva, et beatitudo complexa, quod idem intellige de præmio, mercede, foelicitate, et siquæ sunt nomina ejusdem potestatis. Beatitudo formalis, quæ etiam essentialis vocatur a S. Thoma, nominat ex eodem S. Doctore 1. 2. q. 3. *adeptionem ultimi finis* et q. 5. *adeptionem perfecti boni*, unde quantum ad essentiam est aliquid creatum, nempe actus vitalis creaturæ. Est enim, ut repetit S. Doctor *consecutio finis ultimi*, et consistit essentialiter in *conjunctione hominis ad bonum increatum*. Beatitudo objectiva est ipse De-

us, unde Beatitudo quantum ad causam, vel objectum ex eodem S. Doctore est aliquid increatum. Tandem Beatitudo complexa est *Deus visus, et obtentus*.

125. His positus facile detegitur æquivocatio tua, et quid sibi velit Bernardus, ante oculos ponitur. Namque ipse a præmio objectivo transis ad præmium formale, et complexum, dicens, Deum esse præmium hominis diligentis, quia *se dat clare videndum*, unde amans quærit illum *ut clare videndum*. Contra Bernardus asserit, Deum unum propter se ipsum a Charitate quæri, non autem *ut præcise videndum*, tanquam rationem motivam etiam partialem, sic enim mercedem quæreret, præmium requireret, et jam diligeret intuitu præmij. Quia tamen Caritas per aliquem sui actum consecutionem Dei quærit propter Deum, idcirco consulto addit S. Doctor eodem in loco: *nam quid quid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis per tendit, non per quod tendit*. Est igitur certum, et ab omni alienum contentione, charitatem præmium non requirere, sed unice Deum quærere propter se ipsum; nam quod Deus sit ipse, qui est, et quod sit affectus bonis extrinsecis, in quibus est amor, obsequium, et laus, per quæ glorificatur, hoc, ut aiebat supra Chrysostomus, est amanti magna merces, *Regnum Cælorum, voluptas, divitiæ, gloria, honor, lumen, ac beatitudo*. De illa igitur gaudent Sancti videntes jam clare, Deum esse talem, qualis est de facto, per gaudium longe majus, et perfectius, quam sit gaudium de propria beatitudine.

126. Alter est Bernardi locus, in quo explicando mirum quantum laborat Bolgenius: *Est, qui confitetur, inquit S. Doctor, quoniam potens est, et est, qui confitetur, quoniam sibi bonus, et est, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est*. Quem quidem locum nos integrum retulimus cap. 2. §. 2. ubi et advertimus, solum amorem proprium filij defferre Patri, et ei confiteri, *quoniam bonus, quoniam bonus in se, quoniam bonus simpliciter*. Quid ad hæc systemati suo accommodanda Auctor adducit? Illud nempe quod sane mireris. Sanctus Doctor per illa verba, *quia bonus in se, non quia bonus nobis*, solum excludit ab amore cupiditatem tum bonorum temporalium, tum bonorum æternorum a Dei possessione distinctorum. Nugari id quidem mihi esse videtur, velle id in re tam clara persuadere lectori, qui oculos habeat ad legendum Bernardum. Primum enim S. Doctor excludit ab amore quidquid ad aliud tendit, et ex alio movetur, quod Deus non sit bonus in se, bonus simpliciter, bonus secundum se, ut hoc ipso in loco non semel repetit. Atqui gaudium de Deo (il godimento di Dio faccia a faccia) non est Deus bonus, bonus in se, bonus simpliciter. Ergo amor Bernardi non movetur ex gaudio in Deo, vel de Deo. Hoc igitur gaudium excludit a ratione motivi Charitatis. Deinde amor ex Bernardo id præmij non intendit, quod ipse meretur; atqui meretur potissimum

num essentielle præmium : hoc ergo non intendit, nec ex eo move-
tur. Quid enim aliud significant verba illa? *Verus amor præmium non
requirit, sed meretur?* Quid item illa? *Non enim sine præmio diligitur
Deus, etsi absque intuitu præmii diligendus sit.* Dicere autem hic lo-
qui Bernardum vel de præmio temporali, vel de præmio accidentali
ab æterna beatitudine distincto, est manifeste ablutere a veritate, cum
sermonem faciat S. Doctor de præmio, *quo Charitas vacua esse non
potest, de præmio, quod amanti debetur, quod perseveranti redditur.*
Postremo Bernardus excludit ab amoris motivo, quod sit amantis prop-
rium, quodque suum sit, et quod non sit solius Dei: præmium autem
essentiale proprium est amantis, est res sua, et non est solius Dei.
Nam præmium est ejus, qui meretur præmium, et in cujus concedi-
tur commodum. Qui ergo præmium quærit, ex virtute illius actus non
quæ Dei sunt, quærit, sed quæ sunt sua.

127. Proponit tandem Bolgenius quatuor amoris gradus, de quibus
in hoc tractatu Bernardus, et omissis duobus primis, ut qui ad
Charitatem non pertinent, e duobus ultimis non nihil in rem suam
elicere conatur. *Amare Deum, inquit, propter dulcedinem, et volupta-
tem, quæ ab ipso recipitur, est tertius amoris gradus juxta Bernardum.*
Nam homo quærens a Deo felicitatem suam temporalem incipit paulatim
eum cognoscere, et degustare, et sentire in eo consolationem, et tunc in-
cipit amare illum propter perfectiones, et attributa. Hæc Bolgenius de
tertio amoris gradu; de quarto autem, in quo ait Mellifluus Doctor,
quod homo in illo constitutus eo tandem pervenit, *ut se scilicet diligit
tantum propter Deum, illud infert: Ergo non est contra naturam amo-
ris, quod homo diligit se; ergo amor perfectissimus Charitatis est dile-
ctio ejusdem creaturæ, atque ideo amor concupiscentiæ.*

128. Verum hæc adeo mihi debilia visa sunt, cum Bernardum le-
gebam, ut vel ea tangere vix non superfluum existimarim. Dicendum
tamen quidquam propter eos, qui Bernardum ad manum non habeant.
Et ad primum, quod attinet, falsum est prorsus, S. Doctorem asse-
rere, tertium esse amoris gradum: *Deum amare propter dulcedinem, et
voluptatem.* Id enim illi imponit Auctor pro genio suo intendens in
voluptatem, et dulcedinem tanquam in motivum amoris. Hæc sunt
verba Bernardi: *at vero cum ipsum (Deum) cæperit occasione propriæ
necessitatis colere, et frequentare cogitando, legendo, orando, quadam
hujusmodi familiaritate paulatim, sensimque Deus innotescit, consequen-
ter et dulcescit, et sic gustato quam suavis sit Dominus, transit ad ter-
tium gradum, ut diligit Deum, non jam propter se, sed propter ipsum.*
Ubi est hic, quod ajebas, Bolgeni, Deum diligere propter dulcedinem,
et voluptatem esse tertium amaris gradum a Bernardo descriptum? Ego
lego verba omnino contraria: *ut diligit Deum non jam propter se, sed
propter ipsum.* Sed quia in cæteris verbis legisti *dulcescit, legisti, sua-
vis, satis fuit tibi, ut voluptas, et dulcedo esset objectum motivum
amoris.*

129. Ipsa loquendi ratio S. Bernardi docere te debuisse, quod alias non semel dixi, ea scilicet, quæ præcedunt ultima verba *propter ipsum*, quibus signatur objectum motivum, esse dispositiones, vel causas dispositivas, ex quibus illicimur, excitamur, et disponimur ad amandum. Idcirco ait Mellifluus Doctor: *at vero cum ipsum cæperis occasione etc.* ubi satis ostendit, cultum, cogitationem, lectionem, orationem, experimentum, et dulcedinem ex familiaritate cum Deo resultantem mirifice disponere nos ad Deum propter ipsum amandum. Qua de re multa dedimus de delectatione loquentes omnem actum virtutis consequente, et animam reficiente, ac roborante. Unde et ipse Bernardus disserte dicit in hoc eodem tractatu ad ejusmodi amorem *plus illicere (expende verbum) gustatam suavitatem, quam necessitatem nostram*. Præterea ut tibi magis innotesceret, nec dulcedinem, nec voluptatem esse *motivum* amoris, sed illicium, et totam novendi vim Deo ipsi ut bono in se reservari, observare debuisses, quod addit Bernardus de hoc tertio amoris gradu: *Justus est (hic amor) quoniam qualis suscipitur, talis et redditur. Quia enim sic amat, baud secus profecto, quam amatus est: amat quærens et ipse vicissim, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; quemadmodum ille nostra, vel potius nos, et non sua quæsit*. Non igitur amor ille tendit ad propriam hominis foelicitatem, dulcedinem, vel voluptatem, vel ad quærenda sua, sed ad ea, quæ Jesu Christi sunt, totis viribus peragenda, ut sic possit quodammodo amoris Jesu Christi respondere.

130. Et hic obiter notanda est Auctoris incohærentia non modo circa hunc tertium Bernardi gradum, verum etiam circa quartum, de quo deinceps. Ait enim, S. Bernardum quatuor hic exprimere amoris gradus, quos eosdem distinguit, et explicat majori cum claritate, et præcisione S. Augustinus lib. 3. de Catech. rud. cap. 7. De claritate, et præcisione majori non disputo, quemquam, ut dicam ingenue, mihi saltem clarior videtur, et expeditior, atque minus obnoxia difficultatibus explicatio Bernardi, quam Augustini expositio. Adeo sunt inter se discrepantia hominum judicia! Ad rem venio, et illud animadverto, non potuisse Auctorem hæc scribere, si sibi constans volebat apparere Lectori. Nam tertius Bernardi gradus, et Augustini tertius nimium quantum discrepant in opinione ipsa Bolgenij. Tertius gradus Melliflui Doctoris est juxta Auctorem verus Dei amor propter ipsum, est Charitas illa Theologica, quæ hominem justificat extra Sacramentum, est amor ille, ultra quem vix ulli mortalium hac in vita datur habere perfectiorem, ut testatur Bernardus. At tertius Augustini gradus non est ex Bolgenio a num. 155. usque ad 160. amor perfectus ad justificationem sufficientem extra Sacramentum, sed amor, ut ait, initialis, qui et adjutus motivo timoris non egreditur fines attritionis ad Sacramentum sufficientis. Qua ergo doctrinæ consensione hic docet oppositum, tertium nimirum Augustini gradum cum
ter-

tertio Bernardi confundens? Nec minus displicet Auctor, ad quartum quod spectat. Primum, quia quartus Augustini gradus est frequens hominibus justis. Imo est apud Bolgenium illa sola Charitas, quæ justificat extra Sacramentum. Unde omnis homo habens actualem istam Charitatem debet ex Auctore in hac quarta classe hominum amantium collocari. At quartus Bernardi gradus respicit apicem unionis illius maximæ, affectivæ, et transformativæ hominis in Deum, ad quam utrum anima quantumvis dilectissima in hac unquam vita pervenire poterit, multum ille dubitat. *Nescio, si a quoquam hominum, scribit S. Doctor, quartus in hac vita perfecte apprehenditur... Asserant hoc, siqui experti sunt; mihi fateor, impossibile videtur.*

131. Hac igitur Auctoris incohærentia prænotata, veniamus ad alterum, quod pro sua profert opinione ex quarto Bernardi gradu, de quo sic scribit S. Doctor. *Ex hoc jam quartus ille amoris gradus perpetuo possidetur, cum summe, et solus diligitur Deus, quia nec nos ipsos jam nisi propter ipsum diligimus, ut sit præmium amantium se, præmium æternum amantium in æternum.* Hic autem Bolgenius ita subsumit: ergo cum Deum amamus, et nos ipsos amamus, sed unice in ordine ad Deum, id est, *amamus nos, ut obtineamus possessionem Dei æternam, et præmium amoris nostri: ut sit ipse præmium amantium se.* Sed vero ego nullam hic esse difficultatem video, quæ facessere negotium possit Auctoribus amoris benevolentiæ; nam dum quis se amat propter Deum, vere amat Deum amore benevolentæ, sicut dum propter Deum ipsum proximum amat. Et hoc est, quod signate tradit Bernardus. Unde non erit contra Charitatem etiam perfectissimam, sed erit potius verissimus actus Charitatis amare se propter Deum. Quare si illud in ordine ad Deum, quod de suo ponit Auctor, idem significat, ac propter Deum, ut significare videtur, en tibi Bolgenium iterum admittentem amorem benevolentæ, nam cum me ipsum amo propter Deum, me ipsum in Deum actu refero, et in ipso sisto, et non regredior ad me, mihi quærens, et procurans æternam foelicitatem. Ratio est evidens, quia sicut, dum amo proximum propter Deum, infinita Dei bonitas est objectum *motivum*, et ultimum amoris, et proximus est objectum ejusdem materiale; ita dum me amo propter Deum, ego ipse sum objectum pure materiale, et infinita Dei bonitas est objectum formale, *motivum*, et ultimum, in quo sisto. Hæc omnia plana sunt omnibus, nec ulli Theologorum non peraperta; sed illa statim Auctor obscurat lucem eripiens verbis, quæ addit: *amamus nos, ut obtineamus possessionem Dei æternam, ut præmium amoris nostri: ut sit ipse (Deus) præmium amantium se.*

132. Quis hæc dum legat, peregrinam hominis expositionem non miretur? *Nos amamus propter Deum, id est, ut obtineamus possessionem Dei.* Cum igitur fieri non possit ex Bolgenio, ut quis Deum amet, quin se amet propter Deum, id est, ut obtineat possessionem Dei,

Dei, videat ille, an Paulus Deum amat, cum scripsit, *permanere autem propter vos, necessarium*, quod contraponit Apostolus desiderio possidendi Deum, eoque fruendi. De qua affectione multa nos alias dedimus. Verum hanc ego difficultatem, alioqui gravem, vix quidquam in præsentem pendo; illud mihi videtur esse mirabile, Sanctos cum Christo regnantes, etiam post corporum resurrectionem (de ijs enim loquitur Bernardus) non esse Deum amatu-ros, nisi ut *Dei obtineant possessionem*, quod insulsum est, Bolgenio contrarium, et cum veritate pugnant. Insulsum esse prorsus, constat aperte ex notione ipsa verborum. Bolgenio esse contrarium, evincitur manifeste ex eo, quod amor apud ipsum in Cœlo non est desiderium, sed gaudium: *per desiderium in currendo, et per gaudium in requiescendo*, Tandem cum veritate pugnare, nullus profecto non videt, cum notum sit omnibus, Sanctos Deum jam clare videntes, eoque perfecte fruente non amare Deum, ut ejus possessionem obtineant, quod sine desiderio rei absentis concipi non potest, sed amare Deum, quem præsentem habent, et in quo fruite quiescunt.

133. Tria ista, quæ in nullius unquam mentem venerunt, singulari Auctoris opinionem necessario consequuntur; nam S. Bernardus applicat illa verba, quibus Auctor utitur, Sanctis regnantibus in Cœlo, et quidem non ante, sed post corporis resurrectionem, unde et addit: *ex hoc jam perpetuo possidetur. Hinc illa satietas sine fastidio etc.* Quod addit non esse perficiendum nisi post resurrectionem corporum. Quocirca verba illa: *ut sit ipse præmium amantium se*, non significant, *ut obtineant Dei possessionem*, quasi consecutio Dei sit motivum amoris, sed significant, Deum esse omnia Sanctis cum Deo regnantibus, et eorum gaudium esse perfectissimum de bonis nempe Dei, unde quod Deus sit talis, qualis nimirum est id ipsum est *gloria, præmium, salus, corona*, et quidquid boni excogitari potest respectu Sanctorum, qui de Dei beatitudine gloriantur, exultant, et lætantur multo sane magis, quam de sua. Non debuisset ergo Bolgenius vertere *ly ut sit præmium, perche Dio sia il premio*, sed *in maniera, che Dio sia il loro premio*; nec significat causam finalem, aut motivam, sed consecutionem, aut concomitantiam, quem sensum nobis exhibet particula *ut* non infrequenter in Scriptura, cui sese Bernardus accommodat.

134. Nec obscuriorem sensum habent verba Juliani Pomerii dicentis: *Deum propter se ipsum amandum esse . . . Ipse quippe est omnibus amatoribus vita beata, ac salus æterna, et regnum, gaudiumque perpetuum.* Si enim legatur attente Julianus cap. 25. lib. 3. de Vita contemplat. unde verba illa desumuntur, manifeste constabit, pugnare illum pro amore gratuito Theologorum, ex quo Deum amamus, ut amicum, nullo quæsito commodo proprio, vel utilitate. *Cæterum, qui amicum, inquit, propter commodum aliquod amat, non amicum convincitur*

tur amare, sed commodum . . . Qui autem diligit Deum propter Deum, sicut Deus æternus est, ita in æternum ipsa amici dilectio permanebit. Unde et dixerat prius, præstantiorem esse cæteris amoribus spontaneum amorem, quo Deum diligimus gratis, et amicum. Hæc mihi satis esse videbantur pro amore benevolentiae persuadendo ex ratione loquendi præfati Juliani: sed cum Cl. Auctor existimet, illam particulam, *quippe est vita beata* etc. declarare modum diligendi Deum propter se ipsum, proponenda sunt paulo fusius verba Juliani, ut quo tendat per illud *quippe*, intelligatur.

135. Sic igitur disserit: *Et ideo Deus quo nihil est majus, aut melius, propter quod diligitur, propter se ipsum perfecte diligitur. Si vero saltem, propter illa, quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, propter quod diligitur, ei (quod dictu quoque nefas est) antefertur. Ipse quippe est omnibus amatoribus suis vita beata, ac salus æterna, et regnum, gaudiumque perpetuum. Hoc accipiant, qui eum diligunt, quia solus erit illis omnia, quando ipse fuerit in omnibus omnia.* Illa igitur verba: *ipse quippe est amatoribus vita beata, gaudium* etc. non exprimunt motivum immediatum amandi Deum, neque declarant propter quod Deus amandus sit. Id enim jam prius statuerat per verba illa, *propter se ipsum, quo nihil est majus, nihil est melius.* Nec vide, vel quod res majore indigeat explicatione, vel quod clarius possit efferri. Deus diligendus est propter se ipsum, quia est Bonum summum, quia est Supremum amabile, quia est infinite dignus, ut ametur, quia id habet in se, et a se, et quia ipse est illud ipsum, quo majus quidquam, aut melius excogitari non potest. Id est enim, quod omnes percipiunt, cum legunt *propter se ipsum*, cum oculos figant in merito Dei intrinseco, de quo supra Bernardus. Pergit Julianus dicens, Deum non esse amandum propter alia, quæ præstat, præstareve potest; ipse quippe est suis amatoribus vita, salus, regnum, et gaudium. Quæ ultima verba idcirco addit, ut nos abducat ab amore cæterorum, et nos excitet ad amorem Dei propter ipsum, in quo omnia inveniuntur, et eminentissime continentur. Quo circa concludit. *Hoc accipient, qui eum diligunt, quia solus erit illis omnia, quando ipse fuerit in omnibus omnia.* Nec vero Julianus intendit significare, Deum esse vitam nostram formalem, vel gaudium formale nostrum, id enim ut sæpe notavi, est actus vitalis, per quem Deum videmus, eumque possidemus, sed esse causam, et Authorem vitæ nostræ beatæ, et objectum perpetui gaudii.

136. Hic est sensus naturalis verborum, quibus Auctor prædicitus rem non bene intellectam persuadere conatur, quia nimirum animum non intendit in sibi exosam distinctionem in causam motivam, et dispositivam. Sciat igitur illud *quippe* indicans bona, quæ in Deo sumus habituri, simodo illum amamus, propter se ipsum, et non præcise propter bona, quæ præstat, significare causam dispositivam, et

excitantem, ut potius Deum amemus propter ipsum, quam propter cætera alia, quæ conferre potest. Id enim agentes, nihil non invenimus in eo, qui solus est omnia amatoribus suis. Sciat item particulas illas *quia quippe* etc. et similes frequenter innuere causam unice materialem, seu dispositivam, ut *lignum comburitur, quia igni applicatur*, interdum conditionem, ut *timeo taurum, quia video esse ferocem*, interdum causam pure negativam, ut *peccatur in legem, quia non punitur transgressio*. Ex quibus constat, quam recte scripserit S. Thomas, amare nos debere Deum propter se ipsum ex beneficiis nos disponentibus ad Deum amandum. Doctrina hæc præ oculis habenda est pro intelligentia aliorum Patrum, qui dum nos ad Deum amandum propter se ipsum adhortantur, non raro adjungunt causas alias, quæ nos disponunt ad amorem divinum, ut videmus in Bernardo, et in Augustino observabimus.

137 Ut autem magis adhuc constet indubitanter, quid Julianus intelligat per illa verba *propter ipsum* in hoc ipso lib. 3. de Vita contempl. placet adjungere, quod tradit cap. 15. de dilectione proximi, quæ certe idem habet objectum motivum *propter ipsum*, ac Dei dilectio. Sic enim scribit. *Proinde secundum nos proximos omnes diligimus, quando ad mores componimus, et ad æternitatem consequendam, sicut nobis, saluti eorum consulimus; quando in eorum peccatis, ac periculis cogitamus, et sicut nobis subveniri optamus, ita eis pro viribus subvenimus, aut si facultas defuerit, voluntatem subveniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri vis, velis et proximo, et malum, quod tibi nolis accidere, nolis et proximo. Ubi duo hic emicant luce clariora. Primum est amor verissimus benevolentix erga proximum. Alterum, quod hæc bona voluntas, erga proximum propter Deum ipsum, ex qua illi volo bona, et potissimum æternam beatitudinem, non habet pro objecto motivo, quod Deus est *vita mea beata, mea salus, regnum, gaudiumque perpetuum*, et ut scribit Auctor, *consolatio*, sed habet pro objecto *Deum ipsum in se infinite dignum*, non solum ut ei velim omne bonum, sed etiam ut velim bonum proximo, qui est res Dei, et imago ejus capax æternæ Beatitudinis. Sic Excellentia Divina, quia est per se se radix, et fundamentum *honestatis cultus* proprii Divinitatis, est item radix, et fundamentum *honestatis cultus* terminati ad imaginem Dei propter Deum ipsum. Quod idem observare licet in cultu Hyperdulix respectu superexcellens Dignitatis B. M. Virginis, et in cultu Dulix respectu Dignitatis Sanctorum. Certum est igitur, Deum amari debere *propter se ipsum*, id est, propter infinitam dignitatem, et meritum intrinsecum, quod in se habet, a se, ex se, et propter se. Atque hæc de mente Bernardi, et Pomerij.*

Quo jure Bolgenius Sanctum Thomam laudet pro suo Systemate .

138. **Q**uinq̄ue , ut vidimus , proponebat Auctor ex doctrina S. Thomæ , ut amorem unicum concupiscentiæ stabiliret . Ea hic exponenda sunt accurate , ut quid illa valeant , quidve obsint , sepositis partium studiis , Lector ipse dijudicet . Primum punctum illud erat : *Benevolentia ex S. Thoma neque est amicitia , neque est amatio* . Brevissima sunt verba ista , sed tamen talia , ut in iis citandis , et explicandis tria videam errata Bolgenium admittere . Primum grave , leve alterum , tertium tandem multo gravius . Primo itaque verba illa non sunt S. Doctoris , sed Aristotelis . Nam S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 2. sic scribit . *Sed contra est , quia Philosophus dicit in eodem libro , quod benevolentia neque est amicitia , neque est amatio , sed est amicitia principium* . Verba igitur , quæ Bolgenius refert , non debent sic tribui S. Doctori , sed Philosopho , quem laudat S. Thomas . Est enim propositio , ut quisque videt , *modalis* , non *absoluta* . *Dictum* igitur per propositionem non est necessario tribuendum S. Thomæ ex ratione loquendi , qua utitur , sed unice *modus* , nempe *Philosophus dicit* . Cur ergo Bolgenius omisit hæc verba ? Cur in Dissertatione verbis illis utitur , perinde ac si essent ejusdem S. Doctoris ? Dicam , quod non semel venit in mentem . Videbat Bolgenius , e re sua haud quaquam esse , laudare Philosophum male sate audientem apud Sciolos , imperitos , et parum amantes ratiocinij , eumque fateri Auctorem enuntiationis , ac sententiæ , quæ litteris grandioribus semel , bis , iterum excribenda esset in Dissertatione tanquam principium minime infirmandum opinionationis suæ . Et ne odium Philosophi in suum etiam Opusculum irreperet , altum ei de Aristotele silentium , sed de S. Thoma verba multa nimis . At enim verba illa adoptat Angelicus Doctor . Adoptat illa quidem ; at non extendit , ut contendit Auctor , et æquitas postulare videtur , ne omittatur *Philosophus dicit* , neve propositio pure *modalis* ut *absoluta* representetur . Namque aliud iudicium ingenerat in lectore , ut per se patet , et ei tollitur potestas conferendi Aristotelem cum S. Thoma , ejusque mentem , fortasse non ita claram , indagandi .

139. Deinde S. Thomas non producit illam Philosophi sententiam nec in Corpore articuli , nec in responsione ad ea , quæ sibi objicit , argumenta , sed in argumento *sed contra* , quod maxime notandum est , et quod debuisset Bolgenius advertere , et monere Lectorem . Quis est enim sic peregrinus in evolvendis Theologiæ partibus S. Doctoris , qui nesciat , mentem ejus non ab argumento *sed contra* , sed a corpore articuli , quod incipit *Respondeo dicendum* , indagandam esse ? Id si

Auctori scribenti non occurrit, oblivionem certe deponere potuisset ex art. 2. q. 11. 1. 2. ubi tractat Angelicus Doctor *de fruitione*. Namque hunc articulum non potuit non legere, qui mentem S. Thomæ de fruitione explicandam suscipiebat. In hoc igitur articulo proponit Angelicus *in argumento sed contra* potissimam difficultatem ex Augustino desumptam contra sententiam suam, eique conatur satisfacere perinde ac cæteris argumentis. Sciat igitur Auctor, si forsitan id non averterit, non esse certum signum, ex quo mens Angelici detegatur, quod tradit *in argumento sed contra*. Hoc enim interdum negat, sæpe temperat, quamvis sæpissime probet.

140. Postremo, et est majus, ut dixi, Auctoris erratum, multum ille abest, ut S. Thomæ mentem teneat loco laudato. Legi ego quanta potui diligentia Philosophum, ejusque cum S. Doctoris mente doctrinam contuli, et illud inveni, non aliud fere docere S. Thomam, quam Aristotelem; imo articulum illius esse quandam quasi epitomem eorum, quæ de benevolentia tradit Philosophus 9. Ethic. cap. 5. Docet Aristoteles benevolentiam non esse *amationem*, nec *amicitiam*. Primo, quia benevolentia potest esse levis, imperfecta, non radicata (id quod docuerunt Plato, et Tullius, cæterique Philosophi, ut Suavius observavit), et proponit exemplum vulgare, quia erga pugiles benevolentiam habemus, dum inclinamur in hujus potius victoriam, quam alterius, sed vero sic tenuem, debilem, ac imperfectam, ut nullam pro eo, quem vincere volumus, molestiam subeamus. Hæc autem benevolentia non est *amatio*, quæ significat fervorem amoris, amorem radicatam, et consuetudine introductum. Secundo, quia ad *amicitiam* requiritur *redamatio*. Tertio, quia opus est, ut *redamatio* non lateat *amantem*. In eodem omnino sensu procedit S. Thomas articulo laudato, unde et proponit rationes easdem præter ultimam, quæ necessaria non erat pro eo obtinendo, quod conficere volebat. Recte igitur inquit S. Doctor in corpore articuli, benevolentiam per se se non esse *amationem*, cum possit esse levis, tenuis, et imperfecta, nec talis, qualis est amor benevolentiae Theologorum ad charitatem necessarius, unde et ipsum proponit pugilum exemplum. Sed nunquam invenies in S. Thoma dilectionem esse posse sine benevolentia, scilicet efficaci. Sic ergo, inquit, *in dilectione, secundum quod est actus charitatis, includitur quidem benevolentia* (non dicit superadditur) *sed dilectio, sive amor addit unionem affectus*.

141. Ex quo illud habemus: *in actu charitatis, et dilectione includi benevolentiam, sed amorem addere unionem affectus*. Primum evertit funditus systema Bolgenij, in cujus amore non includitur benevolentia; hoc vero secundum illi non favet, quamvis suæ quidquam causæ conferre ipse judicet, proptereaquod non observat rationem loquendi metaphysicam, qua utitur S. Thomas. Ut autem illa intelligatur, proponamus exemplum non Ontologis modo obvium, sed vel

Logicis satis totum. *Homo* esse non potest sine *rationali*, *homo* includit *rationalē*, et tamen *homo* præter *rationalē* addit et *animal*. Ecceur ita? Quia duæ rationes propriæ inveniuntur in homine, altera generica, quæ est *animal*, et altera differentialis, quæ est *rationalē*. Ex quo fit, ut species *homo* includat utramque, et præter unam, addat et alteram. In eodem sensu metaphysico, qui certe obscurus non est (et si cuiquam est talis, frustra leget Auctores proprias rationes rerum considerantes), loquitur S. Thomas. Dilectio, sed actus charitatis includit benevolentiam nempe efficacem, sed præter benevolentiam addit unionem affectus. Unde ad 1. ait: *quod benevolentia non ponit totam rationem ipsius (amoris) sed aliquid ad rationem ejus pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis actus*. Sic *rationalē* non ponit totam rationem *hominis*, sed aliquid ad rationem *hominis* pertinens, in quo maxime manifestatur *hominis natura*. Quare sicut vera est hæc propositio in sensu logico, et metaphysico rerum notiones speculante: *Homo est proprie rationalis; in hoc quod quis est homo, est rationalis*, ita veræ sunt ex S. Thoma 1. p. q. 20. art. 1. ad 3. hæ duæ propositiones: *Hoc enim est proprie amare aliquem, velle ei bonum*. Item: *In hoc vero, quod aliquis amat alium, vult bonum illi*. Ratio est eadem utrobique, sicut enim *animal* est genus, et determinatur per *rationalē*, ut *hominis* resultet species vel per *irrationalē*, ut inde resultet *brutum*; sic *unio affectiva* est genus, et determinatur per benevolentiam, ut sit amor amicitiae, vel per concupiscentiam, ut sit amor concupiscentiae. Si velis tibi bonum, amor erit concupiscentiae; si id velis alteri, amor erit benevolentiae. Id te, Bolgeni, ad extremum moneo, ne S. Thomam legas proprias rationes rerum expendentem immemor Ontologiae, cuius est eas mente discernere, atque separare.

142. Sed licet Auctori sit, ut arbitror, factum satis in hoc primo doctrinae puncto, restat tamen scrupulus, qui veritatis magis stabilien-
dæ causa expediendus est. Namque ex ratione nostra loquendi fit illud plane, ut benevolentia sit quasi genus, vel ratio superior respectu amoris efficaci, et inefficaci, et altera ex parte sit differentia amoris benevolentiae ab amore concupiscentiae. Hæc autem duo videntur esse pugnancia. Respondeo, modum nostrum loquendi Ontologicum esse, et ad Metaphysicos pertinere, qui facile conciliabunt respectu diversorum, quæ ad speciem videntur esse pugnancia. Enim vero *benevolentia* generice sumpta, et ut præscindens ab efficaci, et in efficaci, est ratio superior, et quasi genus respectu amoris levissimi, et amoris radicati, et utrique convenire potest; at *benevolentia* efficax est differentia amoris amicitiae ab amore concupiscentiae. Sic *intellectivum* in genere est ratio superior ad Angelum, et Hominem, cum utrique conveniat, et de utroque prædicetur, et nihilominus *intellectivum* connaturaliter pendens in intelligendo a sensatione phantasiae (quod est ipsum rationale) est differentia hominis a bruto. Mul-

ta ejus generis exempla dabit Ontologia, nec solum ea, sed etiam Theologia. Compara, precor, Visionem beatificam cum cognitione abstractiva fidei, et cum visione corporea, et illud invenies, Visionem beatificam convenire cum cognitione abstractiva fidei in prædicato *supernaturalitatis*, et ab eadem differre in attributo *intuitionis*; contra vero evenit, si fiat comparatio cum visione corporea, quacum convenit visio beatifica in ratione *intuitionis*, et a qua differt in prædicato *supernaturalitatis*.

143. Alterum doctrinæ caput, quod urget ex S. Thoma Cl. Auctor, mirabile est. Video enim in ejus versione, vel paraphrasi lapsiones multas, ex quibus errores totidem inducuntur in doctrinam Angelici. Ad probationem veniamus. Contendit Auctor, amorem concupiscentiæ esse apud S. Thomam in re ipsa amorem amicitiae cum additione solius actus benevolentiae, ex quo bonum amico desideratur. Id ut firmet, hanc S. Thomæ doctrinam 2. 2. q. 23. art. 1. affert. *Non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus . . . non est amor amicitiae, sed cujusdam . . . concupiscentiæ. Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum.*

144. Hæc D. Thomas apud Bolgenium p. 56; nec tamen ego voculam minimam detrahère sum ausus, sinceritatis memor, quamvis ipse detraxerit fortassis per inadvertentiam de vero S. Thomæ textu. En tibi versionem Bolgenii, quam non possum non demirari, dum eam cum textu confero *L' amor di concupiscentia vuole il bene soltanto per se (id non hic dicitur a Sancto Thoma, sed tamen error non est); l' amore di amicizia poi nel suo fondo e un amore di concupiscentia anch' esso (primus error adscriptus Angelico, in cujus mentem non venit similis opinatio), coll' aggiunta soltanto di un atto di benevolenza (alter Bolgenij error) onde si desidera il bene all' amico. La benevolenza non basta per formare una amicizia: per la amicizia si ricerca un mutuo amore fra gli amici; e l' amor sempre è fondato sulla partecipazione di qualche bene, che si desidera à se stesso per goderne (tertius error, et quidem maxime detegens paraphrasis, seu versionis infidelitatem), poichè l' amore, come già si è detto (errore nimirum semel, bis, iterum replicato) è un atto della volontà col quale noi desideriamo il bene a noi istessi, non ad altri. . . . In quanto dunque l' uomo deside-*

ra di godere Dio colla beatitudine, questo è amore di concupiscenza: in quanto desidera a Dio tutte quelle infinite perfezioni, e attributi, che egli ha, questo è un atto di benevolenza, (intelligit actum Religionis, unde et est quartus error), in quanto finalmente al amore di concupiscenza aggiunge questo atto di benevolenza, questo è un amor di amicizia. (primus, alter, tertius, et quartus error ad calcem repetitus.) Sic Auctor in verba S. Thomæ. Verum si sic licet vertere Doctorum verba sensum accommodando suum verbis ipsis latinis omnino repugnantibus, non erit locus venerandæ sinceritati, quæ maxime Patrum sententijs transferendis necessaria est. Credit Lector vel latinitatis ignarus, vel etiam in illa lingua bene versatus, versionem, vel paraphrasim Auctoris adamussim respondere notationi, quæ inferius adjungitur, et eam non curans sensum bibit Auctoris, quasi essent testimonia laudati Patris. Id in Bolgenio non raro admodum observo, unde et longior evadit, quam fore breviorē judicabam, impugnatio; sed subeunda molestia, ne tenebris offusa maneant veritas manifesta.

145. Quatuor nimirum in Bolgenio errores animadverto, quos demonstrare facillimum est. Verba S. Thomæ in loco laudato illa sunt. *Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 8. Ethic. non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus.* Cur igitur Bolgenius omisit illud: *Dicendum, quod secundum Philosophum?* Nam ex Philosopho discere potuisset, quid asserat D. Thomas ad mentem illius. Sed vero etiam hic timuit, ne ex odio Philosophi in suam etiam Dissertationem quidquam derivaretur invidiæ. Hæc autem omissio peccatum est minutum nimis, si cum cæteris conferatur. Ait igitur S. Thomas, quod amor amicitiae ex Philosopho est amor cum benevolentia: atqui amor cum benevolentia, de quo Philosophus in loco laudato a S. Doctore, est unicus actus, simplex, et individuus, actus nimirum benevolus, per quem alteri volo bonum sine admixtione, vel additione ulterioris actus, ut constabit homini non omnino cæco, quique verborum ultimas notiones formare valeat in legendis Auctoribus. Ergo amor amicitiae ex S. Thoma rem a Philosopho confirmante est unicus actus, simplex, et minime compositus ex amore concupiscentiæ, et ex actu benevolentiae.

146. Profecto Aristoteles in lib. 8. Ethic. a S. Thoma citatus tres enumerat species amicitiae, *honesti, utilis, et delectabilis*, perpetuo docens solam amicitiam honesti esse amicitiam veram, quia in ea sola inest amor verus, atque perfectus propter amicum, quia in ea sola amicus vult bonum amico, unde et ponit pro fundamento, quod amare aliquem est ei velle bonum. In hoc ergo sensu, nec ad unguem quidem ab illo discrepans, loquitur S. Thomas, qui et clarius adhuc sensum refert Philosophi, dum q. 5. de Charit. art. 3. pro verbis illis *amor cum benevolentia* ponit ea *amor perfectus. Charitas autem, inquit,*

quit: *est non quicumque amor, sed amor perfectus, quo Deus in se diligitur.* Et 2. 2. q. 17. art. 8. corp. ait similiter. *Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, ut puta, cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhaeret Deo secundum se ipsum.* Ex quibus facile conficitur, peregrinam esse, et omnino distortam expositionem Bolgenij contententis contra omnes omnino Commentatores Angelici, et contra communem sensum verba illa *amor cum benevolentia* duos actus includere, amorem scilicet concupiscentiæ, et actum benevolentiae spectantem ad Religionem, et idem prorsus significare atque *amor cum benevolentia superaddita, et realiter distincta.* Id quod præter dicta facile suadetur primo ex eo, quod ex S. Thoma, ut vidimus q. 27. art. 2. *in actu dilectionis includitur benevolentia, et in actu Charitatis includitur benevolentia.* Secundo, quia benevolentia, et Charitas sunt unus habitus apud S. Doctorem, ut alias notavi. Tertio quia 1. p. q. 20. art. 1. inquit: *proprie amare aliquem est proprie velle illi bonum.* Item: *in quo quis amat aliquem, in hoc vult ei bonum.* Parco plurimis alijs, quæ sunt in promptu, namque ea sunt satis, superque pro demonstrandis erroribus quatuor, quos Auctor affingit Angelico, quod scilicet apud S. Thomam amor amicitiae sit in re amor concupiscentiæ: quod benevolentia sit actus amori superadditus: quod amor semper tendat in bonum ut delectabile amanti: et tandem quod actus benevolentiae ad Religionem pertineat, et non ad Charitatem.

147. Placet tamen ad extremum rem confirmare clarissimo, quo usus sum in primo puncto, hominis exemplo: forsitan Bolgenius ab eo, quod semel instituit, deducetur. Cum homo sit *animal rationale*, non quodvis *animal* est homo, sed *animal cum rationali*, vel *animal perfectum*, vel animal jam constitutum per rationale in specie perfecta hominis. Sic non quicumque amor est amor amicitiae, sed amor cum benevolentia, amor perfectus, amor in sua specie perfecta constitutus per unionem affectivam benevolentiae. Quid est igitur, o Bolgeni, cur in re clarissima non des manus? An ea te detinent, quæ adjungis ex S. Thoma, nempe *quod amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi*: et item: *quando ille, qui est bonus in se, est factus amicus alicui, fit etiam bonum amico suo, quod malè vertis, diventa al tempo stesso dilettevole, ed utile al amico?* Vana sunt ista, nec remorari debent, quin veritati assentiaris. Primum illud est verissimum, nec enim esse posset amori locus, nisi unitas illa supponeretur, ut sapius dixi, probavi, atque firmavi. Alterum non utilitatem, non delectationem, sed honestatem respicit, maleque confundis tria illa bonorum genera, et contra intimum mortalium sensum contendis, non dari bonum nisi de-

lectabile. Unde idem peccatum peccas, quando verba illa, *qui amat amicum, amat quod sibi bonum est*, itale reddis, *ama il proprio bene, e interesse*. Agit hic S. Thomas de amicitia *honesta*, quæ non est præcise *utilis*, neque *delectabilis*: nec ad rationem boni requiritur utilitas. Ut enim inquit idem Angelicus 1. 2. q. 27. art. 1. *Unicuique autem est bonum id, quod est sibi connaturale, et proportionatum*. Quo autem sensu amor proprius sit radix, et forma amicitia commodius explicabitur cap. 6., et ob eandem rationem rejicimus ad punctum sequens communicationem bonorum, super qua fundatur amicitia. Hæc enim communicatio maxime conjuncta est cum objecto beatitudinis, ad quod jam venio.

148. Tertium punctum, quod ex S. Thoma urget Bolgenius, respicit potissimum Deum, ut objectum beatitudinis, indeque communicationem bonorum, super qua fundatur Charitas, cujus motus ad fruitionem tendere debet. Certum est, S. Thomam 2. 2. q. 23. art. 4. sicut et alias, asserere, bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habere rationem boni, et Charitatem, quæ hujus boni amor est, specialem esse virtutem. Quæ ratio Illustrissimum Bossuetum in eam traxit sententiam, ut crederet mixtum illum amorem, quem non satis explicat. Hoc tamen Bossuetum inter, et Bolgenium inest notandum valde discrimen, quod ille admittit, imo statuit, atque propugnat validissime amorem benevolentia, mixtum tamen amore concupiscentia, sic scilicet ut actus benevolentia, quem vult esse actum primum Charitatis, feratur in Deum bonum secundum se, actus vero concupiscentia, quem appellat secundarium, tendat in Deum ut nobis bonum, et beneficium. At Bolgenius negat primum omnino pugnaciter, et unice statuit secundum, quin illum proferat, proferre ve possit interpretem S. Thomæ, qui ejus verba hunc in sensum, intellexerit, et explicaverit.

149. Non est tamen negandum, verba illa D. Thomæ, quæ in hoc loco Auctor opponit, visa esse quibusdam difficilia. Et ob hanc rationem illum impugnat Scotus quasi non bene explicantem naturam objecti Charitatis, cujus est tendere in Deum propter se, non autem in Deum ut objectum beatificum, vel ut Authorem gratia, et gloria. Id autem ultimum, ait Subtilis Doctor, unice competere potest amori concupiscentia. Verum, ut bene notat Suarius lib. 2. de Grat. cap. 14. n. 18. non est sensus verborum S. Thomæ talis, qualem sibi fingit Scotus in impugnatione. Est igitur sensus Angelici Doctoris, Deum ut objectum Beatitudinis per Charitatem attingi, *to ut* significante non rationem motivam amoris, sed statum Bonitatis Divina, quæ nobis detegitur excellentiori quadam ratione, dum apprehenditur ut supernaturaliter communicabilis per gratiam, et gloriam. Nam quo Deus nobis altiora beneficia contulit, eo Bonitas ejus mirabilior, et quodam modo major apparet modo nostro concipiendi, ac proinde diligibilior,

seu altiori modo diligibilis, non quia propter beneficia diligatur, sed quia per beneficia manifestatur ipsa Dei absoluta Bonitas, ut altior, et potentior. Quis enim non videat ex Incarnationis Mystério Infinitam Dei Bonitatem excellentius nobis innotescere, cum eam conspiciamus ita perfecte, et singulariter communicabilem, modo scilicet naturæ ordinem mirabiliter excedente? Hanc igitur communicabilitatem superioris ordinis indicat S. Thomas ut fundamentum amoris, cum asserit, bonum divinum, *in quantum, vel ut est* objectum beatitudinis a Charitate respici, et inde Charitatem esse virtutem specialem, non quod Deus, *ut est objectum beatitudinis* immediate moveat ad dilectionem, ut ex verbis ejus intelligebat Scotus, sed quod Bonitas Divina non possit ad dilectionem supernaturalem immediate movere, nisi per Fidem cognosceretur in statu illo eminentissimo, quæ omnem naturalem cognitionem prætervolat.

150. Prius tamen, quam hunc D. Thomæ sensum, qui vere germanus est, ex eodem S. Doctore propono, ut res exigit, aliquantulum fuse, atque confirmo, mirari satis non possum, quod Auctor a regula illa prudentissima Critices, quam statuerat opportune pro recta intelligentiâ Patrum, parum sibi constans recesserit. Legit ille S. Thomam ex professo tractantem 2. 2. q. 27. art. 3. de objecto formali, de objecto motivo Charitatis Theologicæ, et statuentem, atque probantem, Deum ipsum propter se se, secundum se, et in se esse objectum motivum amoris Dei: et quod majus est, legit eo loci responsiones ad argumenta contraria, atque adeo ad sua, tum potissimum cum ad aliud a Deo revocat S. Doctor causas dispositivas, *puta per beneficia ab eo sperata, vel etiam per pœnas, quas per ipsum vitare intendimus*. Cur ergo ad illa confugit, in quibus docet S. Thomas, Deum *ut causam beatitudinis, et ut objectum ejusdem* esse objectum Charitatis? cum ijs in locis agat S. Thomas de discrimine Charitatis a virtutibus præsertim naturalibus, ut jam demonstro.

151. Doctrina est communis Theologorum cum S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 3. Deum amari posse duplici amore vel naturali, vel infuso. Homo quippe ex naturali inclinatione fertur in Deum, ut est quoddam naturæ bonum summe amabile. Huic porro inclinationi additur per habitum charitatis inclinatio altera superioris ordinis, ad quem natura sola assurgere non potest. Præterea Deus habet duplicem rationem finis ultimi respectu humanæ naturæ, naturalis nempe, et supernaturalis. Est igitur summe amabilis sub utraque ratione, nam finis ultimus amari non potest propter alium. Ut igitur S. Thomas altitudinem ostendat Charitatis, et superioritatem dilectionis, si cum amore naturali conferatur, inquit non semel, Bonum divinum ut objectum beatitudinis supernaturalis esse objectum Charitatis Theologicæ. Sicut enim Deus, ut est objectum beatitudinis naturalis, est objectum amoris naturalis, ita et ipse ut objectum beatitudinis supernaturalis est

objectum amoris supernaturalis. Ex quo illud conficitur, formale ob-
jectum Charitatis infusæ esse Summam Dei Bonitatem, ut est in se
Bonum quoddam ita excedens omnem naturæ ordinem, ut nullam ha-
beat cum tali natura connexionem, aut communicationem, sed ut est
ordinis altioris, et excellentioris; sicut objectum motivum amoris na-
turalis Dei est Bonum summum accommodatum naturæ, et habens cum
illa necessariam connexionem, et communicationem. Unde illa redup-
licatio *ut, vel in quantum* est objectum beatitudinis, quam sic arcte
tenere videtur Auctor, ei certe non favet, si ad sensum S. Thomæ
intelligatur. Non enim indicat rationem amandi, quæ a Deo secun-
dum se sit ullo modo distincta, nec item respectum inducit in amo-
rem concupiscentiæ, per quem creatura Deum ad se ulla ratione tra-
hat; sed unice significat superiorem ordinem, et statum, in quo Bo-
nitas Divina considerari debet, movere ut possit ad actum charitatis ex-
cedentis longo intervallo amorem pure naturalem.

152. In eundem sensum, et ad usum Scholæ pressius locum hunc
Angelici Doctoris explicat Eximius Doctor Franciscus Suarez Disp. 1.
de Charit. sect. 2. n. 6. dicens: *Licet quidquid est in Deo superet om-
nem naturam creatam, et ut sic possit dici supernaturale, tamen Deus
sub quadam ratione habet necessariam connexionem cum natura hominis
sub ratione proportionati principii, et finis, et hoc modo dicitur bonum na-
turale, seu accommodatum naturæ: tamen ultra hoc est in Deo infinita
quædam bonitas, et perfectio, quæ cum natura hominis ut sic nullam ha-
bet connexionem; quia ut sic nihil communicat illi naturæ, neque est
principium ejus, et hoc modo Deus est bonum superans omnem naturam.*
Ex iis quisque facile intelliget discrimen inter duos illos amores Dei,
summos nimirum in genere suo, naturalem, et supernaturalem. Nam
primus oritur ex divina Bonitate per rationem naturalem cognita, al-
ter vero supponit cognitionem supernaturalem divinæ Bonitatis, quæ
in statu altiori, et eminentiori illam representet voluntati. Hæc est
doctrina venssima, constans, et perpetua S. Thomæ, dum asserit De-
um ut objectum beatitudinis, ut causam ejus, vel secundum quod su-
am beatitudinem communicat, esse objectum charitatis. Nec enim al-
liud intendit S. Doctor, quam significare diversitatem statuum, in qua
natura Divina proponitur voluntati, ut in eam feratur vel per amo-
rem naturalem, vel per supernaturalem. Charitas, ait I. 2. q. 109.
art. 3. ad 1. *diligit Deum super omnia eminentius, quam natura. Na-
tura enim diligit Deum super omnia, prout est principium, et finis na-
turalis boni: Charitas autem secundum quod est objectum beatitudinis,
et secundum quod homo habet quamdam societatem spirituales cum Deo.*
Insistens pariter in exhibendo discrimine inter amorem naturalem, et
supernaturalem scribit quæst. 5. de Charitate art. 2. ad 16. *amor summi
boni prout est principium esse naturalis inest nobis a natura, sed prout
est objectum illius beatitudinis, quæ totam capacitatem creaturæ excedit,*

non inest nobis a natura, sed supra naturam. Et hæc est ratio, cur apud S. Thomam charitas esse non possit sine Fide, et sine Spe, quia nimirum ordinamur ad objectum Beatitudinis per Fidem et Spem, ut diserte docet 1. 2. q. 65. art. 5. Certum est ergo, et extra dubium omne, non esse mentem S. Doctoris, quam ei pro arbitrio affingit Bolgenius, sed quam ex natura ipsa rei, et ex verbis Angelici demonstravimus. Neque enim aliud intendit in laudatis locis, et in aliis, quæ afferri possent, quam exhibere discrimen inter duos amores.

153. Sed vero cum S. Doctor suscipit explicandum charitatis discrimen ab Spe supernaturali, cæterisque virtutibus ejusdem ordinis, et esse potissimam omnium virtutum, nos docet aperte, quo pacto objectum beatitudinis sit objectum motivum charitatis, scilicet Bonum divinum *in se*, et *secundum se*, et non *ut habeatur*, vel *possideatur*. Placet ad longum transcribere verba, quæ in hanc rem tradit. quæst. laud. de Charit. art. 2. corp.; ea enim ut demonstrant invicte amorem benevolentiae, ita opportunissima sunt ad dissipandas reflexiones Auctoris. Si homo, inquit, *in quantum admittitur ad participandum bonum alicujus Civitatis, efficitur Civis illius Civitatis, competunt ei virtutes quædam ad operandum ea, quæ sunt Civium, et ad amandum bonum Civitatis; ita cum homo per divinam gratiam admittatur in participationem Cœlestis Beatitudinis, quæ in Visione, et Fruitione Dei consistit, fit quasi Civis, et Socius illius beatæ Societatis, quæ vocatur Cœlestis Hierusalem secundum illud Epes. 2. Estis cives Sanctorum, et domestici Dei. Unde homini sic ad Cœlestia adscripto competunt quædam virtutes gratuita, quæ sunt virtutes infusæ, ad quarum debitam operationem præexigitur amor boni communis toti Societati, quod est bonum Divinum, prout est Beatitudinis objectum. Amare autem bonum alicujus Civitatis contingit dupliciter, uno modo, ut habeatur; alio modo, ut conservetur. Amare autem bonum alicujus Civitatis, ut habeatur, et possideatur, non facit bonum Politicum, quia sic etiam aliquis Tyrannus amat bonum alicujus Civitatis, ut ei dominetur, quod est amare seipsum magis, quam Civitatem. Sibi enim ipsi hoc bonum concupiscit, non Civitati. Sed amare bonum Civitatis, ut conservetur, et defendatur, hoc est vere amare Civitatem, quod bonum Politicum facit, in tantum quod aliqui propter bonum Civitatis se periculis exponant, et negligent privatum bonum. Sic igitur amare bonum, quod a Beatis participatur, ut habeatur, et possideatur, non facit hominem bene se habentem ad Beatitudinem, quia etiam mali illud bonum concupiscunt; sed amare illud bonum secundum se, ut permaneat, et diffundatur, et ut nihil contra illud agatur, hoc facit hominem bene se habentem ad illam Societatem Beatorum. Et hæc est Charitas, quæ Deum propter se diligit, et proximos, qui sunt capaces Beatitudinis, sicut se ipsos, et quæ repugnat omnibus impedimentis, et in se, et in aliis, unde nunquam esse potest cum peccato mortali. Sic igitur patet, quod charitas non solum est virtus, sed potissima virtutum.*

154. Ex his multa colligenda sunt nobis, quæ Bolgenio intimanda sunt accurate, ut, velit, nolit, concedat tandem, nullum e Theologis sibi esse contrarium magis, quam eum ipsum, quem pro se laudat. Primum, bonum divinum, prout est beatitudinis objectum, a Charitate respectum, esse bonum divinum *secundum se, ut permaneat, ut diffundatur, et ut nihil contra illud agatur*; non autem bonum divinum *ut habeatur, et possideatur*; et ex eo fieri, ut charitas sit virtutum potissima, et ab Spe Theologica distinguatur. Quod idem exprimit S. Thomas quæst. 7. de Spe art. 3. ad 9. inquit: *bonum divinum secundum se est objectum charitatis, sed sicut adipiscendum est objectum Spei*. Alterum, amorem æternæ beatitudinis, seu desiderium divini boni *ut habeatur, possideatur et participetur* non facere hominem bene se habentem ad Societatem Beatorum, nec Civem bonum Cœlestis Hierusalem, cum esse possit in peccatore non admissio per gratiam in Societatem illam. Tertium, actus elicitos a Charitate Theologica esse amare Deum propter ipsum; sequi, et proximos propter idem motivum; velle bonum divinum esse tale, quale est; desiderare, ut diffundatur, et ut nihil contra illud fiat. Quæ affectiones apprimè congruunt amori, et desiderio benevolentiae, et zelo, qui ex illis enascitur, impediendi contraria bono divino. Quartum, hominem per gratiam admitti in participationem Cœlestis Beatitudinis, fieri que Civem, et Socium Beatæ Societatis per dona ipsi communicata, ex quibus bene se habet ad Societatem illam. Quæ verba ponunt ante oculos, quo pacto charitas fundetur super communicatione bonorum. Sed apud Bolgenium idem esse videtur, charitatem fundari super communicatione bonorum, atque respicere communicationem, ut objectum motivum amoris. Qua in re nec sensum sequitur S. Thomæ, nec veritatem tenet, quam ipsa indicat natura charitatis, et amicitiae, quæ et unionem aliqualem supponit, et ad majorem unionem aspirat, si non omnino perfecte ad amatum pervenerit.

155. Duplex itaque in amicitia erga Deum intervenit bonorum communicatio. Præcedit altera, et altera sequitur amicitiam. Prima est radix, principium, et fundamentum amoris; cum enim Deum inter, et naturam hominis secundum se considerati nulla esset proportio ad amicitiam, placuit clementissimo Domino ex sola sua infinita dignatione hominem elevare ad ordinem divinum, ei liberaliter conferendo naturam excellentissimam gratiæ, per quam factus jam consors divini naturæ accipitur ad eundem ordinem beatitudinis, in quo est Deus, qui se se illi offert videndum, et fruendum per visionem, et amorem beatificum. Hæc est bonorum communicatio, super qua fundatur amicitia supernaturalis erga Deum, et quæ nisi supponeretur, inter Deum, et hominem amicitia esse non posset. Cæterum actus amicabile, non ob id in Deum fertur, tanquam motivum amoris, sed ob intrinsecam Dei Bonitatem amore nostro infinite dignam. Nam-

que admissus homo per divinam gratiam in participationem cœlestis Beatitudinis, ex virtute gratuita charitatis, ut aiebat S. Thomas, amat bonum divinum secundum se, et non præcise ut illud habeat, et possideat. Altera communicatio, quæ amicitiam sequitur, consistit in eo, quod Deus homini jam amico multa alia conferat beneficia: favores, et gratias, quas experiuntur animæ justæ, et interdum explicari vix possunt etiam ab iis, quæ illas recipiunt. Homo autem justus, quamvis Deo non possit præstare beneficia, ei tamen tribuit, quoad potest, gloriam, et honorem, bona Dei extrinseca promovet, et mala vitare satagit. Sed nec hæc communicatio bonorum, quibus Deus amicum cumulat mille modis, est objectum motivum amicitiae, sed effectus illam consequens, ut nemo non videt,

156. Superest, ut dicamus pro hujus capituli complemento, quid indicet S. Thomas verbis illis: *ultimum quidem, et principale bonum hominis est Dei fruitio. . . Et ad hoc ordinatur homo per Charitatem*. Et illis alijs fere in idem recidentibus: *Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem est proprius actus Charitatis*. Alteram hinc arripit Auctor æquivocationem, qua se se implicat ex terminorum notione non recta. Nam ut dissipem, adverto ex S. Thoma I. 2. q. 3. art. 1. corp. *Quod finis dicitur dupliciter. Uno modo ipsa res quam cupimus adipisci. . . Alio modo ipsa adeptio, vel possessio, seu usus, aut fruitio. . . Primo modo ultimus hominis finis est bonum increatum, scilicet Deus, qui sua infinita bonitate potest voluntatem hominis perfecte implere. Secundo autem modo ultimus finis hominis est creatum aliquid in ipso existens, quod nihil est aliud, quam adeptio, vel fruitio finis ultimi*. Hinc ad secundum explicat, quomodo summum bonum solum conveniat Deo, et solum dicatur de fruitione, quatenus est adeptio summi boni, quod idem extendit ad beatitudinem dicens: *beatitudo dicitur summum bonum, quia est adeptio, vel fruitio summi boni*. Quare fruitio non habet per se se rationem movendi ad Charitatem. Hanc enim prærogativam movendi, atque quietandi unice tribuit Bono summo, et Increato. *Bonum, inquit hic q. 2. art. 7. quod est ultimus finis, est bonum perfectum complens boni appetitum: appetitus autem humanus, qui est voluntas, est boni universalis. Quodlibet autem bonum inherens ipsi animæ est bonum participatum, et per consequens particulatum. Unde impossibile est, quod aliquid eorum sit ultimus finis hominis*. Ex quibus illud clare consequitur, motum humanæ mentis ex Charitate esse ad fruitionem non propter se, sed propter bonum increatum, esse ad fruitionem, in qua non sistit, sed per quam tendit ad ultimum finem ut rem, in qua sola potest quiescere voluntas. Quod etiam repetit S. Doctor q. 11. art. 3. dicens: *Deus est igitur ultimus finis, sicut res, quæ ultimo quæritur, fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi finis*. Id quod brevissimis verbis expressit Augustinus dicens: *Rectum cor quærit Deum propter Deum*. Simili modo dis-

currendum est de vita æterna, quæ si creata sit, est ipsa fruitio, vel adeptio finis; si vero increata, est ipsum Summum Bonum, quod propter se movet, et satiat appetitum.

§. I I.

Ejusdem propositi continuatio.

157. **L**ongum esse me, et in respondendo minutum, plane video, quin et id mihi accidere permolestum, ipse profiteor; feram tamen non ægre admodum molestiam, si modo Bolgenio tollatur omnis occasio dicendi, ejus me rationes omittere, minuere, vel dissimulare. Venio ad quartum difficultatis punctum, quod urget ex S. Thoma. In eo autem observanda est primum studiosa Auctoris inventio citantis S. Thomam 2. 2. q. 24. art. 1. ubi agit de Charitate pro solita illa distinctione beatitudinis essentialis ab accidentali. Qua agendi ratione rebus certe suis tentat prospicere, volens insinuare lectori, idcirco hic agere S. Thomam de simili distinctione, ut figat, et exhibeat nobis verum objectum motivum Charitatis in essentiali beatitudine consistens. Sed vero hæc inventio vana est ad id persuadendum, pro quo assumpta esse videtur. Nam S. Thomas de distinctione appetitus sensitivi, et appetitus intellectivi, et de distinctione bonorum, quæ unicuique respondent, agit varijs in locis, cum nimirum tractat de Spe, ad quam proprius pertinet illa distinctio, et potissimum 1. 2. q. 4.

158. In hoc autem articulo primo de Charitate, quem Bolgenius allegat, disputat S. Doctor *de subjecto Charitatis*, ut constat ex titulo articuli, ex conclusione, ac probatione, et ex responsione ad argumenta contraria. Hac igitur Auctoris solertia, aut calliditate detecta, inspiciendum, quid afferat pro re sua. Distinguenda est, inquit, accurate beatitudo essentialis a beatitudine accidentali. Bene habet. Ego distinguo. Quid tum postea? S. Thomas (replicat) 2. 2. q. 24. art. 1. bona secernit, quæ propria sunt appetitus intellectivi a bonis illis, quæ sunt objectum appetitus sensitivi, atque posteriora hæc per sensum apprehendi, priora autem illa per solum intellectum, ita concludens: *Charitatis autem objectum non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur.* Et in hoc quoque assentior ego, in quo certe dissentietur nemo. Sed quæ tandem ex ijs deduci illatio potest? Ergo duo sunt (pergit,) genera bonorum, quorum alia, ut gaudium, et fruitio divina constituunt beatitudinem essentialem, alia vero unice possunt conficere beatitudinem accidentalem. Hanc ego consecutionem dedissem sine his anfractibus, et circumlocutionibus. Quid enim ex illa timendum esset mihi circa mentem D. Thomæ? *Estote, inquit Auctor, omnimode intenti in ea, quæ*
iam

jam jam dico . La vera carità teologica ha per suo oggetto la sola beatitudine essenziale . Sed vero id negatum est sæpe , mi Domine , vel a Prolegomeno primo .

159. At S. Thomas, reponis, *ce lo dira chiarissimamente*. Si clarissime tradit S. Thomas, ejus mihi, precor, cedo verba. En illa, *Deus est objectum Charitatis Theologicæ, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*. Id enim ais, vidimus in puncto præcedenti. Sed etiam vidimus in puncto præcedenti æquivocationem tuam, Bolgeni charissime, et quid intendat S. Thomas, clarissime exposuimus. Nec ejus sunt verba: *Deus est objectum Charitatis Theologicæ secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*; sed illa: *cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*. Quibus in rebus non significat S. Thomas, communicationem esse objectum Charitatis, sed esse fundamentum, quo sublato, amicitia ad Deum esse non potest, ut late dixi supra exponens duplex genus communicationis bonorum. Unde et clausulam ipsam nobis objectam concludit Angelicus illis verbis: *amor super hanc communicationem fundatus est Charitas*. Relege, quæso, Bolgeni mi, sed animo a præoccupatione libero hunc art. q. 23. 2. 2. S. Thomæ, et aperte videbis, quæ sit communicatio hominis cum Deo, quod amoris fundamentum, quod objectum motivum in amicitia *honesti*, et quod item formale motivum in amicitia *utilis*, vel *delectabilis*. Nam si legas attente, spero fore, ut non confundas motivum immediatum amoris amicitia cum ejusdem fundamento. Relege item, quæ dedimus Prolegomeno 3. circa similitudinem, quæ ex S. Thoma est causa, et fundamentum amoris, et quomodo similitudo penes formam, vel quasi penes formam causet amorem amicitia. Si tollas communicationem gratia jus homini dantis ad actualem communicationem gloria, opus est, ut tollas similitudinem penes formam, quæ amicitiam præcedere debet ut causa, radix, et fundamentum ejus. Ibi quoque notavimus ex eodem Angelico Doctore, quod *quamvis unicuique sit amabile, quod sibi bonum est, non tamen oportet, quod propter hoc ametur, quia est sibi bonum, cum amicitia non retorqueat ad se ipsum bonum, quod ad alterum optat*. Unde amor amicitia tendit in Divinam Bonitatem nobis communicabilem, nobis bonam, nobis convenientem, sed non quia nobis communicabilem, et quia nobis bonam, sed potius sistens in ea, quin regrediatur ad amantem. Nam si ad amantem regrederetur amor, jam ad eundem retorqueret bonum amatum.

160. Quantum quod ex S. Thoma punctum designat Auctor, non eo tendit, ut nostram evertat opinionem, sed ut complanet difficultates, quæ contra systema proprium, vel ab homine non admodum ingenioso, proponerentur. Primo igitur conciliare nititur, quomodo Deus ex S. Thoma diligendus sit propter *ipsum solum*, et simul ex eodem amore propter beatitudinem essentialem. Secundo loco adnititur per-

persuadere lectori, Charitatem ex S. Doctore sistere quidem in Deo, sed tamen ex eo quærere fruitionem propriam. Primum illud duplici (si placet Superis) evincit ratiocinio ad Dialectices regulas vere formato. En tibi syllogismum unum: *Deus amari debet propter perfectiones, et attributa, quæ in eo sunt, et non propter aliud quidquam, quod extra Deum sit; sed hæc perfectiones, et hæc attributa Dei amantur ab homine tanquam fons, et causa beatitudinis ejusdem hominis: ergo amare Deum propter se ipsum, et amare beatitudinem essentialem sunt omnino idem.* En alterum eodem fere modo tornatum. *Perfectiones, et attributa divina sunt natura ipsa Dei; sed hæc Dei natura est fons, origo, objectum, et causa beatitudinis essentialis hominis; ergo hominem suam beatitudinem essentialem amans vere Deum amat propter ipsum.*

161. His duobus ratiocinijs ad verbum expressis continetur Bolgeniana doctrina penes primam hujus ultimi puncti partem. Profecto cum Deus non sit essentialis, seu formalis beatitudo, quæ actus est vitalis inhærens animæ, et ex S. Thoma signet *adeptionem boni*, utriusque syllogismi consequens est apertissime falsum. Quis enim mente concipiat, quod amare Deum propter se ipsum solum, sit Deum amare propter beatitudinem? Si enim amat quis propter hanc, non amat propter *Deum solum*, propter *solum ipsum*. *Id ipsum*, dicebat Augustinus in Psalm. 121. *quomodo dicam, nisi id ipsum? . . . quidquid aliud dixerò, non dico id ipsum.* Cum ergo falsum sequi non possit ex vero, altera saltem præmissa, necesse est, ut sit falsa, vel certe illatio legitima non erit. Primum illud videre licet in ratiocinio primo. Namque minor plane falsa est, cum Deus ex amore Charitatis non ametur ut causa, ut fons, ut origo beatitudinis nostræ *to ut, tanquam*, vel *in quantum* signante rationem motivam amoris, ut sæpius diximus; sed amatur divinum bonum secundum se, et sine illa ad beatitudinem amatam reflexione. Alioquin Deum amare creatorem nostrum erit amare Deum propter creationem.

162. Præterea duæ illæ præmissæ se ipsas destruunt, ex illisque confici nihil potest, quod verum sit. Prima enim præmissa ponit Deum amandum propter *ipsum solum*, altera ponit Deum amandum propter *beatitudinem*, quæ non est Deus. Quid igitur inde concludetur? Non aliud, nisi Deum amandum propter se solum, et non amandum propter se solum. Non aliter ac si dicerem: solus Deus æternus esse potest: sed potest aliqua substantia creata æterna esse: ergo et solus Deus æternus esse potest, et non solus ipse potest esse æternus. Syllogismus alter, ut ab Auctore intelligitur, eodem laborat vicio. Supponit enim, idem esse Deum amari originem, et causam beatitudinis, atque amari ut originem, et causam ejusdem beatitudinis. Si vero propositio sumatur non reduplicative, ut dicunt, sed pure specificative, nimirum *Deus propter se ipsum amatur, qui in re est objectum, causa, et origo beatitudinis*, vera est sine dubio, sed erit illegitima prorsus

sus illatio, cum fiat in conclusione transitus ad beatitudinem in præmissis minime contentam. Nullus igitur est in Syllogismo terminus medius, nedum rite distributus contra inconcussa Dialecticæ præcepta, quæ probe tenet Auctor.

Tum re, tum sensu triplex modo terminus esto.

Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.

163. Cum Logicam probasset Bolgenius suam in vindicando S. Thomam a contradictione, quæ in ejus doctrinam irreperere videtur, ex eo quod Deus propter se ipsum solum diligendus sit, et quod diligi tunc debeat propter beatitudinem, transit ad alteram puncti partem, et illum similiter liberare conatur ab alia contradictione, quam imminere credit posito systemate de unico amore concupiscentiæ, nisi verba S. Doctoris ope validissima rationis Theologicæ excipiantur. Docet itaque cl. Auctor, S. Thomam asserere quidem Charitatem in Deo sistere, sic scilicet, ut ex eo nihil quærat *beatitudinis accidentalis*, quæ tamen quæri per Spem potest. Ex quo habere judicat discrimen notabile inter duas virtutes diligendi, et sperandi. Verum quicumque legerit etiam perfunctorie S. Thomam, ei protinus regeret illud Horatij.

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Verba S. Thomæ, quæ habentur 2. 2. q. 23. art. 6. hæc sunt: *Fides autem, et Spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: sed Charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat non ut ex eo aliquid nobis proveniat.* Quod idem fusius tradiderat quæst. 17. art. 6. dicens: *Potest aliquis alicui inhaerere dupliciter; uno modo propter se ipsum: alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhaerere propter se ipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, et Fides faciunt hominem inhaerere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis, et adeptio perfectæ bonitatis. . . . Spes facit Deo inhaerere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per Spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.*

164. Ter indicat S. Thomas in iis verbis beatitudinem essentialem. Quid est enim aliud *beatitudo obtinenda divino auxilio, adeptio perfectæ bonitatis, principium perfectæ bonitatis*? Certum est id oculos non claudenti; sed major, si fieri potest, adhibenda lux est. S. Thomas hoc ipso in loco ad 3. id ipsum confirmat: *ad tertium, inquit, dicendum, quod spes facit tendere in Deum sicut in quoddam bonum finale ad adipiscendum. . . . Sed charitas proprie facit tendere in Deum, uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo.* Ergo Charitas non tendit in Deum, ut sibi proveniat adeptio Dei, quæ beatitudo essentialis est. Idem prorsus leges art. 8. ubi sic ait: *imperfectus amor (spei) est, quo quis amat aliquid non secundum ip-*

sum, sed ut illud bonum sibi proveniat. Charitas igitur, cujus amor perfectus est, non amat bonum Dei, ut sibi proveniat. At hæc proventio, vel adeptio est essentialis beatitudo. Deinde quæst. 18. art. 2. probat, explicat, et confirmat in Beatis Spem esse non posse ex eo nimirum principio quod æterna beatitudo, et quod fructio animæ, secundum quod est possibilis haberi ex auxilio divino, est objectum primum, et principale Spei, unde illo subtracto non remanet Spes. Et licet aliqui Theologi admittant in Beatis actum Spei secundarium resurrectionis corporis, tamen S. Doctori assentiuntur circa principale motivum sperandi.

165. Eandem tradit doctrinam de objecto primario, et principali Spei 2. 2. q. 17. art. 2. tum in corpore articuli inquires: quod proprium, et principale objectum spei est æterna beatitudo: et ad 2. quod quæcumque alia bona non debemus a Deo petere nisi in ordine ad beatitudinem æternam. Unde et Spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia vero, quæ petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam. Præterea in Sententiariis, et in Disputatis idem ipsum firmat multis in locis. Legatur S. Doctor in 3. dist. 26. q. 2. art. 3., et quæst. 7. de Spe, ex cujus art. 3. duo colligo mire exprimentia naturam Charitatis, et hujus ab Spe discrimen. Primum, quod Spes introducit ad Charitatem, dum aliquis per hoc, quod sperat, se aliquod bonum a Deo consequi, ad id deducit, ut Deum propter se amet. Alterum, quod bonum divinum, ut secundum se dilectum, est objectum Charitatis, sed sicut adipiscendum est objectum Spei; et propter hoc Charitas ab Spe differt. En tibi, Bolgeni, unde repetit discrimen Doctor Angelicus, inter duas virtutes Theologicas, non ex eo quod Charitas beatitudinem intendat essentialem, et eam sibi ex Deo provenire intendat, et quod Spes intendat etiam beatitudinem accidentalem; sed ex eo quod Charitas in bonum divinum tendat, ut secundum se dilectum, et Spes tendat in bonum divinum, ut adipiscendum. Relinquitur ergo, ut nullus esse possit dubitationi locus, quin S. Thomas aperte nos doceat, Charitatem sic in Deo sistere, ut non intendat sibi provenire beatitudinem essentialem, et Spem sic Deum attingere, ut beatitudinem essentialem ex eo quærat.

§. XII.

An faveat Auctori Seraphicus Doctor?

166. **D**uo nobis opponit Cl. Auctor ex Doctore Seraphico, quæ modo exponenda sunt. Primum obstat fere nihil, et brevissime tractandum. Alterum aliquam videtur continere difficultatem, et explicandum est fusius. Desumitur illud ex Opusculo de 7. itiner.

æternit. dist. 2. ubi amor charitatis, sive ^{gratuitus} dicitur esse, cum affectus, sive voluntas per supernaturalem habitum charitatis elevatur ad beatifici objecti supernaturalem affectionem. Sed vero cum dilectio charitatis proprie tendere debeat, ut jam diximus, in Deum tanquam in Summum illud Bonum, quod est objectum beatitudinis, et quod sola ratione naturali proponi non potest, non est cur in hoc S. Doctoris testimonio diutius immoremur, præsertim cum ipse Bonaventura loco laudato contraponat affectionem supernaturalem amori tantum naturali dicens: *Natura diligit Deum super omnia, prout est principium, et finis naturalis boni; charitas autem, secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet spiritualem quamdam societatem cum Deo.* Ad summam hic ait Bonaventura, quod supra scribebat Angelicus, charitatem diligere Deum super omnia eminentius, quam naturam, quia fertur in Bonitatem Divinam nobis per Fidem cognitam secundum statum illum eminentissimum, in quo nullam habet connexionem cum natura.

167. Alterum testimonium habetur in 3. dist. 27. q. 2. art. 2. ubi scribit S. Doctor: *quod motus charitatis potest esse mercenarius secundum quod constituit mercedem suam circa bonum increatum, ad quod tendit sicut finale præmium.* Hoc S. Bonaventuræ testimonio definitam esse credit Auctor suam de amore Dei sententiam singularem; sed considerare debuerat, vix ullum de Patribus, Doctoribus, atque Theologis inveniendum esse, qui clarius, solidius, et frequentius memoriam fecerit amoris benevolentiae, ut ab Scholasticis intelligitur, et in eorum docetur tractatibus Theologicis. Qua quidem in re summa difficultatis continetur. Nec enim quæritur, an sit, esseve possit amor concupiscentiæ ad charitatem pertinens, sed an amor benevolentiae sit chimæricus, ac fictitius, et ex notionibus conflatus inter se pugnantibus? Primum illud quamvis mihi non probetur, facile darem; at hoc alterum quis audiat æquo animo, sive Scripturam consideret, sive Patres consulat, sive praxim observet Ecclesiæ, sive principia perpendat Theologiæ, sive rationes naturales, quæ præsto sunt cuique, non despiciat? Quid igitur ex Bonaventura afferri potest, quod non omnium sententiam probet, roboret, atque confirmet? Vidimus ex S. Doctore. Primo: *quod actus charitatis est diligere. Diligere autem idem est, quod velle bonum.* Secundo: *quod charitas bonum optat ei, quem diligit.* Tertio: *quod charitas dicitur diligere Deum, quia vult, quod ipse Deus sit Summum Bonum, et quod habeat omne bonum per essentiam.* Quarto: *quod charitas vult Deo bonum, vult, quod Deus sit summum Bonum tale, quale est.* Præterea loco supra laudato q. 3. ad 3. sic disserit: *Cum duplex sit motus charitatis, videlicet amor amicitiae, et amor concupiscentiæ, charitas amore concupiscentiæ desiderat Deum super omnia; amore vero amicitiae semper diligit Deum propter se, et super omnia; unde Deum concupiscit plusquam aliud bonum. Deo autem bonum*
op.

optat plus, quam habens charitatem optet sibi.

168. Nec negandum est, sed ultro a veritatis amante concedendum, S. Doctorem sustinere ut *probabilem* opinionem illam, quod scilicet motus concupiscentiæ *in mercedem æternam, et increatam* ad amicitiam pertineat, ex illo nimirum principio Augustini dicentis, per amorem desiderare nos Deo frui, et amorem aspirare ad præsentiam amati. Id ut sustineat tanquam probabile, distinguit S. Doctor in charitate motus duos, alterum amicitiae, quem præcipuum vocat, eo tendentem, ut Deum velit esse talem, qualis est, ut Deo serviat, et placeat sine intuitu præmij; alterum concupiscentiæ minus principalem, quo desiderat Deum videre, et habere. *Cum ergo dicit Bernardus, inquit hic Bonaventura, quod Deo sine intuitu præmii est serviendum, intelligit de amore amicitiae. Si enim per amorem amicitiae homo servit amico, et eum diligit sine intuitu præmii, ut dicit Philosophus, multo fortius amore charitatis homo vult bonum Deo sine intuitu retributionis: sed per hoc non excluditur, quin charitas amore concupiscentiæ exoptet, et desideret summam illam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire.* Quibus in verbis duo debet observare Bolgenius, quæ suum penitus systema diruunt. Primum enim amor amicitiae per motum a charitate profectum vult Deo bonum, ut sæpe hic repetit S. Bonaventura; ergo non est ad Religionem revocandus actus, ex quo Deo volumus bonum. Imo esset hic motus amicitiae imperfectior contra mentem S. Doctoris, quam motus concupiscentiæ, si ad Religionem ille pertineret, et hic esset actus proprius Charitatis Theologicæ. Deinde Bernardus asserens, Deo esse serviendum ex Charitate sine intuitu præmij, non explicatur a Bonaventura importuna illa distinctione præmij essentialis, et accidentalis. Supponit enim Doctor Seraphicus, quod omnes, excepto Bolgenio ad angustias redacto, supponere debent, loqui S. Bernardum de præmio essentiali, quo Charitas vacua esse non potest.

169. Sed vero hæc Bonaventuræ opinio, in qua videtur a cæteris discrepare, multum habet, ut arbitror, quod pertinet ad modum loquendi potius, quam ad rem ipsam. Nam si ejus rationes perpendantur, cum cæteris Theologis in re ipsa convenire videtur, ex iisque unice confici potest ad amicitiam pertinere quemdam motum concupiscentiæ non formaliter talis, sed pure materialis. Primo quia ipse Bonaventura statuit, *quod in actu dilectionis ipsius charitatis unum est bonum optatum, licet multa sint, quibus bonum illud optatur, et illud est objectum principale ipsius habitus diligendi, quoniam ipsum propter se optatur.* Ergo actus concupiscentiæ, de quo Bonaventura, Deum attingit propter se, et non est actus concupiscentiæ formaliter talis, qui secundum Theologos respicit aliud partiale motivum præter Deum. Secundo, quia solus Deus est secundum Seraphicum objectum finaliter quietans, ad quod ille actus aspirat. Displicet tamen modus

ille loquendi: *Volo mihi Deum: amo mihi Deum*. Si enim Deus amatur propter se, dicerem ego cum Augustino: *volo, desidero frui Deo, sed propter ipsum*. Sic enim declaratur aperte, Deum solum esse motivum mei desiderij, et fruitionem attingi ut objectum materiale.

170. Propter hæc existimo discrepantiam sitam esse potius in modo, et ratione loquendi, quam in re ipsa intime perspecta. Et vero, quod concupiscentia aliqua materialis, vel potius desiderium ad amicitiam requiratur, auctor est Divus Thomas, qui diserte notat, illam non moveri ex delectatione sed ex bonitate objecti, vel amici: *Dicendum*, inquit in 3. sent. distinct. 27. q. 2. a. 1. *quod qualibet amicitia concupiscentiam, seu desiderium (præsentia amati) includit, et aliquid aliud super eam addit*. Quod autem hæc concupiscentia sit pure materialis (unde et illam vocat desiderium), et non moveatur ex delectatione, sed ex bonitate amici, advertit inquit ad 11. *quod amicitia vere desiderat videre amicum, et colloquiis mutuis gaudere facit, ad quem principaliter est amicitia, non autem ita quod delectatio, quæ est ex amici visione, et perfruitione finis amicitia ponatur, sicut est in amicitia delectabilis. Et hoc intendit removere Hieronymus, quod delectatio de amicis principaliter non est querenda*. Hinc idem S. Doctor in 4. tum dist. 35. q. 1. art. 4. tum dist. 27. q. 2. art. 11. scribit. *Etiam in humana amicitia amicus quarit magis bonum amici, quam de ejus præsentia delectari*.

171. At Bonaventura hunc animi motum vocat mercenarium. Ita quidem est, nec contentiose nego. Sed vero id de amore amicitia negat disertissime, quod nobis satis est, superque ad rejiciendum hoc ex capite Bolgenianum systema. Præterea, cum semper addat Sera- phicus, motum illum mercenarium esse circa *mercedem increatam, bonum æternum etc.* innuere videtur esse tantum mercenarium *causaliter, et objective*, prout terminatur ad Deum, qui est Author, causa, et objectum mercedis formalis, nec, si castigatè loquendum sit nobis, dici Deus potest *formalis merces*. Audi S. Thomam in 3. dist. 29. art. 1. ad 4. agentem: *Merces proprie dicitur præmium, quod quis ex labore, vel aliquo opere meretur: præmium autem est id, quod alicui in bonum ejus redditur. Unde merces in quantum hujusmodi importat aliquid referibile per amorem ad id, cui merces redditur. Mercedem autem aliquis propter se ipsum amat; non tamen est de ratione mercedis, quod sit intentionis finis, quia plerumque mercedem ex opere non querit, cui merces datur. . . . Unde si aliquis amat aliquid extra se propter se ipsum, illud dici potest merces, in quantum ex eo aliquid in ipso relinquitur, vel conservatur. . . . De ratione amicitia est, quod amicus sui gratia diligatur, unde amicus non habet in amicitia rationem mercedis, proprie loquendo; quamvis ea, quæ ex amico nobis fiunt, rationem mercedis habere possint, sicut delectationes, et utilitates, quas ex ipso amans consequitur, ratione quarum ipse amicus merces dicitur, quasi cau-*

saliter; sicut dicitur Deus merces nostra ratione eorum, quæ ex ipso in nobis fiunt. Hæc S. Thomas, ex quibus constat, motum Charitatis non esse proprie mercenarium, nec mercedem intendere qua talem, sed Deum diligere sui gratia, et propter ipsum, qui tamen quodammodo dici potest merces, nimirum causaliter, quia causa est mercedis formalis. De hac igitur mercede causali loqui videtur Bonaventura signans mercedem increatam, ut objectum actus, quem vocat mercenarium. Quod si adhuc contendas, Seraphicum Doctorem intelligendum de formali mercede, non ego amplius repugnabo litibus me immiscens de ratione verborum. Namque res nostra de vero amore benevolentiae judicata jam est a Bonaventura contra Bolgenium, quin ei ulla appellationis ansa relinquatur.

§. XIII.

De Hugone Victorino.

172. Mirum quantum triumphat cl. Auctor verbis, quæ profert, Hugonis de S. Victore, qui lib. 2. de Sacram. (addere debuisset part. 13.) cap. 8. *Stultos eos appellat, qui dicunt, mercenarium esse illum, qui Deo propter præmium inservit. Addit, se ipsos non intelligere, qui verba illa pronunciant. Subjungit, non aliud esse Deum diligere, nisi ipsum velle habere. Concludit, eum, qui Deum amat, se ipsum amare, quia Deum amans bonum suum amat.* Quatuor hæc sic in rem suam ab Eruditissimo Theologo proponuntur, urgentur, et exornantur, ut nihil quidquam existimet sibi requirendum ulterius pro sui systematis veritate. Sed victoriam inde canit, ut arbitror, vix dum inita pugna, unde totis illa viribus instauranda erat. Id enim esset ante omnia probandum illi, negasse Victorinum amorem benevolentiae, quod nec ex laudato præstat loco, nec ex alijs locis præstare facile poterit. Legi ego, quanta potui mentis contentione, peracutum Parentem, et Doctorem, nedum in citato loco, sed et in cæteris, quæ plura sunt, in quibus agit de Charitate, et dilectione Dei, et Proximi, et illud inveni, quod non dubito asseveranter scribere. Primum, Hugonem Victorinum esse Patronum exploratum amoris benevolentiae, qualis ab Scholasticis traditur. Alterum, locum ab Auctore productum non carere difficultate, præsertim si verba, ut sonant, intelligantur; et ex illo posse probabiliter colligi, actum concupiscentiæ æternæ beatitudinis pertinere juxta Hugonem ad Charitatem Theologicam. Quamquam ut verum fatear, probabilius est mihi, considerato scopo præstantissimi Doctoris, loqui illum tantum de actu concupiscentiæ materialiter sumptæ, unde cum mica salis existimo ejus verba accipienda esse, id quod, velit, nolite, Bolgenius fateri tenebitur.

173. Exordiamur a primo. Hugo Victorinus est Patronus explora-

ratus amoris benevolentiae. Prima probatio desumitur ex cap. 8. tract. 4. Erudit. Theolog. Summ. Sentent. quod sic incipit, amorem benevolentiae planis demonstrans characteribus. *Charitas est amor honestus, qui ad eum finem dirigitur, ad quem oportet. Amor est bona erga alterum propter ipsum voluntas. Unde Tullius. Amicitia est voluntas erga aliquem bonarum rerum illius causa, quem diligit.* Ita Victorinus caput instituit, quod est de *Dilectione Dei*. Profecto voluntas bona erga alterum propter ipsum est eadem ipsa benevolentia, nisi placeat abluere a vera notione terminorum. Id quod Hugo confirmat auctoritate Tullij, qui verbum illud *propter ipsum* per illa altera significaverat *illius causa, quem diligit*. Idem igitur ipsum sentit hic Doctor, quod Tullius, cujus auctoritate confirmat, de amore senserat amicitiae. Atqui Tullius non hic tantum, sed in omnibus philosophicis libris amorem exprimit amicorum per benevolentiam, ex qua unus alterum amet toto pectore, ex qua velit illum affici quam plurimis bonis, et ex qua nihil referat ad fructum suum, sed omnia conferat ad commodum amici, quem diligit. Qui actus diligendi appellatur ab ipso admirabilis quaedam benevolentiae magnitudo, ut fuse prosecuti sumus Prolegomeno 5. Ergo Hugo Victorinus amorem Charitatis clarissime collocat in actu benevolentiae Theologorum, qui suae etiam sensa Tullij auctoritate confirmant.

174. Altera probatio non minus est efficax, quam nobis repraesentat 4. Misc. Erud. Theol. lib. 4. titul. 99. ubi loquens de tertio gradu dilectionis, de quo Bernardus, *cum quis diligit Deum propter Deum* sic illum explicat. *Tertius (est) spiritualis, et Filiorum, de quo confitemini Domino, quoniam Bonus. Qui Domino confitetur, non solum quoniam Bonus est sibi, sed simpliciter, quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se.* En tibi Bolgeni mi, tuam illam chimæricam dilectionem a Victorino tuo maximis laudibus celebratam, cum anima confitetur Domino, non ut bono sibi, sed ut bono simpliciter, ut bono in se, et infinite digno omni confessione, laude, et amore. En quomodo anima Deo confitens, quoniam simpliciter in se bono, Deum amat non propter se, sed propter ipsum.

175. Tertiam de probationem æque claram ex Annotat. Elucid. quæst. circa Epist. ad Rom. Cum enim quæst. 232. proponat sibi Hugo difficultatem illam enodandam: *Optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis;* respondet primo, Apostolum in illis verbis (sicut olim Moysen) ostendere mirabilem affectum suum, quem habuit erga Judæos. Sed cum bene viderit subtilis Doctor, responsionem istam potius esse principij petitionem, quam rei difficilis solutionem, respondet 2. *vel potest dici, quod uterque tam Moyses, quam Apostolus præposuit in desiderio suo, et optatione salutem tantæ multitudinis propriae saluti, nec in hoc dilectionem Dei postposuerunt, imo Dei gloriam, et honorem propriae saluti præferentes, malentes Dei gloriam ma-*
gni-

gnificari in tot salvatis, quam diminui in uno salvato, et hæc perfectio excedit omnem perfectionem, qua major non potest excogitari. Nihil aptius afferri potest ex Patre ad amorem benevolentiae confirmandum. Namque talis est ille, quo Paulus, et Moyses malunt Dei gloriam magnificari in tot salvatis, quam in uno salvato diminui, volunt enim majorem Dei gloriam, et majus bonum extrinsecum amici, nihil de bono proprio solliciti, imo et de propria salute curam nullam ex vi illius desiderij, vel optationis concipientes. Quodque majus est, nec in hoc dilectionem Dei postposuerunt, ut Victorinus observat. Ergo ipso iudice dilectio Dei non consistit, ut Auctor ex illo contendit, in desiderio æternæ felicitatis, sed in actu præferente gloriam, et honorem Dei propriæ felicitati.

176. Quarta probatio repetenda est ex quæst. 305. in eadem Epist. ad Roman. sic enim scribit. *Quæritur item, an debeamus diligere mutuo propter vitam æternam: quodsi conceditur, quod faciamus propter commodum nostrum, et sic sumus mercenarij. Dicit enim Ambrosius, qui spe, et desiderio cælestis patriæ servit, mercenarius est. Solutio: propter vitam æternam diligendus est proximus, nec ideo aliquid præfertur Deo, quia ipse est vita æterna (scilicet causaliter, et objective respectu nostri, ut inquit S. Thomas): et in ipso non est aliquid extra ipsum præter ipsum: ideoque verba prædicta Ambrosij a suo loco extendere non convenit, quia contra usum Ecclesiæ sonare videntur: videtur tamen hoc insinuare, quod si quis cogitans vitam æternam aliquid seorsum præter Deum esse, bona faceret, suum at tendens commodum tantum, non quia Deus vellet fieri, mercenarius dicendus esset. Videtur hic Hugo Victorinus sumere mercenarium in malo sensu, unde et S. Ambrosii verba excipit in sensu, qui mihi certe non probatur, cum sensum alium habeant minime obscurum, si mercenarij nomen in bono sensu accipiatur, ut sumitur frequenter in Scriptura Sacra. In hoc igitur non ego assentior tanti Doctoris interpretationi, sed tamen illud verto in rem meam, quod motivum amoris meæ felicitatis, et salutis proximi, siquidem ad Charitatem pertinere debet, non est commodum meum, sed Deus ipse, vel quod Deus vult hoc fieri. Amor innixus eo motivo quod Deus vult, est amor benevolentiae tendentis ad placendum Deo: tradit ergo etiam hoc in loco Hugo Victorinus amorem benevolentiae.*

177. Quinta probatio proponitur ab eodem Doctore in cap. 9. lib. 2. Annot. in Math. ita disserente circa primam Orationis Dominicæ Petitionem. *Postquam autem Deus te sanctificaverit, et te sanctificare fecerit Nomen sanctum suum, non hic sistas, non tibi sufficiat salus tua. Extende affectum Charitatis (non dicit Religionis) et pro alijs clama ad illum, sanctificetur Nomen tuum. Ab omnibus sanctificetur, et ab omnibus glorificetur: ut secundum Nomen tuum, sic et laus tua usque ad fines terræ. Sic ergo sanctificetur Nomen tuum. Non no-*
bis,

bis, (inquit) Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Hoc est, Sanctificetur Nomen tuum. Quis hic non videat amorem benevolentiae tum erga Deum, tum erga proximum? Erga Deum, cujus Nomen sanctum optamus, ut glorificetur usque ad fines orbis terrarum per affectum, quem extendere debemus, Charitatis. Erga proximos, quibus bonum maximum desideramus, ut scilicet ab omnibus Nomen Dei sanctificetur, et glorificetur, idque non nobis, sed Deo gloriam dare volentes. Nec vero hunc erga Deum affectum benevolentiae negat cl. Auctor, sed illum esse ait Religionis actum contra mentem Hugonis, qui affectum esse Charitatis supponit, et probat.

178. Sed quamquam ex his tribus extremis probationibus ingeniosi Patris constare satis videtur, benevolentiam adversus proximum verum esse charitatis actum, juvat tamen plenius demonstrare, non aliam erga fratres agnovisse Hugonem Charitatem, quam benevolentiam, ex qua proximis bonum volumus, sicut et ipsis nobis illud optamus. Audiatur in lib. 2. de Sacram. part. 13. sic loquens de dilectione proximi cap. 6. *Quid est proximum diligere propter Deum? Ideo diligere, quia habet Deum. Sicut diligimus hominem propter justitiam, id est, quia habet justitiam, et sicut diligimus hominem propter sapientiam, id est, quia habet sapientiam. Sic diligimus hominem propter Deum, id est, quia habet Deum: vel si forte nondum habet, quia habiturus est eum, vel ut habeat eum.* Pergit in hunc fere sensum per caput totum, in quo de amicis, et inimicis similiter disserit. *Si autem amicos bonos habemus, et inimicos malos, amicos quidem in bonitate sua diligere debemus, id est, quia boni sunt; inimicos autem, quia in bonitate diligere non possumus, quia boni non sunt, tamen propterea diligere debemus, ut bonitatem habeant, et boni sint. Et in his omnibus non nisi bonitas diligitur, quando nihil diligitur nisi propter bonitatem. Simili modo cum Deus diligitur, propter se diligitur, quia ab alio non est, neque aliud ab ipso, quod diligitur in ipso.* Ex quibus habemus, duo illa apud Hugonem certissima esse: primum, amorem proximi in eo contineri, ut ei velim bonum, quod habet, vel optem, quod non habet; id quod sine benevolentia ne mente quidem concipi potest. Alterum, quod homo diligi potest propter sapientiam, propter justitiam, propter bonitatem, et quod Deus diligitur propter se, quia non habet ab alio bonitatem, neque est aliud a Deo, quod est in eo plenissimae bonitatis. Quodnam est, precor, in his dilectionibus vestigium amoris concupiscentiae? Aut quid est in hoc amorum genere, quod benevolentia non sit? Fixum ergo maneat, certum, et inconcussum, Hugonem Victorinum in his locis, ut in aliis, quae producere facillime possem, amorem supponere benevolentiae, eumque nobis tradere, quasi res esset comperta omnibus, et a nemine in dubium revocanda.

179. Quae cum ita sint, parum certe movebit Scholasticos, quod ex cap. 8. profert. Cl. Auctor ex laudato Doctore. Admittat, inquit, Vic-

Victorinus amorem concupiscentiæ æternæ beatitudinis ad charitatem pertinere. Quid tandem? servat ipse sartum tectum amorem benevolentiae. Servet illum omnino Bolgenius, et manus dabimus. Non recedat a placitis perillustris sui Præceptoris Joannis Baptistæ Faure, et nulla nos inter, et Bolgenium erit in argumento de amore concertatio. Profecto ille, ut videbimus, religiose tuetur amorem benevolentiae, quamvis charitatem extendat ad actus perfectæ concupiscentiæ. Ejus si ductum sequetur Discipulus, fortasse nulla, certe exigua inter nos relinquetur dissensio. Atque hæc quidem de primo, quod nobis satis esset pro instituto nostro; ad alterum tamen veniamus; namque juvat indagare penitius mentem Victorini cap. 8. ab Auctore laudato, ut exploremus, quo tendat acutus Doctor acius ad speciem castigans amatores gratuitos, quos depingit. Totus est Hugo de S. Victore cap. 4. Inst. Cathol. in quærendo definitionem amoris, et hanc tandem ex Augustino desumptam approbat: *est amor dilectio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid, desiderium in appetendo, et in perfructu gaudium*. Unde et vult charitatem esse motum animi ad fruendum Deo propter ipsum. Ex quo illud existit, quod ex amore sequatur inquisitio, et desiderium rei amatæ, ut ex S. Thoma Augustinum exponente didicimus.

180. Hoc igitur statuto, recte notat stultitiæ, et ignorantiae supinæ eos, qui dicebant, servire se Deo ita gratis, ut non modo præmium non requirerent, sed nec Deum ipsum quærent, quo sane ineptius nihil, nihilque pugnantius dici potest. *Audite homines sapientes, inquit Victorinus, diligimus, inquit, ipsum (Deum), sed non quærimus ipsum. Hoc est dicere, diligimus, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligere nollem a vobis. Si me sic diligeretis, et de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis, si dignum est, ut Deo offeratis, quod homo digne respueret*. Si verba hæc omnia sine interpunctione exarasset Auctor, et mentem Hugonis magis declarasset, et amatorum illorum stultitiam oculis omnium subjecisset. Nam ex illis, ut a nobis transcripta sunt, manifestissimum est, supremum esse stultitiæ genus eorum opinionem hominum, qui dicebant, se Deum amare amore sic gratuito, ut nec Deum quærent, nec de eo curarent quidquam. Cum veri amoris proprium sit Deum ex toto corde quærare, et desiderare, omnesque curas, desideria, cogitationes, et affectus ad eum dirigere, et in eo collocare. Id autem præstat amor benevolentiae modo excellentissimo Deum quærens, sine reflexione ad amantem, propter ipsum, ei placere intendens, et ut minime amato displiceat, omnino sollicitus juxta illud Augustini in Ps. 77. n. 21. *Rectum itaque cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum*. Igitur qui Dei amorem sic animo informat castum, atque gratuitum, ut nec Deum quærat, nec de eo curet, stultus est sine dubio, nec se intelligit, nec amoris vim, atque virtutem considerat.

181. At Hugo, inquit Bolgenius, aliud quidquam significat dicens, non esse aliud Deum diligere, *nisi ipsum velle habere, eoquod non amares, si non desiderares*. Est igitur amor desiderium, et est volitio habendi Deum, qui sunt certissime actus concupiscentiæ. Momenti non est ratio isthæc, quæ sic magnifice ab Auctore exaggeratur, ut demonstro. Eo tendit Victorinus hoc in capite, sicut etiam in præcedentibus, ut ostendat, Deum esse amandum propter ipsum solum, et non propter aliud, quod Deus non sit; illud igitur desiderium, et volitio habendi Deum, siquidem ad Charitatem pertinet, ut sine dubio pertinere debet, ex illo ipso motivo *propter ipsum* concipitur. Namque anima vere amans Deum propter ipsum, amore præsertim intenso, ad Deum *propter ipsum* aspirat, et *propter ipsum* exoptat cum eo conjungi, et uniri unione, quam potest, maxima. Hinc sensus illorum verborum est ille, *non amares, nisi desiderares conjungi cum ipso propter ipsum*: hoc enim desiderium est effectus consequens, et mire exprimens naturam amoris ad maximam unionem aspirantis. Eodem intelligenda modo altera verba: *Quid est amare Deum, nisi Deum velle habere?* Ut enim optime advertit Suarez disp. 7. de Beatit. Sect. 1. (explicans quasdam Augustini propositiones non absimiles) amor expressus in quibusdam propositionibus denotantibus actum concupiscentiæ intelligendus est ad proportionem objecti amati. Cum enim objectum ametur propter ipsum solum, *volo Deum habere ex charitate* idem est prorsus atque *volo Deo conjungi propter ipsum*. Neque enim *habitus*, ut sic dicam, est realis possessio rei cujusdam emortuæ, qua uti possum ad libitum; sed est *habitus* quædam affectiva, unitiva, et conjunctiva cum Deo propter ipsum. Id quod apprime consonat desiderio benevolentæ ad unionem illam affectivam tendenti, ut scilicet persona amans sit magis Dei, sit divini juris, et in eum transeat omnino. Et hæc est ratio, cur Augustinus, quem hac in re Victorinus imitatur, amorem dicat animi motum ad fruendum Deo propter ipsum. Quam fruitionem explicat S. Doctor, ut alias observavimus in hoc eodem sensu, in quo procedit Victorinus. *Jam te, inquit, solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi soli servire paratus sum, quia tu solus jure dominaris, tui juris esse cupio*. Quid est enim cupere esse *juris Dei, nisi velle Deum habere Dominum jure dominantem in corde hominis se Deo tradentis?*

182. Sed quoniam hic etiam Auctor inculcat, et premit, quod insinuaverat alias, et quod deinceps repetere non cessat, *eum* nimirum, *qui Deum amat, se ipsum amare*, explicandum id est paulo accuratius, ut lector intelligat, quam sint momenti levis, quæ Bolgenium conturbant. Multis sane modis verum est, *eum, qui Deum diligit, se ipsum amare*, et in eo tantum sensu falsa est illa propositio, qui ab Auctore intenditur. Primum igitur vera est illa propositio, quia qui diligit se, sicut et proximum propter Deum, se ipsum quoque

ligit, namque dilectio ejusmodi terminatur ad diligentem, et ad proximum, sed Deum respicit, ut rationem motivam amoris. Deinde vera est illa propositio, quia qui diligit Deum summum, et universale bonum, in quo bonum particulare amantis includitur, se ipsum necessario amat. Præterea vera est eadem propositio, quia cum amans Deum sit affective unus Spiritus cum Deo, cum Deum amat, et seipsum amat, ut unum cum Deo.

183. Tandem (et hic est germanus sensus a Patribus intentus) vera est propositio, quia Deum amans, se ipsum verè salubriter, et effective amat. Nam qui amat verum bonum, amat quod amandum est, amat eum, ex quo omnia ei bona effective proveniunt. Sicut è contrario qui amat aliquid turpe, quia verum bonum non amat sed apprens, in eo collocans suam fœlicitatem, non amat vere se ipsum, non salubriter, non effective, sed potius se ipsum odit, pœnasque, ut ait Bernardus, mercatur in dies. Unde S. Leo serm. 38. de Passion. Dom. *Voluntatem, ait, Dei præferunt, (animæ sapientes) et tanto amplius se amant, quanto amplius pro Dei amore se non amant.* S. August. lib. 1. de Morib. Eccl. cap. 26. *Te autem, inquit, salubriter diligis, si plus quam te, diligis Deum.* Et Epist. 155. n. 14. *Nemo nisi Deum diligendo diligit se ipsum.* Hinc illæ frequentes apud Augustinum propositiones, quod turpe amans se non amat; quod verum bonum non amans se ipsum non amat. Horum omnium rationem reddit S. Bernardus utens distinctione illa Scholastica *affectivæ, et effectivæ*, ut vel hic etiam videat Bolgenius, SS. Ecclesiæ Patres Scholasticam non contemnere, sed ea potius uti, cum utilem, et opportunam existimant ad animi sensa aut brevius, aut appertius declaranda. Explicans S. Bernardus de Conv. ad Cleric. cap. 4. verba illa: *diligens iniquitatem odit animam suam, ita disserit. At forte aliquem moveat illud de Psalmo: qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ego autem dico, odit et carnem. An non odit, cui gebennæ cumulos mercatur in dies, et cui secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizat iram in die iræ? Cæterum hoc odium tam carnis, et animæ non in affectu, sed in effectu potius invenitur. Sic nimirum odit et pbreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopita.* En tibi quid velint significare Patres dicentes, eum, qui Deum diligit, se diligere, et qui Deum non diligit, non diligere se, sed se potius odio habere. Et en tibi sensus verus, germanusque verborum Victorini: *qui Deum amat, se ipsum amat, quia verum suum bonum amat.* Quem quidem sensum satis insinuat Scriptura apud Joan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

184. Superest, ut explicemus, quid Hugo intendat, dum eos re-darguit stultitiæ, qui Deum non quærunt, ne habeantur mercenarij. Sed cum ipse scribat aperte; *si pro ipso aliquid amas, mercenarius;*

si in ipso amas, et ipsum amas, filius es; satis mentem declarat suam. Supponit enim, amantem Deum non esse proprie mercenarium, neque operari ex intuitu mercedis formalis, quæ in essentiali beatitudine consistit, sed ad Deum usque transire, et in eo sistere, qui solum est merces causaliter, et objective, ut testatur Angelicus Doctor, cujus verba dedimus supra. Quare amor, quem exprimit Hugo per motum fruitionis Dei propter ipsum, unice respicit materialiter mercedem formalem in fruitione consistentem, et eam vult propter Deum. Ut enim ajebat Bernardus: *quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis tendit, non per quod tendit.* Exemplo res ista commostrari debet. Amat quis potionem dulcem, eamque dulcedine motus absument; amor ille dulcedinem respicit tanquam motivum, nec ultra pertransit. Amat alius eandem potionem propter sanitatem, cui recuperandæ opportunam, et utilissimam esse suppono; hic amor transit per dulcedinem quasi materialiter, et ex sanitate movetur, in eaque ipsa sistit, et ab eadem specificatur. Id ipsum in amore fruitionis videre quisque potest. Nam Spes, et Charitas ad fruitionem tendunt, illa per amorem, qui ex fruitione movetur, hæc autem propter Deum, ad quem tamen nisi per visionem, et fruitionem pervenire non potest.

185. Sapienter ut solet P. Suarez lib. 2. de Gratia cap. 13. num. 23. *Duobus modis potest quis sibi amare beatitudinem, uno modo in suum commodum, seu ut est bonum sibi, ita ut hæc sit proxima ratio amandi tale bonum, et hic est proprius amor concupiscentiæ, distinctus ab amore Charitatis: alio modo potest quis amare beatitudinem immediate, et proxime propter gloriam Dei, et ut illum tanquam amicum præsentem habet, et gaudeat de bonis ejus, et hic amor, licet materialiter, ut ita dicam, possit denominari concupiscentiæ respectu boni beatitudinis, quod quis sibi amat; formaliter vero, et quoad motivum est amor amicitiae. De hoc ergo posteriori amore amicitiae recte dicitur esse actum Charitatis, quia ex formali ejus motivo elicitur; et tale erat desiderium Pauli ad Philip. 7. desiderantis dissolvi, et esse cum Christo. Ubi vides amorem, et desiderium per beatitudinem transiens ad Deum ipsum, ab eo moveri, in ipso sistere, et unice dici posse mercenarium quasi materialiter, cum mercedem formalem respiciat solum tanquam objectum materiale. Et id est ipsum, quod scribebat Bernardus de divers. Serm. 3. de Cant. Ezech. *Non quero salutem, ut pœnas vitæ, aut in Cœlo regnem, sed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus scriptum est Psal. 83. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Concludimus itaque suspectum esse Hugoni Victorino amorem illum, ex quo non oritur desiderium fruendi Deo propter ipsum, indeque motum mercedis materialiter sumptæ ad Charitatem pertinere debere.*

186. Interest enimvero plurimum, accurate perspicere, quo tendat Hugonis intentio in loco ab Auctore laudato, ut veritas tractata
sub-

subtiliter, et delicate recte intelligatur. Hæc enim non tam ex verborum sono, quam ex fine Doctoris eruenda est. Urgebat amatores illos, quos non dubitat *stultos* appellare, ad amorem efficacem, et effectivum, volebat eos inducere ad inquisitionem Dei perfectam tum per opera bona, et impletionem præceptorum, tum per desiderium fruendi Deo propter ipsum, unde parum fidens amori illi, quem vel suis ipsi verbis satis ostendebant debilem esse, inefficacem, et pure affectivum, utpote *non quærentem Deum*, recte dicebat, nec eos intelligere naturam amoris ad perfectam unionem tendentis, nec Deum curaturum quidquam de illorum dilectione. Hanc esse mentem Victorini, eamque ex fine ab ipso præfixo, non solum ex ijs, quæ verba sonare videntur, indagandam esse, fateatur, necesse est, cl. Auctor. Id quod ita demonstro. Hugo Victorinus inducit cap. 7. ex amatoribus, quos corrigit, unum ita loquentem. *Quamvis dare non possum (quidquam Deo); tamen optare possum. Cupio, ut illi bonum eveniat. Possibilitas quidem mea parva, et exigua est ad illum, affectus autem, et amor dives in illum. Quod facere non possum, velle possum. Facere quidem, si possem, sed quia non possum, facio, quod possum.* Profecto verba hæc rite intellecta bonum sensum habent, eaque invenies (vix non ad verbum) in SS. Bonaventura, et Thoma, ut nos ipsi retulimus. Quod etiam confirmat idem Angelicus Doctor in 3. Sent. distinct. 29. art. 3. ad 5. inquit: *Si esset possibile, quod ex nostris operibus aliquid ei (Deo) accresceret, habens Charitatem multo plura faceret propter beatitudinem ei consequendam, quam propter eam sibi adipiscendam.*

187. Accedit, amorem Dei super omnia obedientialem talem esse debere, ut velit Deo bonum intrinsecum, et optet extrinsecum. Nec Bolgenius ipse negat hos actus, sed necessarios existimat, tum ut amor sit super omnia, tum ut amicitia sit completa, tum ut præcepto Religionis fiat satis. Audiamus tamen Hugonem contra hunc dicendi modum ita insurgentem. *Supervacua pietate moveris; Miserere potius tui. Ille satis habet. Tu illum, qui optimus est, meliorem facere vis?* Huic sane Victorini conventioni facile responderet Theologus amoris obedientialis, et efficaciter unitivi Patronus, dicens, ex eo quod Deo velim efficaciter bona sua intrinseca, et desiderem extrinseca, in quibus placeat, et glorificetur, non sequi, quod velim, Deum esse meliorem; sed quod velim esse talem, qualis de facto est, et quod afficiatur bonis extrinsecis, ametur, laudetur, et glorificetur ab omnibus, ut tu nos ipse, Victorine, docebas primam explicans petitionem Orationis Dominicæ. Hanc Theologi responsionem admitteret sine dubio Magister Hugo tanquam veram, et solidam, omnique fundatam ratione, et auctoritate. Sed quam dabit cl. Auctor responsionem ab illo probandam, si contendat illius verba, ut sonare videntur, accipienda esse: *Supervacua pietate moveris?* Profecto actus, per quem

quis

quis vult Deum esse talem, qualis est, fuit, eritque semper; et actus, quo quis Dei gloriam extrinsecam optat, quærit, desiderat, sunt apud Bolgenium actus verissimi Religionis, sunt amicitiae complementum, sunt tandem necessarij, ut amor Dei evadat amor super omnia. Estne *supervacua pietas* actus pertinens ad virtutem, quæ dicitur a S. Thoma *superexcellens Pietas*? Estne item *supervacua pietas* actus complens divinam amicitiam, et necessarius omnino, ut amor Dei sit amor verus super omnia? Puto, te, Bolgeni Clar., non facile inventurum exitum in labyrintho inextricabili, si Hugonis verba, ut videntur sonare, velis arcte retinere, atque interpretari.

188. Reliquum est igitur, ut finem intendas, et verborum sono non nimis adhæreas. Sana est ergo mens Victorini, qui amorem inefficacem quasi nihili pendet, si cum amore Dei efficaci, et effectivo conferatur. Sana est ejus intentio eo tendens, ut demonstret, nullam veram utilitatem in Deum derivari posse ex amore nostro, sed in nostrum commodum, et utilitatem veram omnia tandem effective recidere. Cum enim bonis nostris minime egeat, qui perfectissime bonus est, et cui nihil deest bonorum, quæ excogitari possunt, non potest affectus noster per modum veri, et stricti desiderij in ea tendere, quæ habet, vel extendi ad bona intrinseca, quæ non habeat. Sed tamen velle possumus, et debemus complacere in omni eo, quod habet, et procurare, ac desiderare, ut qui Sanctus est in se, Sanctus item habeatur ab omnibus, sanctificetur, et glorificetur, ut nos docuit Justitiæ Doctor in prima Orationis suæ petitione. Id quod aliter explicare non possumus, quam dicentes, velle nos, ut Deus afficiatur extrinsecis bonis honoris, obsequij, amoris, et gloriæ, quæ una possunt ab hominibus præstari.

189. Ex his, quæ hactenus dicta sunt nobis in hoc tertio capite, tria mercenariorum genera distinguenda sunt. Primum est eorum, qui per actus amoris perfecti, et desiderij puri tendunt in Deum, nihil aliud in illis actibus quærentes, quam Deo propter ipsum placere, eique inservire, quia bonus est, quia omni dignus obsequio, laude, et amore, Hujus classis homines fortunatissimi unice dici possunt mercenarij quasi *causaliter*, et de his loquitur expresse Chrysostomus, Bernardus, et Julianus Pomerius locis cap. 3. laudatis. Deus enim, quem propter se amant, est illis omnia, et quod Deus talis sit, qualis est de facto (id est, ipsa amati Beatitudo) est illis loco præmij, coronæ, salutis, et regni; sed ratione suæ perfectionis supræmæ est principium, causa, vel Author beatitudinis omnium. Ad eandem omnino pertinent classem, qui mercedem formalem, aut fruitionem desiderant ardentissime, non ut bonum eorum proprium, vel in sui commodum, sed ut magis Dei fiant, seu propter ipsum, et in Dei gloriam. Et hi solum dici possunt materialiter mercenarij, de quibus nuper Bernardus, et Hugo Victorinus. Id quod supponit S. Thomas expresse tradens, beatitudinem ex Charitate diligi posse propter Deum.

190. Alterum mercenariorum genus est eorum, qui per actus Spei Theologicæ tendunt in Deum ut adipiscendum, non ut omnino in Deo solo sistant, sed ut ex eo proveniat ipsis æterna beatitudo, vel adeptio boni infiniti. Et hi quidem dicuntur mercenarij, boni scilicet, et laudandi in sensu propriissimo, ut qui mercedem formalem, et præmium æternum ipsis a Deo propositum intuentur, ex eoque ad opera bona perficienda moventur. Atque hæc quidem affectio ad æternam beatitudinem non modo laudabilis est, honesta, supernaturalis, et in eo, qui gratiam habet, meritoria; sed etiam necessaria in hoc statu attentam imbecillitate nostra. Unde ad ea nos hortatur Salvator noster Jesus Christus tum in parabola vineæ apud Math. 20., tum cum alliciebat discipulos ad hujus vitæ tribulationes perferendas: *Gaudete, et exultate, quia merces vestra copiosa est in Cælis*. Quid quod vel charitas ipsa ex suo proprio motivo imperat frequenter hunc animi motum mercenarium, qui tunc solet esse ardentior, atque perfectior? Et hæc est ratio, ut mihi sane videtur, cur Augustinus, et Bernardus loquentes de amore casto, et gratuito propter Deum solum non ei contraponant hunc Dei amorem mercenarium, sed mercenarios temporales, quia nimirum cum amore illo gratuito solet esse conjunctus amor actualis æternæ beatitudinis, qui et ad amorem gratuitum mire disponit, et ab eodem frequenter imperatur, et perfectior evadit.

191. Tertium mercenariorum genus est eorum, qui Deum non colunt nisi ob mercedem rerum temporalium, de quibus frequenter Augustinus, et Bernardus. Hi profecto laudabiles non sunt, sed vituperandi, vel quia ultimum suum finem, ubi ponendus non sit, ibi collocant, quod summum est impietatis, et stultitiæ genus, vel quia ex nimia ad res temporales affectione, et terrenorum illecti cupiditate, cœlestia, æterna, et supernaturalia contempnunt, ficto corde, et simulata mente cum Deo incedentes. Quamquam et interdum non ita ficte procedunt, et malitiose, sed tamen eorum animus terrenis immersus cupiditatibus non nisi difficile cogitat de rebus æternis, et ad intelligenda cœlestia erigi vix posse videtur. Hos igitur mercenarios, nihil fere nisi terrenum sapientes insectantur Patres, eosque vituperant in concionibus verbis gravissimis, et satis frequenter contraponunt eis, qui Deo deserviunt amore gratuito. Nec erat cur mercenarios bonos operantes ex affectione præmiorum æternorum opponerent iis, qui Deum gratuito amant ob rationes superius insinuatæ. Quamquam et interdum, dum ad meliora charismata æmulanda adhortantur fideles, ad amorem illum nobilissimum propter Deum illos excitabant, monentes non solum spe præmiorum æternorum, sed ex affectu potissimum gratuito serviendi Deo propter ipsum operandum esse, ut vidimus ex Chrysostomo, et Bernardo.

192. Nec tamen idcirco credas reprehensione dignos eos omnes, qui

qui opera interdum exercent virtutis ex intentione boni temporalis. Fit enim sæpe, ut hæc intentio sit indifferens, aut etiam honesta; tum quia intendi potest bonum temporale tanquam secundario, et veluti accidentarium, eo scilicet modo, quo ipsum ordinatum est ut necessarium nobis; tum quia licet bonum temporale sit finis temporalis, dummodo malus non sit, nullam actui malitiam communicare potest. Quod autem medium nobilius ordinari non possit nisi contra rectam rationem ad finem ignobiliorem, non est universim verum. Licet enim interdum id, quod majus est, ordinare ad id, quod minus est, cum nimirum utrumque ordinatur ad aliquid excellentius, sic scilicet ut omnia in Dei gloriam referantur. Et sane quis neget, rectum omnino servari ordinem, cum majus bonum ordinatur ad minus absque jactura majoris? An amittitur Orationis bonum ex eo, quod per illam temporale aliquod honeste conquiratur? Sicut igitur interdum licet non facere opus virtutis, ita licet non facere nisi propter bonum temporale, modo ne positive bonum spirituale repellatur. Nec hac in re contrarij sunt Patres mercenarios arguentes temporales. Profecto S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3. et art. 5. ad 2. manifeste docet, fieri posse juramentum, quamvis actus sit Religionis, propter aliquam utilitatem humanam, quidquid hic dicat, frustra ut opinor, ejus interpres Cajetanus. Chrysostomus etiam Homil. 15. in Math. sine ambiguitate tradit, sæpe Deum promittere bona temporalia, ut imperfecti moveantur ad operandum bene. Hæc mihi visa sunt addenda propter spiritus aliquos tetricos supra modum, et rigorosos, qui omnia solent ex proprio spiritu dimetiri, et ut rite intelligatur, non omnem mercenarium temporarium reprehensibilem esse, et in legendis Patribus adhibendam esse cautionem, et discretionem, ex qua eorum doctrina ad speciem universalis sit interdum temperanda. Quin et ego in ea sum verissima, ut arbitror, sententia, ut credam, intentionem boni temporalis, si innitatur in divina Providentia, et a Deo ut ab Authore gratiæ speretur, ad Spem Theologicam pertinere: nam bona sic considerata ad hujus virtutis objectum pertinere censentur.

§. XIV.

Perficitur examen Capitis tertii.

193. **D**uo nobis tractanda supersunt pro tertii hujus capitis complemento. Primum est illud, quod hic Auctor indicat in Dissertatione, et latius prosequitur in Declarationibus, amorem scilicet benevolentiae a Theologis traditum rem esse obscurissimam, perplexam nimis, et praxi Fidelium minime accommodatam; alterum, Sanctos Patres in testimoniis ab Auctore laudatis clare omnino, in sensu obvio, et qui se primum objicit legenti, docere amorem concapi-

scen-

scientiæ, atque hunc esse sensum verum, et germanum, dum agitur de re ad praxim pertinente, qualis est amor charitatis. Pro primo puncto sic scribit Bolgenius hoc in capite. *Argumentum amoris Dei ex votionibus, et ideis a nobis propositis, et stabilis clarissimum redditur, et tolluntur de medio æquivocationes illæ, quæ hactenus apud multos Theologorum doctrinam istam obscurarunt.* Unde tandem obscuritas? ex subtilitatibus, inquit ille, Scholasticorum. Quod firmat in Dissertatione, et in Declarationibus confirmat. Unde cum in Appendice n. 411. accusasset obscuritatis, et nimix subtilitatis laudatum in Prolegomenis P. de Rubeis propter multiplex genus finium, qui in amore possunt, et solent intervenire, ita pergit: *ab his igitur intricatissimis distinctionibus vult ille (Rubeis) ut pendeat perfectio, vel imperfectio charitatis, atque inde impletio, seu transgressio præcepti amandi Deum. Quid igitur Fidelibus agendum erit, quorum pars longe maxima præcisiones istas non intelligit?*

194. Verum argumentum ex hoc desumptum capite est certe momenti nullius, ut jam alias insinuavimus claras tradentes notiones, et ideas certe perspicuas de objecto *formali*, et *materiali*, de multiplici causarum genere, et de diversitate finium, quæ quidem ignorari minime debent a Viro Theologo, qui rationem reddere velit Sapientibus, et Insipientibus eorum, quæ occurrunt in materia sublimi, recondita, et a sensibus remota, qualis est tractatio de Charitate Theologica. Videtur mihi Auctor de nihilo questum ciere, dum scribit, dependere minime posse a subtilitatibus illis observationem Præcepti a Populo ponendam Christiano ejus generis cavillationes sinuosas maxima ex parte non intelligente. Id ut omnium subjiaciatur oculis, juvat observare sequentia.

195. Primum: aliud esse amorem benevolentix respicere hoc, illudve objectum formale, seu materiale, tendere in Deum ut finem, cui volumus bona sua et intrinseca, et extrinseca, in Deo sistere, et ad creaturam non reflectere, esse perfecte extaticum, unionem importare affectivam, vel conjunctionem cum objecto amato, cui sic inhæret, ut ex eo nihil aliud quærat; et aliud (nimium quantum diversum!) Fideles hanc amoris naturam, proprietates, et attributa scire debere, ut amorem Dei super omnia elicere possint. Quis enim est in disciplinis ita parum versatus, ut duo hæc omnino diversa confundat? Credit sane Christianus Populus, Deum esse Summum Bonum, infinite amabilem, et dignissimum omni suo obsequio, laude, et amore. Satis illi est. Gratia Dei præventus, et adjutus in Dei amorem super omnia prorumpit. Et vero hic amor habet naturam illam, attributa, proprietates, quas recensuimus. Ab hujus naturæ amore dependet observatio præcepti amandi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Quid enim mea refert speculari, reflectere, et contemplari genus, et differentiam amoris, causas, objecta, et pro-

prietates, ut Deum amem ex corde, cum non cognitiones speculati-
væ, sed cognitio Fidei practica, plana, et nulli non pervia, et per-
ceptibilis regulare debeat actum amoris? Sapienter omnino Eximius
Doctor lib. 2. de grat. cap. 14. ad rem nostram sic scribit: *Si rudes,
et simplices procedant ex Fide, quamvis nesciant illas notiones nostro spe-
culativo modo distinguere, nihilominus in usu ipso, et exercitio appre-
hendunt Deum ut bonum quoddam excellentioris ordinis, et hoc satis est,
ut per gratiam ad supernaturalem amorem eleventur.*

196. Secundum: idem omnino argumentum fieri a quoque posse
contra Fidem, Spem, Religionem, aliasque virtutes, quarum natu-
ram, attributa, et proprietates explanare si velis ratione Theologica,
multa sane propones recondita, et abstrusa, et tanto magis difficilia
captu, quanto minor est Theologorum consensus in earum objecto ex-
plicando, quam in objecto Charitatis Theologicæ. Et vero quoniam
in Spe Theologica debet esse *fiducia, expectatio, desiderium, animi
erectio, certitudo* etc., dic mihi Bolgeni, quid tandem sit illa fiducia?
estne actus intellectus, an voluntatis, an ex utroque participans?
Expectatio illa estne longanimitatis species, an aliud quidquam a
longanimitate distinctum? Nec minor est difficultas in cæteris attribu-
tis. Non dubito, quin Bolgenius, quippe Theologus, illa omnia rec-
te percipiat, et explicare aperte posset, si daretur occasio. Sed vero
ad Populum Christianum in actibus Spei confirmandum, quorsum ista?
Satis est illi proponere Deum æternam beatitudinem promisisse omni
homini, qui ejus velit præcepta servare ex gratia, quam nemini negat.
Ex hoc actu practico Fidei fertur in actum Spei habentem omnia il-
la attributa, quæ recensuimus, et a quibus dependet observatio præ-
cepti. Quid dicam de Fide, de judicio credibilitatis, de pia affectio-
ne credendi, de assensu intellectus, ejusque objecto materiali, et for-
mali, et ultimo resolutive fidei, quæ nec fideles scire tenentur, nec
illis sunt necessaria ad eliciendum fidei actum præceptum? Quid item
de Religione, de ejus actibus internis, et externis, de elicitis, et
imperatis, de objecto materiali, et formali, de objecto *quod*, et de
objecto *cui*? Omnia hæc concurrere solent in actu Religionis necessa-
rio ad observationem præcepti, et fidelis Populus rerum harum ne-
scientiam habens, non dico, *ignorantiam*, actus Religionis elicit facil-
lime cum Dei gratia.

197. Tertium: hanc Bolgenij Dialecticam, novamque argumen-
tandi rationem Hæreticos ignorasse; alioquin hoc argumentum facilli-
me instituissent contra Polemicos, qui non sine subtilitate, acumine,
et doctrina haud omnibus pervia illorum errores insectantur. Agunt
interdum de Fide, de Spe, de Justificatione, contritione, vel attri-
tione, deque aliis argumentis, in quibus Fideles eliciunt has, aut il-
las actiones talem naturam habentes, proprietates, et attributa, qua-
lia describuntur a Polemicis. Cujus igitur momenti esset Hæreticorum

argumentum inde petitum, quod Fideles plurimum incapaces adeo abstrusæ subtilitatis elicere non possunt actus ita reconditos, ut non nisi ingeniosi satis apte queant eos explicare, et congruenter proponere?

198. Nimis multa erunt fortasse quibusdam, quæ in hanc rem verba fecimus non necessaria. Sed addenda est tamen altera reflexio, ex qua nemo non viderit, ut opinor, parum sibi, suæque doctrinæ consulere Auctorem, dum hoc premit argumentum. Monendus scilicet ne moneat, ut qui, tecta vitrea cum habeat, lapides conjicit in aliena. Quot enim, et quanta, carissime Bolgeni, abstrusa, implexa, difficillima captu congeris in Dissertatione, ut probes, tuum illum amorem concupiscentiæ esse amorem Dei super omnia, confugiens scilicet ad actum Religionis, ut amor major evadat? Quot circa mentem S. Thomæ, ut evincas, amorem esse propter Deum solum, et esse simul propter beatitudinem? Quot circa perfectionem, et imperfectionem Charitatis tum quoad naturam, tum quoad gradus, et quidem contra communem sensum? Quot circa timorem filialem, quem male appellas *mixtum* contra Augustinum, et Thomam, ceterosque Sapientes? Legi ego illa, nec sine admiratione legi, et quidem animi contentione non modica, ut penetrare possem sensa tua. Et tamen præceptum amandi Deum dependet ab impletione facienda per actum amoris a te descriptum. Et tamen attritio, vel contritio præcepta dependet a Charitate illa perfecta, vel imperfecta, quoad gradum, et naturam, vel a timore mixto, quem sic nobis operose proponis. Ut quid sentiam in re, plane eloquar, et sine anfractibus, pace tua dicam, o Bolgeni, doctrinam hanc tuam inutilem fore rudibus, qui eam non intelligent, peregrinam minus tardis, qui ex Concionibus aliqua didicerunt, Theologis autem absurdam, et minime coherentem. Sed me jam tædet ea referre, pudet impugnare, et vix non pænitet contra rationem leviusculam tantopere immoratum fuisse.

199. Nec vero committam, ut illud præteream, quod, hæc cum scribo, venit in mentem. Audivi (et quidem sic audivi, ut non possim rei assensum non præbere) magnos te, clarissime Domine, questus edere, quod impugneris idcirco, quia non satis percipitur doctrina, quam in Dissertatione tradis, et in Declarationibus explicas, novisque rationibus confirmas. Id autem si sit verum, ut existimo tale, plane demonstrat, quam sit momenti nullius, quod urges, argumentum contra Theologos benevolentiae Patronos. An amor ille tuus ad praxim non pertinet, sicut et amor benevolentiae Christiano Populo commendatus? Quare ergo contendis, a populo rudi intelligendam non esse explicationem amoris benevolentiae Theologorum, cum ipse perficere non potueris additis Dissertationi Declarationibus novis, ut a Sapientibus, qui se totos dederunt tuæ discutiendæ doctrinæ, intelligaris? At amor, inquit, concupiscentiæ æternam exoptans foelicitatem, sic in genere propositus, a rudioribus intelligitur: cætera autem,

quæ intimam hujus desiderij explicationem pertinent, necessaria non sunt pro praxi actus concupiscentiæ. Bene quidem respondes. Sed nonne vides, eandem argumento, quod premis, daturos esse responsionem patronos benevolentia? Amare Deum ex toto corde, quia Deus est infinite dignus omni amore nostro, res est per se clarissima. Velle Dei servare præcepta, ut ipsi placeam propter ipsum, non est cuiquam obscurum. Velle Deo omne bonum intrinsecum, et extrinsecum honoris, et gloria: velle ut ejus Nomen ubique sanctificetur, cognoscatur, adoretur, et honoretur, nullam aliam, ad praxim quod refert, explicationem exposcunt. Sit igitur procul hac ex parte omnis omnino contentio. Namque ad summum pares sumus in causa, quam moves. Illud tamén affirmare non dubito, neminem, qui tua legerit opera, vitio te obscuritatis laborare dicturum. Omnes tibi debitum honorem libentissime reddunt, facilem laudant elocutionem, et scribendi rationem, modumque sensa proponendi tua suspiciunt. Alijs igitur de causis impugnaris, quia scilicet scribis nimis clare, amorem benevolentia esse chimæricum, et fictitium, idque rationibus non certe solidis, et sine responsione Theologica ad argumenta validissima, quæ systema tuum manifeste convellunt. Atque hæc quidem pro diluendo crimine obscuritatis.

200. Veniamus ad alteram de SS. Patrum obvio sensu, et qui se primum objicit legenti. Primum igitur hæc Auctoris reflexio maxime favet Theologis pro suo in Deum amore benevolentia. Namque Patres conveniunt in eo, quod *Deus propter se ipsum diligendus sit*. Id supponunt Doctores omnes. Id etiam Fideles, quantumvis rudes, rogati respondent. Potest ne quidquam clarius esse notione illa *propter ipsum*? Augustinus certe non invenit notionem clariorem. Igitur cum in Patribus legimus, Deum esse diligendum ex visione, possessione, aut fruitione; vel amorem Dei esse desiderium videndi, possidendi, vel fruendi Deo, plane supponunt, et intelligunt, rationem motivam amandi esse *propter ipsum*, alioquin non amaretur Deus *propter ipsum*, sed propter aliud ab ipso. Tendit ergo amor per visionem, possessionem, et fruitionem ad Deum propter Deum, in eoque sistit tanquam in fine, termino, et motivo amoris. Et si aliud mihi ponas, propter quod Deus ametur, erit illud causa disponens hominem ad amandum Deum *propter ipsum*, ut recte S. Thomas. Atque hæc quidem de testimonijs Patrum, quæ videntur ad speciem significare visionem, possessionem, seu fruitionem esse causam motivam amoris, nisi velis, ut Charitas non sit virtus Theologica Deum immediate respiciens. Alia vero testimonia virtute innixa gratitudinis in sensu obvio, naturali, et qui se primum objicit menti, ad amorem ducunt amicitia, ut vidimus, et non concupiscentia, cum ducant ad redamationem, seu redditionem amoris talis, qualis suscipitur ex beneficio collato.

201. Deinde non semper sensus obvius, et qui se primum repræ-

sentat menti vel in Scriptura, seu Patribus est verus, atque germanus, etiam cum agitur de re ad praxim pertinente. Qua in re prudentiam Auctoris requiro. Timor Dei verbi gratia maxime spectat ad praxim, et tamen invenies in Scriptura textus ad speciem oppositos. *Cum timore, et tremore salutem vestram operamini*, ait Apostolus; et S. Joannes, *Timor, inquit, non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem*. Ad praxim pertinet, quod vites cæteros judicare: *nolite judicare, ut non judicemini*, ut est apud Mathæum; et tamen Paulus testatur, quod *spiritualis omnia judicat*. Quid est quod magis spectet ad praxim, quam operandi intentio? Et tamen de hac ita loquitur Scriptura, ut non sit germanus sensus, qui se primo legenti repræsentat, et opus sit labore, studio, et meditatione, ut sensum teneas omnino verum. Audi duo illa. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona . . . Nec justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Audi et alia Pauli. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: Placete omnibus per omnia, ut ego omnibus per omnia placeo*. Mitto alia plurima, quæ sunt in promptu de ira, juramento, amore inimicorum, Spe, Charitate, et alijs bene multis, quæ sunt in praxim deducenda. In quibus non statim occurrit legenti, qui certe non tanta sit excultus doctrina, quanta Cl. Auctor, verus, et germanus propositionum sensus. Ratio est mihi saltem evidentissima, quia eas legens satis frequenter immoratur, species renovat, volvit, applicat, et tandem post meditationem diuturnam verum sibi sensum tenere videtur. Imo et aliquando libros consulit, et sapienter firmam aliorum mentem, quamvis sit ipse sapiens, exquirat. Quæ quidem omnia sunt argumenta manifesta, non statim menti etiam doctorum se objicere sensum genuinum multarum propositionum, quæ in Scriptura continentur, ut ut ad praxim pertineant, vel rem exprimant spectantem ad mores. Et qui plura volet, legat libros *ΑΥΤΙΚΕΙΜΕΝΩΝ* S. Juliani Episcopi Toletani, ubi tot inveniet Scripturæ loca ad praxim spectantia sic ad speciem contraria, ut non parva sit opus mentis contentione ad ea concilianda.

202. Quod dico de Verbo scripto, etiam in dictis contingere Patrum, nec raro admodum, quis ambigat? Qui legit Cypriani exhortationes ad Martyres, videbitur sibi forsam nullam aliam agnoscere virtutem, præter tolerantiam, et futuri Regni expectationem. Qui legat Chrysostomum Charitatis virtutem, et excellentiam amplissimis laudibus extollentem, primo aspectu judicabit, S. Doctorem reprehendere amorem retributionis aternæ. Quid dicam de vitijs, quæ in concionibus insectatur oratione sic acri, et continenti, ut quod hic, et nunc, vehementer exagitat, illud esse maximum præ cæteris videatur? Bernardum si consulas de amore divino, cum alijs in locis, tum serm. 83. in Cantica, multas in eo propositiones invenies, in quibus nullum videtur dare locum cæteris affectionibus ab amore dis-

tinctis. Sed in re nimis clara non oportet amplius immorari.

203. Quid igitur agendum est nobis in testimonijs ad speciem dubijs, quæ non infrequenter legimus in Scriptura, et Patribus, quæque alius sic, alius aliter interpretari conatur? Dicam id, quod ab Auctore cl. scriptum invenio in Opere postremo de Æconomia Fidei, quod ut legi ego perlibenter, sic etiam ex corde illi congratulor, nec solum ipse, sed et amici mei, coram quibus avidissime perlecta est erudita simul, ac solida de Analyti Fidei tractatio. Hoc autem in opere nos docet Bolgenius, quæ sit ineunda via secunda, siquidem errorem vitare conamur in expositione Verbi scripti, et Verbi traditi. Statuit ibi prudentissime, Ecclesiam esse regulam vivam, et proximam nostræ Fidei; et cum sæpe contingat, ut testimonia mortua sic, vel aliter exponantur, tenendam esse, ait, accurate decisionem Ecclesiæ, quæ Fidem nostram debet proxime regulare. Hac ego regula, proportionem servata, utendum esse judico in argumento præsentem, non quod existimem, amorem benevolentiam rem esse ad Fidem pertinentem, cum nihil in re, quam versamus, definierit Ecclesia; sed quod certo teneam, communem esse Ecclesiæ consensionem, quam jam jam probaturus accedo, in docendo amore benevolentiam, quem omnes cum lacte suscepimus. per Episcopos, Parochos, Directores, Missionarios, et Catechistas. Quæ sane res mihi creat certitudinem moralem talem, ac tantam, ut quamvis respondere minime possem testimonijs, quæ ab Scriptura, vel Patribus proferuntur contra amorem benevolentiam, Ecclesiæ tamen adhærerem firmiter consensioni communi, et ignorantiam meam plane profitens illud mente docili, et animo submisso responderem, quod me docuit in re non multum absimili P. Gaspar Aste in celeberrimo Catechismo, quem didici puerulus, et nunc vir factus cum magna existimatione lego. *Ad me non pertinet harum discussionum difficultatum. Doctores habet Ecclesia Dei, qui respondere optime norunt.* Sed quia Bolgenius hanc Ecclesiæ communem consensionem nedum videtur in Dissertatione negare, sed oppositum potius sensum illi tentat adscribere, paulo accuratius discutienda res est ex conflictatione rationum, quæ adducuntur ab eo, et quas nos ipsi proferemus, ut veritas ipsa nullis oblecta obscuritatis involucris ex hæc etiam parte magis eniteat, et clarescat.

CAPUT IV.

Synopsis Bolgenianæ doctrinæ circa
Ecclesiæ praxim.

I. *Sensus Ecclesiæ nobis plane constat ex Christianis Institutionibus, seu catechesibus eo directis, ut Populus Christianus in virtutibus ad Religionem, et mores pertinentibus instituat. Et quamvis minime negarim, maximam harum Institutionum partem a Doctoribus amore imbutis benevolentia compositam esse; video tamen ipsis volentibus, aut nolentibus eam dicendi rationem elapsam fuisse, ut tandem dilabantur in amorem unicum, et verum concupiscentiæ. Summa omnium hac in re in eo continetur: Quinam est, quærent, finis ultimus hominis? et respondent, esse Deum tanquam fontem æternæ beatitudinis. Quærent item: In quem finem creatus est homo? Deo, respondent, ut serviat in hac vita, eoque in altera æternum fruatur. Jam vero qui eo dirigeret omnes vitæ suæ rationes, ut finem suum ultimum consequeretur, is profecto servaret omnia Dei mandata, et inter ea primum, et maximum diligendi Deum super omnia. Præterea Catechismus Romanus p. 3. cap. 2. n. 4. proponit ut motivum Charitatis Theologicæ divitias, quas Deus in nos effudit bonitatis, et dilectionis suæ, Et in Introductione, ubi redditur ratio, cur sit in lucem editus, indicat, immensam Dei erga nos Bonitatem debere esse motivum amoris nostri. Postremo explicans tertiam Orationis Dominicæ petitionem, fiat voluntas tua, ea nos docet clare exprimentia amorem concupiscentiæ. Quare tota, inquit, nitatur illo in Deum amore nostra Spes, qui mercedem amori nostro proposuit æternam beatitudinem. Cardinalis Bellarminus in celeberrima sua Clementis VIII. jussu composita Institutione Christiana Fidelibus explicans, quid sit Charitas? respondet, esse virtutem Theologicam, quæ animam elevat ad amandum super omnia Deum tanquam datorem gratiæ, et gloriæ. Pougget in Inst. Cat. part. 2. sect. 2. cap. 4. asserit, eum, qui Deum ideo diligit, quia expectat ab eo bona æterna, Deum caste diligere, quia (est ejus ratio) Bona æterna nihil aliud sunt, quam Deus, ideoque qui Deum propter bona æterna diligit, Deum diligit propter ipsum. Tandem plena sunt Acta SS. Martyrum, qui inter atrocissima tormenta in remunerationem aspiciabant, et æternæ gloriæ consideratione firmati mortem superabant. Qua in re majorem certe dilectionem habuerunt. Hunc vero amorem sic ardentem in Deum unde Christiani Martyres didicerunt, nisi vel ex Christianis Institutionibus, vel ex doctrina Pastorum Verbum Dei Fidelibus exponentium? Est ergo praxis Ecclesiæ constans, et perpetua nos docens, unicum amorem æternæ beatitudinis esse veram, et actualem Charitatem Theologicam.*

RES-

2. **C**um prævidisset Bolgenius, omnes ingenii sui conatus pro novo erigendo systemate amoris Dei irritos omnino futuros, nisi Ecclesiæ sensum, doctrinam, et praxim privato suo sensui accomoderet, in id etiam incumbendum sibi ipsi iudicavit, ut ostenderet, Ecclesiæ praxim sinminus conformem, certe contrariam non esse iis, quæ ex Verbo Scripto, et ex Patribus se demonstrasse putabat. Fateatur ingenuè, Ecclesiæ praxim e Catechismis esse potissimum eruendam. Fateatur item, maximam eorum partem (dicere quidquam majus sine religione potuisset) compositam esse a Theologis amore benevolentia præventis; sed et gratias agit Divinæ Providentiæ, quæ nulla ratione permisit, ut quæ publica Ecclesiæ doctrina traditur veritas, eorum privatis erroribus opprimeretur. Quo tandem modo facta sunt ista? In Catechismis ipsis, inquit Bolgenius, ab Auctoribus benevolentia compositis inveniuntur amoris concupiscentiæ vestigia. Ipsi illi intimo animi sensu veritatem agnovere, et multis eam, diversisque rationibus confessi sunt, quasi non advertentes, *quasi senza avvedersene*. Regit, ait, Spiritus Sanctus pennas Catechistarum, mentesque Fidelium ad veritatem dirigit. Grates tibi, Bolgeni, rependent maximas, quos in aliis Operibus debellasti, Ecclesiæ hostes, cum hac ipsa discurrendi ratione eis arma dederis, quæ, cum vacuus præoccupatione scribebas, gloriose ipsis abstuleras. Profers enim è Catechismis, in quibus Ecclesia loquitur, loca perpauca, eaque prorsus importuna, in quibus vestigium credis inveniri amoris concupiscentiæ; ut inde concludas eam esse praxim Ecclesiæ, cum tamen fatearis aperte, majorem Institutionum partem amorem benevolentia apertissime tradere. Quid Hæretici ex hoc tuo discursu proficere non possint contra Scripturam, et Patres, contra Traditionem, et sensum Ecclesiæ? Facile quippe erit illis suum in sensum aptare verba tua. Fatere igitur, Ecclesiam toto terrarum orbe dispersam docere publice, et constanter, non dico, iudicio definitivo, hoc enim raro admodum adhibetur ab ipsa, sed instructione certa, clara, nec in dubium a privato quoquam revocanda amorem benevolentia erga Deum Summum Bonum, et infinite dignum omni amore, laude, obsequio, et honore. Neque enim est alicubi gens Christiana, quæ ad amorem benevolentia non informetur, ut jam demonstro.

§. I.

Catechismus Romanus docet Fideles omnes amorem benevolentiae erga Deum.

3. **C**atechismus Romanus omnium Christianarum Institutionum facilius efformatus, jussu Pii V. Pontificis Maximi editus, a Viris pietate, et doctrina præstantibus singulari cura compositus, ad cujus regulam cæteræ factæ sunt deinceps Institutiones Catholicæ ubique terrarum sparsæ, non modo tradit, et docet amorem benevolentiae, de quo Theologi ante, et post Concilium tractavere, sed et hortatur Fideles ad omnes actus benevolentiae amoris, desiderii, et gaudii, ostendens modum eliciendi actus eos nobilissimos; ut qui ad maximam virtutem inter omnes christianas sine dubitatione referuntur. Agens enim p. 4. cap. 10. de Petitione I. Orationis Dominicæ: *Sanctificetur Nomen tuum*, ita nos ad amorem Dei benevolum informat: *Quid a Deo petendum, quove ordine id agendum sit, Magister ipse, ac Dominus omnium docuit, et imperavit. Nam cum studii, ac desiderii nostræ nuntia sit, et interpret Oratio, tum recte, et ratione petimus, cum postulationis ordo sequitur ordinem rerum expetendarum. Monet autem nos vera Charitas, totum ut animum, et studium conferamus in Deum, qui, quoniam solus est in se ipso summum Bonum, jure est præcipuo quodam, ac singulari amore diligendus. Nec vero ex animo, et unice potest amari Deus, nisi rebus omnibus, ac naturis ejus et honor, et gloria præponatur. Bona enim et nostra, et aliena, et omnino omnia, quæcumque boni vocabulo nominantur, ab illo profecta Summo ipsi Bono cedunt. Quare ut ordine procederet Oratio, Salvator petitionem hanc de Summo Bono principem, et caput instituit petitionum reliquarum, docens nos, priusquam ea, quæ nobis, aut proximo cuique opus sint, postulemus, quæ propria sunt Dei gloriæ, petere debere, ipsique Deo studium, et desiderium ejus rei nostrum exponere. Quo facto manebimus in officio Charitatis, qua docemur et plus Deum, quam nos ipsos diligere, et primum petere, quæ Deo cupiamus, deinde quæ nobis optemus.*

4. Hæc Catechismus num. 1. Ex quibus non modo Theologus eruditus, aut litteratus, sed vel rudis quicumque sit tandem, modo rerum terminos intelligere possit, illa colliget. Primo: petitionem hanc principem, et cæterarum caput ad Charitatem spectare, non ad Religionem, quæ sine dubio inferior est, etiam Spe, Fideque Theologicis, nec Deum immediate attingit, sed medio cultu. Quid est igitur, cur Bolgenius petitionem istam ita contentiose pugnet (num. 40. et alibi) referendam esse ad Religionem, nec vero hanc solum petitionem ad hanc virtutem existimet redigendam, sed et loca illa innumera Scripturæ Sacræ, in quibus Dei Nominis sanctificatio continetur?

tur? Secundo: veram charitatem esse talem, ut ejus actu totum in Deum animum, et studium conferamus, non ut ex ipso nobis aliquid proveniat, aut bona nostra curemus, sed ut mens tota sistat in Deo, ad quem convertatur, rapiatur, et referatur, de bonis intenta Dei, non de suis. Tertio: Deum jure quodam præcipuo, et singulari amore diligendum. Eccur autem? Quoniam solus est *in se ipso Summum Bonum*. Quid aliud, precor, Scholastici docent, quidve aliud docere possent? Ego sane in eorum nemine legi amorem benevolentiae descriptum clarius. Unde Bolgenius, si ipsi ingenue agendum est, suam ipse colliget Dissertationem non tam in Scholasticis editam videri, quam contra Catechismum Romanum, atque adeo contra cæteros, praximque universalem Ecclesiae, quæ ubique terrarum doctrinam de amore benevolentiae tradit, exponit, inculcat. Quarto: amari non posse Deum ex animo, et unice, nisi ejus honor, et gloria rebus omnibus præponatur, quia Summo Bono omnia bona nostra, ac per consequens æterna beatitudo (*il godimento*) cedere debent. Quinto: ex eo, quod plus Deum diligere debemus, quam nos ipsos, charitate ipsa admoneri, prius petenda nobis, quæ propria sunt Dei, quam quæ nostri sunt propria commodi, vel proximi. Explica, quæso, ista, Bolgeni Charissime, et quomodo charitas ipsa per se se plus diligit Deum, quam nos, velit Deo bona, eaque procuret priusquam nostra, nullo interveniente actu Religionis, a qua certe Charitas suam perfectionem, et supra virtutes omnes principatum non habet.

5. Cum hæc nobis tradat Catechismus n. 1. explicat deinde fusi-
 us per numeros octo, quomodo Nomen Dei sit sanctificandum? Quia
 nimirum licet Natura divina nulla re augeri possit, aut carere, et de-
 sideria sint earum rerum, quæ non habentur, tamen ea possumus, et
 debemus optare, petere, et desiderare, quæ ad illius externam glo-
 riam pertinere censentur. Hinc ex intimo benevolentiae affectu peti-
 mus a Deo in hac prima petitione, ut Nomen Dei sanctificetur in
 Infidelibus se Deo per fidem, et gratiam conjungentibus, in peccato-
 ribus ad Deum se convertentibus, et in justis in virtute crescentibus,
 et sic lucentibus coram hominibus, ut videntes opera bona glorificent
 Patrem, qui in Cœlis est. Hæc est enim Dei gloria, hic honor, hoc
 Nomen sanctificatum, quæ in bonis Dei externis posita sunt. Addit
 hic Catechismus *sicut in Cælo, et in terra*, docetque, ad tres primas
 petitiones referendum id esse. Profecto verba illa non significant, eo-
 dem nobis modo sanctificandum Nomen Dei in terra, quo sanctifica-
 tur in Cœlis, sic scilicet ut *amplitudo terrestris cœlestem exæquet* (id
 enim fieri nullo modo potest) sed unice declarant, illud nobis esse
 faciendum ex Charitate, et intimo animi studio erga Deum. Ut enim
 Cœlites summa consensione, gloria, et prædicatione efferunt Deum
 de bonis ejus gaudentes, multo sane magis quam de proprijs, ut vi-
 dimus ex Augustino, et Thoma; ita et nos Deum laudare debemus,
 ejus-

ejusque Nomen efferre, atque prædicare, magis gaudentes de bonis Dei, quam de proprijs. Si enim Deum, ut par est, magis amamus, quam nos ipsos, ratum est, ut gaudium amorem consequens sit etiam majus, perfectius, et excellentius.

6. Non dubito, quin Bolgenius hanc legerit in Catechismo explanationem primæ petitionis; sed lapsus, ut credo, in errorem est, quod legerit, eo dirigi petitionem, ut Nomen Dei sanctum ab omnibus colatur, unde ad Religionem censuit illam pertinere. Qua in re non parva videtur inesse Auctoris æquivocatio. Nam affectus per petitionem expressus ad eam virtutem pertinet, ex cujus motivo formali concipitur; ille autem affectus non ex cultu desiderato movetur, sed ex bonitate, et dignitate personæ, cui tribuendus est cultus, et cui volumus bonum illud extrinsecum, gloriam, et honorem. Id quod adeo manifestum est, ut probatione non egeat; alioquin cum non solum in hac petitione postulemus, ut colatur Deus, sed ut omnes in eum credant, et in ipso sperent, ad fidem, vel spem referenda esset petitio.

7. Post primæ petitionis declarationem explicat alteram Catechismus cap. XI. non eam referens ad Charitatem, ut Bolgenius intendit loco laudato, et per totam Dissertationem, sed ad Spem Theologicam, ut sic ordo congruens inter illas servetur, et, quæ vera sunt bona nostra, postulemus, postquam bona Deo postulaverimus. Deinde ut nos informet Catechismus ad omnem perfectionem, docet modum agendi, et sperandi, rectissimam proponens intentionem operationum nostrarum, per quam Dei voluntatem, et beneplacitum in omni opere, studio, ac exercitatione, quoad fieri possit, quæramus. Hæc illius sunt verba exponentis cap. XII. n. 20. tertiam petitionem: *fiat voluntas tua sicut in Cælo et in terra*, in quibus summa verissimæ sententiæ nostræ continetur. *Et vero in opere, et studio quod Deo navamus, summum amorem Deus, et eximiam Charitatem requirit: ut etiam si Spe Coelestium præmiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa speremus, quod, ut in eam Spem ingrederemur, placuit Divinæ Majestati. Quare tota nitatur illo in Deum amore nostra Spes, qui mercedem amori nostro proposuit æternam beatitudinem. Sunt enim, qui amanter alii serviant, sed tamen pretii causa, quo amorem referunt. Sunt præterea, qui tantummodo Charitate, et pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil spectent, nisi illius bonitatem, atque virtutem, cujus cogitatione, et admiratione se beatos arbitrantur, quod ei suum officium præstare possunt.*

8. Quæ quidem doctrina commentatione non indiget, sed una lectione, quæ satis ostendit beneplacitum Dei regere, debere, si perfecto modo operari volumus, operationes nostras, ut, etiamsi speremus beatitudinem nobis promissam, debeat esse conjuncta, et informata Spes nostra per Charitatem. Unde titulus, quem præfixit Catechismus,

ita fert. *Deo non pretii alicujus causa, sed amore ipsius parendum est.* Et ad marg. laudatur Bernardus *de diligendo Deo*, et innuitur in Cœlo sic fieri Dei voluntatem ex amore, et Charitate. Nec minus perspicue proponit nobis motivum amandi Deum in part. 3. ad quartum præceptum ita dicens: *Præterea charitas Dei ex ipso pendet: Deus enim per se, et non alterius rei causa summe diligendus est.* Atque hæc quidem ex Catechismo Romano, qui unus satis est sine controversia ad Ecclesiæ consensionem demonstrandam circa amorem benevolentiae. Ut enim inquit Summus Pontifex Clemens XIII. in Bulla *In agro Dominico: Illuc* (in hunc scilicet Catechismum) *eam doctrinam contulerunt, quæ communis est in Ecclesia, et procul abest a periculo erroris.* Item: *hunc librum, quem veluti Catholice Fidei, et Christianæ Disciplinæ normam, ut etiam in tradenda doctrinæ ratione constaret omnium consensus, Romani Pontifices propositum voluerunt.*

g. Nunc te, Clarissime Domine, amice convenio, ut quid tecum ipse cogites, apertissime dicas. Judicastine, usquam fuisse Parochum, Directorem, Missionarium, aut Catechistam, qui hæc Catechismi loca populo Christiano tradiderit alio in sensu, quam in eo, quem nuper retuli? Nonne omnes ad unum Parochi, pro quibus hæc Institutio Christiana tanquam communis Ecclesiæ doctrina composita est, gregem suum docent, Deum esse amandum super omnia, quia *Summum in se Bonum?* Nonne declarant Populo in prima Petitione petendam esse gloriam Dei, ut bonum ejus extrinsecum, cui omnia bona nostra cedere debent? Nonne docent in secunda Petitione, æternam nostram felicitàtem petendam esse, postquam bona Deo debita postulaverimus, ea nimirum ratione, quod diligere Deum debeamus magis, quam nos ipsos? Nonne tradunt aperte, esse modum operandi perfectiorem, credere, sperare, obedire, cæteraque peragere Dei præcepta, *quia id placet Divinæ Bonitati?* Nullum credo Pastorem Ecclesiæ intelligere aliter, seu aliter Fidelibus proposuisse hanc momenti maximi doctrinam Catechismi Romani. Et qua, quæso, admiratione, qua ingrattissima novitate audiretur Pastor clarissima hæc loca referens ad propriam cujusque felicitàtem, et ordinem Petitionum invertens ad normam tui Systematis? Noli jam Cl. Bolgeni, noli jam scribere, repetere, et confirmare Ecclesiæ praxi conformem esse peregrinam tuam opinionem de amore benevolentiae chimærico, fictitio, et ex notionibus inter se pugnantibus plane conflato. Tene potius *doctrinam communem in Ecclesia, quæ procul abest a periculo omnis erroris, nec recedas a norma Christianæ Disciplinæ, ex qua constat consensus in tradenda doctrinæ ratione.* Quod si vis aliud quidpiam magis adhuc firmans consensionem Ecclesiæ, lege Instructionem annexam per modum Appendicis ultimo Concilio Romano jussu Benedicti XIII. publicatam, ubi Parte 5. (apud Muzz. in Opusc. de motiv. amoris Dei p. 67) ita scribitur. *Pœnitens. Quinam est dolor perfectus, qui dicitur Contri-*
tio?

tio? *Confess. Dolor perfectus, seu contritio est dolor per Charitatem perfectus, ex qua propter solum amorem Dei ut Summi Boni displicet super omne malum commisisse peccatum. Exponitur deinceps formula amoris Dei hisce verbis: Deus meus, quia es Summum Bonum, Infinitum, et Perfectissimum, ego te amo super omnia.*

§. I I.

Amor benevolentiae intimatur Fidelibus a cæteris Catechismis per totum orbem sparsis.

10. **P**ost Catechismum Romanum caput, exemplar, et normam omnium Christianarum Institutionum, quæ ad omnes mundi plagas permanarunt, superfluum forsàn videbitur cuiquam cæteros Catechismos recensere, vel ex eis quidquam adducere, ex quo amor benevolentiae erga Deum mira concordia demonstretur. Vidit ista Bolgenius, unde in Dissertatione notavit, maximam harum Institutionum partem effictam ab Auctoribus esse amore imbutis benevolentiae. Qua in re ut fassus est multum, ita multum dissimulavit. Namque debuisset scribere, nullum se Catechismum invenire potuisse, qui amorem benevolentiae negaret, aut illum non supponeret. Et quoniam in medium omnes producere, res esset nullis circumscribenda finibus, celebriores afferemus ex omni tribu, populo, et natione. Erit enim operæ pretium, si lector observet mirabilem illorum consensionem cum inter se, tum cum Catechismo Romano, atque inde Ecclesiae per omnes mundi partes sparsæ doctrinam unanimem, cui nulli hominum in proprio abundanti sensu fas est ulla ratione repugnare. Orbis itaque Provincias, et Regna Christiana percurramus.

Post Catechismum Romanum maximam habet auctoritatem Catechismus Ven. Card. Roberti Bellarmini, ut tantopere commendatus ad Urbano VIII. Innocentio XI. Benedicto XIII. et Benedicto XIV. et qui in omnes fere linguas versus est Latinam, Germanicam, Polonicam, Hispanicam, Ibericam, Anglicam, Arabicam, Armenicam, Gallicam, Rheticam, et Visaiam ad Philippinas Insulas. Qua de causa in Missionibus sub Propaganda doctrina traditur Bellarmini ex Decreto Urbani VIII. in Ditionibus Turcicis, nec non apud Persas, et alias Nationes, ut etiam apud Polonos, Anglos, Borussios, Danos etc. Porro Catechismus Bellarmini vestigijs insistens Romani Catechismi eodem explicat modo petitiones Orationis Dominicæ, et primam refert ad Charitatem, alteram autem ad Spem Theologicam, redditque rationem eandem, quia plus debemus Deum diligere, quam nos ipsos, unde et prius Deo petenda sunt bona, quam nobis ipsis. *Tenemur, inquit, Deum diligere super omnia, et plus quam nos ipsos, et ideo primum, et frequentius desiderium nostrum versari debet circa Dei gloriam.*

12. Deinde ut motivum exprimat charitatis sine ulla ambiguitate, signat manifeste Bonitatem Dei. *Charitas se extendit*, inquit cap. 11. *proprie ad omnes homines, et ad omnia, quæ fecit, sed cum hoc discrimine, quod Deus amandus est propter se ipsum, cum sit Bonum Infinitum, sed amor extenditur ad alia, quæ amanda sunt propter amorem Dei.* Nec omittendi sunt actus virtutum Theologicarum, quæ jussu Benedicti XIV. præmittuntur Catechismo, de quo agimus, et qui tanti habitus sunt a Summo illo Pontifice, ut varias concesserit Indulgentias pro iis, qui in illis eliciendis se exercent. En tibi actum Charitatis. *Habes, Deus meus, infinitam Potentiam . . . Sapientiam, . . . Bonitatem . . . propter quæ dignus es, ut ameris ex toto corde, propter quæ dignus es, ut infinite ameris. Ego amo te summe, Deus meus, nolo te offendere, quia dignus es, ut ameris, et ego amo te ex toto corde.* En actum Contritionis. *Deus meus, pœnitet me ex toto corde, quod offenderim te, quia dignus es summo amore, et ego te amo ex toto corde.*

13. Consonat Catechismus Bononiensis correctus, et ampliatius sub auspiciis Benedicti XIV. Sic enim legimus. *Quo pacto fit actus Charitatis, vel amor Dei? Ego te amo, Deus meus, ex toto corde super omnia propter summam tuam Bonitatem dignam, ut propter se ipsam ametur super omnia. Item: Quid est contritio perfecta? Est dolor, quo quis dolet de peccato super omnia ex puro amore Dei, quia est in se ipso Summum Bonum. Cur hic dolor dicitur perfectus? Duplici ratione: primo, quia dolor hic non respicit commodum, vel damnum nostrum, sed unice respicit Summam Dei Bonitatem a nobis offensam . . . Secundo: quia statim obtinetur peccatorum remissio. Præterea ad calcem Catechismi proponitur canendus pueris actus Charitatis.*

*Perche siete in Voi stesso
Un Ben sommo, e perfetto,
Con ogni vivo affetto,
Signor, v' amo.
Sopr' ogni cosa io voglio
Amarvi, ed ubbidirvi,
Compiacervi, e servirvi
In sempiterno:
E questo, perchè Voi
D' eccelsa Maestà,
Per la Vostra Bontà
Lo meritate.*

Quo in cantico mire exprimitur amor obedientialis, ejusque formale motivum.

14. Magnam hic etiam habent auctoritatem, nec solum Bononiæ, sed et in Italia, et in Orbe toto Institutiones Christianæ celeberrimi Missionarij Patris Pauli Segneri. Hic autem in Christ. Inst. p. 1. rat.

7. n. 14. supposita distinctione amoris amicitiae, et benevolentiae ab amore concupiscentiae ad sensum Theologorum sic ait: *Præceptum amandi Deum super omnia obligat nos ad amandum Deum super omnia amore illo primo, id est, in gratiam sui, seu amore illo, qui dicitur amor amicitiae, seu benevolentiae, non autem amore secundo, scilicet mercenario, interessato, et improprio; qualis est ille, qui respicit non Domini bonitatem, sed utilitatem nostram, nec curat, quantum sit Deus Bonus in seipso, sed quantum boni possit ipse nobis facere.* Legatur item n. 6. ubi totam rationem amandi collocat cum S. Thoma in merito intrinseco Divinae Bonitatis. Eadem ratione loquitur Sapiens Director de Dolore perfecto part. 3. Discurs. 13. et aliis in locis.

15. Pro Regno Neapolitano, et Siculo extat celebris Catechismus clarissimi Patris Ferrari, qui quærens part. 3. *Quid sit Charitas?* Ita respondet: *Est virtus supernaturalis infusa animae nostrae a Deo data, per quam nostra voluntas sublevatur ad amandum Deum super omnia propter se ipsum. Quid est amare Deum propter se ipsum? Duplici modo amari quisquam potest, vel amore amicitiae, vel amore concupiscentiae. Primus amor non est interessatus, quia amat objectum propter se se, ut cum amo personam, quia bona est, prædita bonis moribus, et optimis qualitatibus, quamvis nihil eorum mihi afferat directe utilitatem, aut commodum.*

16. Octavius Regius pro eodem Regno part. 3. Doct. 6. *Quid est, inquit, contritio, seu dolor perfectus peccatorum?* *Est sincerus actus voluntatis nostrae, per quem odio habemus, et detestamur peccata nostra super omne malum propter amorem infinitae Bonitatis Dei, quem super omnia amamus.* Et cum dolor movetur ex spe præmiorum, vocatur ab ipso dolor imperfectus, vel attritio. Similiter part. 2. Doct. 23. explicat primam petitionem Orationis Dominicæ per Charitatem, et docet esse primam, et nobiliorem petitionem, quia per eam Deum amamus propter Deum, et non illum amamus, aliquid ex eo quærentes.

17. Sapientissimus ille Lippomanus Episcopus Veronensis, qui floruit Sæculo XVI., in suo Catechismo sub titulo *Expositio Vulgaris Christianae Doctrinae*, qui tantum obtinuit auctoritatis non in Italia solum, sed etiam in cæteris mundi partibus, Edit. Venet. 1568. lib. 3. p. 149. post amorem expositum, qui utilitatem respicit propriam, et declaratum alterum, qui quærit delectationem in Deo, sic scribit: *Tertius amor est amicitiae, per quem quis Deum amat per respectum ad ipsum Deum, quia nimirum est Veritas, Bonitas Summa, et ultimus finis omnium Creaturarum, de quo amore loquitur Bernardus.*

18. Magno in pretio habetur, et quidem merito apud Lucenses Catechismus cl. D. Petri Vanni. Hic autem tom. 2. p. 3. Instit. 38. sic ad rem nostram. *Quid est Charitas? Est virtus supernaturalis nobis a Deo infusa, per quam amamus super omnia Deum, quia ipse est*
id,

id, quod est. Cur dicitur, nos Deum amare, quia ipse est id, quod est? Quia causa principalis, et primaria, propter quam debemus Deum amare, est Deus ipse, nempe esse illum infinite amabilem in se ipso, et habere in se ipso meritum infinitum, ut ametur a nobis. Et tom. 1. Instruct. 18. explicat primam Orat. Dom. petitionem de Charitate pura, et gratuita in eundem sensum Catechismi Romani docens, hanc esse affectionem nobiliorem, et perfectiorem veri Filij erga Patrem, in cuius gloriam, et honorem præ suis omnibus commedit, et utilitatibus intentus est.

19. Nec minoris est apud Genuenses Catechismus pijsissimi Archiepiscopi D. Josephi Saporiti, ex quo duo colligo. Primum: *Quid est Charitas? Est virtus supernaturalis infusa a Deo animæ nostræ, per quam amamus Deum super omnia, quia est Bonum infinitum, et amamus proximum propter Deum. Alterum: Quodnam est motivum amandi Deum super omnia? Quia Deus est Bonum Infinitum, quod dignum est, ut a nobis ametur ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine nostra.*

20. Eundem habet sensum formula, quæ ad Calarim Sardiniaë proponitur Christiano Populo, ut fidem facit cl. Antonius Josephus Regono in aureo suo specimine contra Bolgenium, parvo illo quidem, sed vero tali, ut ei, me Iudice, non facile respondendum ab Auctore sit, etsi novas, et novas Declarationes adjungat. Hæc est formula perspicua, nullique obnoxia cavillationi: *Amo te, Deus meus super omnia. Amo te propter bona, quæ a te recepi. Amo te propter illa, quæ accepturum spero. Amo te potissimum, quia es Deus per te ipsum dignus infinito amore, et propter amorem tuum amo proximum sicut me ipsum.* Atque hæc quidem docet Ecclesia per Catechismos relatos in Italia, quibus et cæteros minus celebres omnino esse conformes, minime dubito. Adeamus Regionem alias, ut unanimis Ecclesie doctrina magis ostendatur.

21. Primas habet in Imperio Germanico nunquam satis celebrandus Catechismus Petri Canisij ex mandato Ferdinandi Romanorum Regis compositus an. 1554. quem, ut ait Possevinus lib. 4. Bibl. select. *universus pene Orbis libentissime excepit.* Quapropter versus est, omni fere adnidente Natione, in linguas Italam, Gallicam, Hispanam, Polonicam, Anglicam, et Hibernam. Unde non modo per Germaniam est in usu, sed et in cæteris gentibus una cum Catechismo Bellarmi- ni satis frequenter traditur, præsertim in Polonia, Prusia, Anglia, Dania, Suecia ect. Hic igitur per omnes fere partes extensus Catechismus ea nos docet de præcepto, et motivo charitatis. *Quid est charitas? Sincera dilectio, qua Deus propter se diligitur, et proximus propter Deum. Diligendus enim præcipue est Deus in omnibus, et super omnia, et propter se solum, ut qui Summum, æternumque Bonum est.*

22. Pijsissimus juxta ac Sapientissimus Joannes Gropperus Archidia-

conus Coloniensis in Inst. Cathol. quam meliorem esse Controversiarum Summam docuere passim Sapientes, ita definit charitatem. *Charitas est dilectio, qua Deus diligitur propter se, et proximus propter Deum, vel in Deo.* Et primam Orat. Domin. petitionem ad charitatem revocat cum communi Patrum dicens: *Da itaque initio, Sancte Pater, ut Nomen tuum Gloriosum, et Admirabile sanctificetur, hoc est, glorificetur, et celebretur toto terrarum Orbe.* Secundam Petitionem intelligit esse propriam Spei Theologicæ inquiens: *ut tuo ductu, et gubernatione tandem ab hujusmodi carnis ergastulo absoluti ex regno gratiæ ad Regnum Gloriæ tuæ, Regnum summæ tranquillitatis, et omnium gaudiorum plenum perducamur.*

23. Fusius idem ipsum tradit Ludovicus Danes Belga part. 3. laudatissimæ Doctrin. Christianæ cap. 1. *Quid est, inquit, Charitas? Est virtus divinitus infusa, qua Deus propter se, et proximus propter Deum diligitur. Quodnam est Charitatis objectum? Formale, est Divina Bonitas, quia nempe Deus in se summe bonus, excellens, et perfectus est.* Et cap. 4. q. 2. quærit. *Quid est diligere Deum, et quomodo diligendus? Respondeo, Deum diligere, est ipsi bonum velle cum quadam, uti docet S. Thomas, unione affectus, bonum utique suum, perfectionem suam, gloriam suam, sanctificationem Nominis sui in se ipso, in nobis, in omnibus. Diligendus est autem propter se, id est, non ideo tantum, quia nobis bonus, atque beneficus, sed quod in se sit fons inexhaustus bonorum omnium, qui in se omnes rerum omnium perfectiones, ob quas diligibilis est, infinito modo possidet, omnique adeo dilectione solus ab æterno usque in æternum dignus est.*

24. Brevius Franciscus Somnius Canonicus Ultrajectensis in sua Christiana Inst. inquit: *Quid est Charitas? Est sincerus, et bene ordinatus amor, per quem Deum amamus causa sui ipsius super omnia, et proximum in Deo, vel propter Deum.*

25. Juvat firmissimam hanc Ecclesiæ doctrinam, et consensionem ostendere in toto hoc terrarum tractu ex formula actuum Spei, Charitatis, et Contritionis, quam misit olim peramanter amicus meus, eam decerpens ex Appendice Germanico et Gallico ad Catechismum in quinque partes divisum, qui traditur, explicatur, et præ cæteris commendatur pro Archiepiscopatu Mechliniæ, cæterisque ejusdem Suffraganeis Episcopatibus. Actus Spei. *Dominus meus, et Deus meus, spero propter merita Jesu Christi remissionem peccatorum, gratiam bene vivendi, et tandem vitam æternam, quia es erga nos infinite bonus, omnipotens, et fidelis in tuis promissionibus. In hac spe volo vivere, ac mori.* Actus Charitatis. *Dominus meus, et Deus meus, ego te amo super omnia ex toto corde, quia es supremum Bonum, et amo proximum, sicut me ipsum, propter amorem tuum. In hoc ego amore volo vivere, et mori.* Actus doloris. *Dominus meus et Deus meus, pœnitet me ex profundo corde, quod meis peccatis offenderim tuam Divinam Majestatem.*

Ego illa odi, et detestor propter amorem tuum, et propono firmiter etc.

26. In Gallia clarus habetur soliditate, et perspicuitate doctrinæ Catechismus P. Guillelmi Hyacinthi Bougeant, qui ad cæteras etiam Nationes non sine laudis commendatione pertransiit. Post definitionem Charitatis Theologicæ ad Scholasticorum sensum omnino expositam, quæritur in eo sect. 2. cap. 3. *Quid est amare Deum propter se ipsum?* Et respondetur. *Est illum amare propter suas infinitas perfectiones. Id est, quia est infinite Bonus, Perfectus, et infinite Dignus, ut ametur.* Explicat deinde, ut tollatur errorum occasio, quomodo et habitus Charitatis, et ejus actus conjungantur optime in eadem anima cum habitibus, et actibus cæterarum virtutum, quin unus habitus, et actus alterum excludat. Quæritur item in 3. p., *quodnam sit discrimen inter motiva contritionis, et attritionis?* et respondetur: *Contritio perfecta oritur ex amore Dei, qui est Charitas. Est illa amaritudo quædam Filij bene nati plena doloris, quod offenderit Patrem a se plus amatum, quam amare possit vitam propriam. Attritio vero oritur ex motivo multo imperfectiori, qualis est Spes Bonorum æternorum etc.*

27. Ita etiam per omnia cl. D. Nicolaus Turlot in eximio Catechismo toties edito: *Quid est Charitas? Est virtus a Deo infusa, per quam Deum diligimus propter se ipsum, et proximum sicut nos ipsos propter amorem Dei. Quid igitur significat amare Deum propter se? Amare Deum propter suam Bonitatem, Misericordiam, Pulchritudinem, Potentiam, et propter infinitas alias Perfectiones, propter quas est dignissimus, ut ametur.*

28. In eundem sensum nobis tradit motivum Charitatis clara Institutio Christiana Francisci Pometi dicentis: *Quid est Charitas? Est virtus, per quam Deum amamus propter ipsum, et proximum propter amorem Dei. Et quid intelligat propter ipsum, subjicit statim ex formula actuum Charitatis, quos proponit 1. Deus meus, ego te amo ex corde meo super omnia, quia es infinite perfectus, et Deus meus. 2. Domine mi, gaudeo, quod sis idem, qui es, id est, infinite bonus, infinite sapiens, infinite potens. O si totus mundus te cognosceret, et adoraret, ut dignus es!*

29. Nec discrepat ab his Gallicis Institutionibus Catechismus Meldensis, qui est ille ipse, quem formavit Illustrissimus Bossuetus. In eo quippe (apud Mazz. p. 70.) legitur formula actus doloris tom. 2. oper. p. 634. his terminis contenta. *Deus meus, da nobis remissionem peccatorum nostrorum. . . Pœnitet nos offendisse te, et detestamur ex corde peccata nostra, quia displicent tibi, qui ES INFINITE BONUS.* Idem Meldensis mentem suam aperit omnino conformem Catechismo Romano, dum explicans locum illum a nobis relatam de amore gratuito serviendi Deo, ita loquitur in Præf. ad Instruct. Past. n. 80. quæ habetur tom. 6. p. 384. *Servire Deo propter retributionem, est illum amare in aliquo sensu; sed hic non est amor amicitiae, sed concupiscentiæ, qui se solo non constituit hominem in statu veri amici. Amor, qui ho-*
mi.

minem constituit in hoc statu est ille, per quem movetur homo a merito, et bonitate amati tanquam ab objecto specifico, et principali. Jam vero ut cæteros ejus Gentis Catechismos omittam (sunt enim omnes inter se concordantes), placet finem imponere Catechismo Lugdunensi, qui summæ habetur auctoritatis, ut qui editus est anno 1700. jussu Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Claudii de S. Georgio Archiepiscopi, et Primatis Galliarum. Scribitur in eo pag. 50. *Quid est Charitas? Est Dei donum, ex quo nos Deum amamus super omnia, et proximum sicut nos ipsos propter amorem Dei. Fac actum Charitatis, dicitur pag. 16. Ego te amo, respondetur, super omnia propter te ipsum. Quomodo faciendus est (pag. 75.) actus Contritionis perfectæ? Pœnitet me ex toto corde meo, quod te, Deus, offenderim infinite bonum, et infinite amabilem, et quia tibi displicet peccatum, propono firmiter ect.* Hinc proponit pag. 77. ut motivum potissimum excitans contritionem perfectam *Bonitatem Infinitam Dei in se ipsa consideratam, quæ, quamvis nos bonis plurimis non affecisset, est ita bona, et ita amabilis, ut mori millies potius deberemus, quam illam semel offendere.* Circa Orationem Dominicam tria hæc tradit (pag. 103. et 104.) cæteris Catechismis communia. Primum, *Christianum præferre debere honorem, et gloriam Dei utilitati propriæ, et prius petere bona Deo, quam bona sibi.* Id quod respicit congruentem ordinem petitionum. Alterum, primam petitionem ad Charitatem spectare, et idcirco dici primam, quia Deum debemus magis diligere, quam nos ipsos. Ultimum, secundam petitionem Spei propriam esse, cujus est *et expectare, et desiderare Regnum Dei, id est, Paradisum, et pag. 16. possessionem Dei.* Non Credo, Dissertationis Auctorem revocaturum esse Regnum Dei, Paradisum, possessionem Dei ad bona temporalia, vel ad beatitudinem accidentalem distinctam a beatitudine essentiali, quæ una juxta illum expetitur, et desideratur a sua Charitate Theologica. Ut vel hinc videas, quam nullum insit discriminis in opinione Bolgenii Spem inter et Charitatem Theologicam.

30. In Hispania satis sit significare, quod docetur in brevissimo, et limatissimo Catechismo Patris Hyeronimi Ripalda, nunc denuo excusso jussu Eminentissimi D. Francisci de Lorenzana S. Romanæ Eccles. Cardin. Amplissimi, Archiepiscopi Toletani, et Hispaniarum Primatis. Hoc enim Catechismo, et tribus alijs omnino conformibus Astete, Ledesma, Reynoso eruditur omnis Hispanorum Natio, nec in Europa solum per tot Regna, sed et in America Meridionali, et Septentrionali, et in Insulis Philippinarum. *Quid nos Charitas docet? ait Ripalda: Respondeo: Docet nos, ut amemus super omnia Deum tanquam Bonum Summum. Quid est amare Deum super omnia? Velle potius omnia perdere, quam Deum offendere. Quid est perfecta Contritio? Est dolor animi intimus super omnes dolores, quod Deum offenderis, quia talis est, nempe Summum Bonum.*

31. Gaspar Astete explicat petitiones Orationis Dominicæ ad expositionem Catechismi Romani sic, ut prima de Nominis sanctificatione ad Charitatem, et altera de adventu Regni ad Spem Theologicam pertineat. Et explicans, quid sit Deum amare super omnia, respondet: *velle potius amittere omnia, quam Deum offendere*. Non dicit, quam æternæ beatitudinis amissionem incurrere, sed *quam Deum offendere*. Summum scilicet Bonum, infinite dignum omni amore.

32. Doctor Ledesma vix quidquam nec in verbis ab Astete discrepat. In prima petitione Orationis Dominicæ docet esse petendam, et desiderandam gloriam Dei, et honorem ejusdem. In altera autem beatitudinem nostram. Unde distribuit res petendas, et desiderandas ad sensum nobis explicatum juxta ordinem S. Thomæ, ut nimirum primum petamus honorem, et gloriam Deo debitam; deinde nostram Beatitudinem; et tandem res necessarias ad eam assequendam. Quærit insuper de Charitate loquens: *Quem amare debemus ex Charitate? Et respondet: Deum super omnia, et proximum sicut ipsos. Quid vult dicere, super omnia? Quod potius mori debemus, quam Deum offendere*. Ubi vides, non dici, quam amittere beatitudinem æternam, sed quam Deum offendere. Nam timor filialis ex Charitate profectus offensam Dei reformidat directe, quia est malum super omne malum, utpote oppositum immediate Summæ Dei Bonitati, quæ a Charitate respicitur. Contra vero amissio æternæ Beatitudinis non est malum super omne malum, cum in ratione mali multum sane cedat offensæ Dei.

33. Illustrissimus Reynoso duo nos docet in suo limpidissimo Catechismo. Primum: objectum motivum Charitatis esse infinitam Dei, et indefectibilem Bonitatem in se. Alterum: contritionem perfectam extra Sacramentum justificantem esse efficacem peccati detestationem, innixam amorì Dei summe Boni super omnia. *Qualis, inquit, debet esse contritio, ut per eam nobis remittantur peccata, et in Dei gratia constituamur? Tria debet habere perfecta Contritio. Primum est, quod amantes Deum super omnia propter Summam Bonitatem, quam habet, et quia est ipse, qui est, peccata detestemur. Alterum, quod odio habeamus peccata magis, quam omnia pœnæ mala et in hac vita, et in altera, quia nimirum sunt offensæ Dei. Tertium, quod habeamus propositum non peccandi de cætero, et confitendi, cum possimus peccata etc.*

34. Reliqua est Hispaniarum pars, quæ Natio est nobilissima Cantabrorum, suum illud antiquissimum Idioma conservans, a propria discrepans Hispanorum lingua. Pro hac erudienda Regni parte prodijt etiam Catechismus D. Martini Arzadun lingua Vasconica conscriptus, et est accuratissima versio P. Gasparis Astete, unde quæ de hujus diximus Catechismo, de Catechismo Cantabriæ intelligenda sunt. Habent etiam Cantabri aureum librum Vasconicum viri illius plane Apostolici Augustini Cardaveraz, qui inscribitur *Institutio Christiana*. In eo pueri, rudes, sapientes, et insipientes sic informantur ad actum

Charitatis eliciendum. *Domine mi Deus Optime, et Bonitas ipsa. Ex toto corde meo te amo, non solum, quia creasti me, a peccatis libera- sti me, tantaque Bonitate vitam donasti mihi: nec solum quia Coelestem tuam Gloriam promisisti, eamque vis mihi in aeternum donare; sed te volo, Domine, teque amo vel maxime summo, quoad fieri potest, a- nimi mei conatu, ac viribus super omnia, quia tu es Deus meus Opti- mus, amoris nostri univrsi Bonitas ipsa. . . Et si nec amittendi Caeli, nec Inferni subeundi timor adesset, tu tamen es Bonitas semper ama- bilis.*

35. Profecto Catechismi relati summam habent auctoritatem in Hispania tota, et in ambabus Americis non solum ob brevitatem, ni- torem, et perspicuitatem, sed quia memoriter ediscuntur a pueris, et rudibus, qui singulis annis tenentur reddere Catechismi rationem Parocho eos de Doctrina Christiana examinanti. Sunt et aliæ Institu- tiones Christianæ fusiori scriptæ oratione, quæ tamen omnino consen- tiant cum brevissimis in argumento de Spe, Charitate, et Contritio- ne. Sit in exemplum *Compendium totius Doctrinæ Christianæ* compo- situm a perinsigni Theologo Joanne a S. Thoma. In hoc igitur com- pendio, quod ad manum habeo, in Editione latina (post septem His- panas) Mediolani an. 1576. explicatur amor Dei appetiatiuus super omnia verbis hisce: *Solum Dei amorem attendere debemus, et nullo mo- do nostram voluntatem, solum Dei beneplacitum, non nostrum gustum, aut inclinationem.* Omitto explicationem Orationis Dominicæ, in qua mire exprimit doctrinam a nobis traditam S. Thomæ, et commendat ordinem nostrarum petitionum, et desideriorum eodem fere modo ac Romanus Catechismus.

36. Sed quod demonstrat Ecclesiarum omnium, quæ sub Ditionibus Hispanis (et Lusitanis, ut videbimus) continentur, miram in re, de qua agimus, consensionem, est formula Actus Contritionis his conclusa verbis: *Domine Jesu Christe, Deus, et Homo verus, Creator, et Redemptor meus, pœnitet me ex toto corde, quod te offenderim, quia es ipse, qui es, et quia te amo super omnia. Propono de cætero nunquam peccare etc.* Porro hæc formula servatur arcte in Ecclesijs omnibus, Congregationibus, domibus, et angulis Hispaniæ, et utriusque Americæ tum publice, tum privatim. Nec facile est, tempus definire, unde cœpit observari formula ita clara, atque perspicua, quam pueri, juvenes, et senes memoriter tenent, quam rudes, litterati, et tot Sancti frequentarunt. Putasne, Bolgeni, gentem in primis catholicam, ve- ri, rectique tenacissimam in rebus pertinentibus ad præcipua Doctri- næ capita, non aliam sectari potuisse formulam in elicienda Contri- tione, nisi chimæricam, et fictitiam, et quidem per tot Sæcula, in quibus innumeros Ecclesiæ dedit Sanctissimos Viros, quibus erat solem- ne hac eadem formula gentes in Concionibus magna animi contentio- ne percellere, et populos ad pœnitentiam excitare, dirigere, et infor-
ma.

mare? Potuistine in animum inducere, ulla posse ratione fieri, ut Dissertatio illa tua de unico amore concupiscentiæ in Idioma Hispanum ab amico conversa exciperetur, non dico, comiter, sed vel patienter a Natione, quæ, si usquam alia, custos est severissima Doctrinæ communis Ecclesiæ, Dignitatis in primis memor suæ, et praxeon a Majoribus traditarum retinentissima? Non miror, si ut sensit Hispania in te gravissima doctrinæ novitatem, limis eam oculis spectarit, suppresserit, suffocarit. Sic enim fertur, et de re non sane incredibili litteræ exhibentur.

37. Pro Lusitaniæ Regnis tres sunt Catechismi omnino conformes, quibus ad doctrinam Christianam informantur Populi, non in Europa tantum, verum etiam in Ditionibus Orientalibus, et Occidentalibus; quas ad Goam, et Partes Brasilæ Lusitania possidet. Primus ante omnes celebratur Catechismus P. Ignatii Martinez, qui non in sensu solum adhæret Ripaldæ circa objectum motivum charitatis, sed etiam in verbis eundem fere sequitur. Proponit item Actum Contritionis eadem prorsus formula, ne minimo quidem excepto verbo, in qua illum vidimus, in Hispania proponi. In idem recidit altera formula, quam audio a Viris Doctis ejusdem Nationis satis frequenter usurpari: *Pœnitet me, Deus, ex toto corde, quod te offenderim, quia es infinite Bonus, et infinite dignus amari.*

38. Jam vero quoniam Ecclesiæ Latinæ per Orbis partes præcipuas sparsæ in medium protulimus, quæ majori habentur in pretio, Institutiones Christianas, non est omittenda illa Græcorum Natio, quæ unita est Ecclesiæ Latinæ, et pars est apprime Catholica sub eodem unico Capite contenta. Dicere possem uno verbo Gentem Græcam erudiri cunctam ad Christianos mores ex Catechismo Ven. Card. Roberti Bellarmini. Unde quod ex eo supra retulimus, fidem quoque facere debet de doctrina, quam Græci sequuntur de Charitate. Placet tamen exemplar Græcum proponere, atque versionem latinam, ut palam fiat omnibus, nullam esse discrepantiam in re tanti momenti, qualis est amor Dei super omnia, et peccatorum Contritio. Prius tamen illud adverto, Romæ an. 1637. expensis Sacræ Congregationis Propag. pro Græcis Catechismum lingua vulgari, quæ apud eos in usu est. Sed vero cum hæc lingua vulgaris discrepet in syntaxi, et in aliquibus vocibus a lingua Eruditorum, excussum est etiam Dictionarium peculiare, ad cujus leges versionem propono fidelissimam post exemplar, quod sic habet.

39. Τί θέλει γὰ εἰπῆ ἀγίασθήτο τὸ ὄνομα σου ἄσ ἀγίασθῆ τὸ ὄνομα σου; Ὁ ἴσραηλ εἰς τοῦτον τὸ τόπον σημαίνει τὴν φήμην τὴν γνωρίμακν, ὡσαν ὅταν λέγω μεν, ὅτι ἕνας ἔχει μεγάλον ὄνομα, διὰ τί εἶναι γνωρίσμενος ἀπὸ πολλοῦς. ἢ ὅτι ἔχει καλόν, ἢ κακόν ὄνομα, διὰ τί ἔχει καλήν, ἢ κακήν φήμην, διὰ γὰ εἶναι
γνω=

γνωρισμένος ἀπὸ πολλοὺς, καὶ ἐπαινεμένος, ὡσάν καλὸς ἢ κακοφημισμένος ὡσάν κακὸς, ὅθεν νὰ ἀγιασθῆ τινὰς, τὸ ὄνομα του Θεοῦ, δὲν εἶναι ἄλλο παρά νὰ σκορπίσῃ εἰς τὸν κόσμον τὸν γνωρισμὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ νὰ τὸν φυλάξῃ καθαρὸν, καὶ ἅγιον εἰς τὰς καρδίαις, καὶ εἰς τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἶναι εἰς τὸν ἑαυτὸν του. Καὶ διὰ τί εἰς τὸν κόσμον εἶναι πολλοὶ ἄπιστοι ὅπου δὲν γνωρίζουσι τὸν Θεόν, καὶ πολλοὶ κακοὶ χριστιανοί, ὅπου τὸν βλασφημοῦσι, καὶ κακολογοῦσι, διὰ τοῦτο ἐκεῖνοι ὅπου εἶναι παιδιὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἔχουσι ζῆλον τῆς τιμῆς τοῦ Πατρὸς, παρακαλοῦσι μὲ ἐπιθυμίαν μεγάλην νὰ εἶναι ἀγιασμενὸν τὸ ὄνομα, ἡγουν ὅλος ὁ κόσμος, νὰ τὸν γνωρίσῃ, νὰ τὸν προσκυνᾷ, νὰ τὸν ἐπαινῇ, καὶ νὰ τὸν εὐλογῇ καθὼς πρέπει.

Quid sibi volunt verba ista? Sanctificetur Nomen tuum.

Nomen hoc loco famam, notitiamque significat, ut cum dicimus, hic magnum nomen habet, quia multis notus est; aut certe bonum nomen, vel malum habet, quia famæ bonæ, vel malæ est; aut multis notus est, quia, vel ut vir bonus laudatur, vel ut malus passim proscinditur. Itaque Nomen Dei sanctificare nihil est aliud, quam Dei notitiam, agnitionemve per totum mundum spargere, eamque in ore, ac corde hominum sanctam, illibatamque conservare, uti in se ipsa est. Quia vero in mundo Infideles multi Deum non cognoscentes, multique malī Christiani in Deum blasphemi, ac maledici inveniuntur, ideo qui Filii Dei sunt, zeloque tanguntur honoris paterni, ingenti cum desiderio precantur, ut Nomen ejus Sanctificetur per Orbem universum, id est, ut agnoscat ab omnibus, adoretur, laudetur, ut par est, et benedicatur.

40. Ex hac prima Petitionis expositione satis est nobis manifestum, illam ad Charitatem referri, cujus est *Dei Nomen* per totum mundum spargere; ὅλος ὁ κόσμος νὰ τὸν γνωρίσῃ cuius est zelus paterni honoris: καὶ ἔχουσι ζῆλον τῆς τιμῆς τοῦ Πατρὸς, cujus est movere Filios Dei ad precandum pro Patris honore: Παρακαλοῦσι ἐπιθυμίαν... Quod si quisquam hærere adhuc velit in re perspicua, audiat, quomodo id ipsum nos doceat Catechismus rationem reddens, cur ab hac Petitione incipiat Oratio.

41. Διὰ τί ἀρχίζει ἡ προσευχὴ ἀπὸ τὸ ζήτημα τοῦτο

νὰ εἶναι ἀγιασμένον τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ;

Ἡμεσθα κρατόνμενοι νὰ ἀγαποῦμεν τὸν Θεόν πλεόν ἀπ' ὅλα τὰ πράγματα, καὶ παρά τοὺς ἑαυτοὺς μας. Καὶ διὰ τοῦτο ἡ πρώτη μας, καὶ πλεόν συχνὴ ἐπιθυμία πρέπει νὰ εἶναι ὅτι νὰ δο-

ἔαζεται ὁ Θεός, καὶ διὰ τοῦτο ἐπλασθήκαμεν, καὶ ἐξολισθήκαμεν ἀπὸ λογαριασμὸν, διὰ νὰ γνωρίζωμεν, καὶ νὰ ἐπαινοῦμεν τὸν Θεόν, ὁ ὁποῖος εἶναι τὸ ἀκρότατον ἀγαθὸν τοῦ ἀνθρώπου, καθὼς θέλομεν εἰπεῖ παρακάτω.

Quare inchoamus hanc Orationem ab ea petitione Sanctificetur Nomen tuum?

Obligati sumus ad amandum Deum super omnia, et quidem magis, quam nos ipsos. Quare ardentiore, ac frequentiore desiderio, ut Gloria Dei propagetur, quaerendum est, qui propterea quoque creati, et ornati ratione sumus, ut cognoscamus, et laudemus Deum, in quo etiam, ut dicitur, summum nostrum Bonum consistit.

42. Ubi vides, eandem hic tradi rationem ordinis Petitionum, quam exprimit in suo Catechismo Bellarminus, quia Deum diligere magis debemus, quam nos ipsos: τὸν Θεόν πλέον ἀπ' ὅλα τὰ πράγματα, καὶ παρὰ τοὺς ἑαυτοὺς μας. Igitur hæc prima Petitio non ad Religionem pertinet, sed ad Charitatem, per quam Deum amantes magis quam nos, pro Nominis Dei Gloria, et extensione precamur, quia nimirum Deus est Summum Bonum, et est infinitæ dignus, ut ab omnibus cognoscatur, laudetur, et diligatur. Hoc est enim motivum, quod præfigit Catechismus dilectioni Dei super omnia, cum exprimit tendentiam actus charitatis in responsione ad interrogationem illam.

43. Ἡ ἀγάπη ἐξαπλώνεται καὶ εἰς τὰ πράγματα τοῦ Θεοῦ; Ἡ ἀγάπη ἐξαπλώνεται καθολικὰ εἰς ὅλους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ εἰς ὅλα τὰ πράγματα ὅπου ἔκαμεν ὁ Θεός, με τούτην τὴν διαφορὰν, ὅτι τὸν Θεόν πρέπει νὰ ἀγαποῦμεν καθ' ἑαυτόν του, ἐπισημῶς εἶναι ἀπείρον ἀγαθόν, ὅλα τ' ἄλλα πράγματα πρέπει νὰ τὰ ἀγαποῦμεν, διὰ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ.

Fertur Charitas ad omnia, quæ a Deo sunt facta?

Fertur Charitas universe ad omnes homines, omniaque illa, quæ a Deo sunt facta, cum hoc tamen discrimine, ut Deus diligatur propter se ipsum, quandoquidem Bonum infinitum est, alia vero omnia propter Deum diligantur.

44. Audi, quid sit diligere Deum propter se ipsum? Diligere illum, propterea quod Bonum infinitum est: ἐπειδὴ εἶναι ἀπείρον ἀγαθόν; non ideo præcise, quia habendus, fruendus, vel possidendus. Similiter motivum Contritionis non est privatio æternæ beatitudinis, sed offensa contra Deum facta, id est, malum Dei, seu malum super omne malum, oppositum directe Summo Bono. Ita declarat Catechismus quaerens, quid sibi vult Contritio? Cui quidem quaesito respondet. Ut nimirum cor durum peccatoris emolliatur, ac veluti rumpatur præ dolore offensæ in Deum factæ. Ὅτι ἡ σκληρὰ καρδία τοῦ

τοῦ ἀμαρτωλοῦ νὰ ἀπαλύνη, καὶ εἰς κάποιον τρόπον νὰ τζακισθῆ μετὸν πόνον ὅτι ἔπταισε τοῦ Θεοῦ.

45. Ex his, quæ fuse tradita sunt in hoc paragrapho, nemini, credo, fore dubium, quin abunde constet de praxi universalis Ecclesiæ per omnes mundi plagas sparsæ. Profecto P. Alegambe in Bibliotheca per Sothuelum continuata usque ad annum 1674. præsentat ex hominibus Societatis 128. Catechismos, non recensitis anonymis, nec aliis, qui primos consecuti sunt. Afferat, si potest Auctor, vel unum aliquem Catechismum, qui sibi utcumque faveat, et non tradat, vel supponat amorem benevolentiæ, illum eundem, quem aperte vocat ipse fictitium, et chimæricum. Quod et ipsi non minus erit difficile, si ad cæteros ex omni ordine, et classe confugiat Catechismos. Nullus enim, quod sciam, vel audiverim, in re potissima a Romano discedit. Poterit fortasse Bolgenius ex eorum aliquo clausulam adducere, in qua significetur, ad Charitatem pertinere posse amorem æternæ vitæ. Sed summa difficultatis non continetur in positivo Systematis sui, sed in negativo, ut sæpe notavimus.

46. Id mecum ipsi cogitanti visum est mirum ultra modum, quod non abstinerit, quominus scriberet, nullum extare vestigium amoris benevolentiæ nec in Verbo scripto, nec in Verbo tradito. Quis, quæso, Judex esse debet tanti enuntiati? Auctorne singularis, quatumvis doctus, an Ecclesia? Privatus hominis sensus, an Fidelium consensus? Profer, si potes, Cl. Domine alias et alias aliquorum Patrum sententias, quæ in sensu, ut tibi videtur, obvio, naturali, et omnino claro tuum tibi persuadeant systema solius concupiscentiæ; mihi autem, quidquid congresseris, habebitur flocci, si oppositum doceat Ecclesia, non præcise definiens, sed Fideles ad mores erudiens, et ad virtutes informans. Dicam cum Augustino Epist. 55. *Ecclesia Dei . . . quæ sunt contra Fidem sanctam, et bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* Dicam cum S. Thoma quodl. 9. art. 15. *Quod vergit in commune priculum non est ab Ecclesia Dei sustinendum.* Dicam plane, Ecclesiam Dei in re tanti momenti, et per tot sæcula certissime non errasse, Auctoremque Dissertationis potuisse ut hominem hallucinari. Dicam, nullum ab ipso testimonium seu Scripturæ, seu Patrum produci posse, quod non sit simile præcedentibus, atque adeo unice posse Auctorem privatum suum sensum nobis demonstrare, ut jam antea vidimus germanam intelligentiam Scripturæ, et Patrum exprimentes. Dicam, Pontifices, Episcopos, Parochos, Missionarios, Directores animarum, Theologos, Ascetas, Mysticos, Scholasticos, Fideles litteratos, et rusticos præferendos homini privato, qui, quantum arbitror, ex Scriptura vix quidquam, ex Patribus non certe difficilia, ex praxi Ecclesiæ omnino nihil, ex Theologia argumenta non valida, ex Philosophis rationes non multum ponderandas pro se adducit. Dicam, dicam . . . sed finis non esset dicendi, si quæ veniunt in men-

tem, dicerem omnia. Videamus, quid tandem elici possit ex iis, quæ ab Ecclesiæ praxi afferebat Bolgenius.

§. III.

Qua ratione praxis Ecclesiæ favere possit unico amori concupiscentiæ?

47. Quatuor illa afferuntur a Cl. Auctore: primum ex omnibus fere Catechismis: alterum ex Catechismo Romano: tertium ex Catechismo Bellarmini: quartum denique ab exemplo Martyrum. Quodnam autem ex iis sit debile magis, magis ve importunum, non facile dixerim. Primum itaque, ait Bolgenius, omnes in eo Catechismos convenire, quod finis ultimus hominis sit æterna beatitudo; quod homo creatus sit ad Deum videndum, eoque fruendum. Quid inde deduci recte potest? Ergo beatitudo, fruitio, visio, vel Deus ut videndus, et fruendus est objectum motivum charitatis? Ego certe filium non video propositionis, quæ ex illa prima non nisi per illegitimam consecutionem descendere potest. Enimvero ut vidimus ex S. Thoma, finis ultimus vel considerari potest *in esse rei*, quo in sensu est Summum Bonum, vel *in esse adeptionis*, quo sensu est fruitio, et beatitudo formalis. Homo igitur creatus est ad visionem, fuitionem, vel adeptionem Dei tanquam ad *finem quo*, *finem sub fine*, et *finem subordinatum*; sed creatus est ad Deum, vel propter Deum tanquam ad finem *in esse rei*, *finem qui*, *finem primarium*, ac omnino ultimum. Id quod bene observavit B. Albertus Magnus verbis illis, quæ supra retulimus: *tam vita æterna, quam Deus est finis nostri laboris; sed vita æterna finis est, quo quiescitur, Deus vero terminus, in quo quiescitur*. Unde recte scribebat D. Thomas explicans primam Petitionem Orat. Dominæ duplici modo tendere posse hominem in ultimum finem vel *ut bonum in se*, vel *ut bonum sibi*. Primum monebat ad Charitatem pertinere, alterum ad Spem.

48. Cum autem Catechismi tradunt, imo Fides ipsa nos docet, Deum hominem creasse ad videndum, et fruendum Summo Bono, nihil aliud significant, quam ordinationem Divinæ voluntatis, ex qua Deus se constituit finem ultimum nostrum, non autem significant actionem voluntatis nostræ, quæ libera est in tendendo per divinam gratiam in finem præstitum hoc, vel illo modo. Si tendat in illum, ut sibi habendum, tendit per Spem; si propter ipsum, tendit per Charitatem. Et siquidem voluntas nostra conformare se velit (quod est proprium Charitatis) voluntati divinæ in ordinatione ipsa, debet in Deum tendere propter Deum. Neque enim Deus alium finem habere potuit in effectione, et ordinatione rerum omnium: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Prov. 16. Et Isaias cap. 43. nos docet &

nem

nem ultimum, ad quem Deus hominem ordinavit in creatione dicens: *In gloriam meam creavi eum, et formavi eum, et feci eum*. Quod idem significatur in Deuteron. 26. *Creavit (Dominus cunctas gentes) in laudem, et nomen, et gloriam suam*. Finis igitur ultimus, ultra quem alius esse non potest, et ad quem ipsa fructio referri debet, est Summum Bonum, neque hoc sine frustrari Deus potest, etsi creatura in illum non tendat: *Sicut ante latatus est Dominus, dicitur Deuteron. 28. super vos, bene vobis faciens . . . sic latabitur disperdens vos, atque subvertens*. Cum igitur Deus propter se operetur, ad hoc ipsum Bonum propter se tendere debet dilectio nostra, ut nos docet Bernardus illis verbis de diligendo Deo: *Quoniam Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto, ut factura se se quodammodo conformet, et concordet Auctori*. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud aliquid fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem.

49. Atque hæc eadem est cæterorum Patrum doctrina. S. Leo serm. 1. de jejun. decimi mensis ita loquitur: *Si fideliter, Dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium; inveniemus, hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset Authoris*. Anselmus in Monol. cap. 68. *Nihil igitur, inquit, apertius, quam rationalem naturam ad hoc esse factam, ut summam Bonitatem amet super omnia bona, sicut ipsa est Summum Bonum, imo ut nihil amet, nisi illam, quia illa est bona per se, et nihil aliud est bonum, nisi per illam*. Idem fere tradit lib. 2. *Cur Deus homo, verbis mirum in modum exprimentibus amorem benevolentis, et finem ultimum, ac extremum ad nullum alium referibilem: Ad hoc itaque factam esse rationalem naturam, certum est, ut Summum Bonum super omnia amaret, et eligeret, non propter aliud; si enim propter aliud, non ipsum, sed aliud amat*. Unde non ponit motivum amandi in Summo Bono ut habendo, vel possidendo, sic enim etiam habitio, vel possessio, atque inde aliud a Deo moveret ad amorem super omnia, sed in dignitate sola Summi Boni, quæ Deus est ipse, nec includit aliud a Deo. *Diligo te, inquit medit. 12. Humanit. Christi, super omnia, o Dulcissime Jesu, sed nimis parum, quia longe minus, quam dignus es, Dilectissime, ac proinde minus, quam debeo*.

50. Et hæc quidem ad primum; alterum minoris etiam momenti est. Docet Catechismus Romanus, contemplantes nos effusas divitias Bonitatis divinæ non posse non Deum amare; et excitandum esse populum fidelem ad amandam immensam Dei Bonitatem erga nos. Sed vero istud quid est tandem? Nihil sane, nisi quod fideles, recogitatis beneficiis amplissimis, quæ a Deo in nos derivantur cumulatis-
sime, et inde inspecta infinita illa Bonitate, quæ fons est, origo,

et causa omnium donorum, ferri debeant ex amore benevolo in ipsam, ut dignissimam omni amore. Quod idem addit Catechismus per verba illa luce clariora: *ac divino quodam ardore incensus* (populus fidelis) *ad summum illud, et perfectissimum Bonum rapiatur*. Sic enim respondetur eximio Dei erga nos amori, et, ut aiebat supra Bernardus: *qualis suscipitur* (amor), *talis et redditur*. Sic etiam in praxim deducimus doctrinam ejusdem Melliflui Doctoris serm. 20. in Cant. *disce a Christo, quemadmodum diligas Christum*: atque doctrinam Apostoli ad Ephes. 5. *Estote imitatores Dei . . . et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos*.

51. Ex eo autem quod Catechismus asserat, Spem nostram amore illo inniti, qui mercedem proposuit amori nostro æternam beatitudinem, non nisi contra præcepta clarissima Dialectices illud Auctor deducit: *ergo amor noster respicit ut objectum motivum æternam beatitudinem*. Hæc quidem merces est, quæ amori redditur, tanto sane major, quanto majus est meritum amoris; sed vero hic ex una Dei bonitate movetur. Id quod in eodem loco traditur aperte, ubi motivum desiderii mercedis æternæ plane discernitur a motivo amoris per illa verba: *Etsi spe caelestium præmiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa speremus, quod ut in eam spem ingrediamur, placuit Divine Majestati*. Quod igitur unice colligendum erat Bolgenio ex verbis, quæ nobis opponit, illud est: *Ergo si Deus ex amore suo spontaneo, et liberali non nobis promississet æternam Beatitudinem ut præmium amoris nostri, in eum sperare minime possemus*; Id est enim quod vult nobis Catechismus innuere, dicens: *Spem nostram inniti amore divino*, unde et nos excitat ad sperandum in Deo modo perfectissimo, scilicet ex amore, et voluntate illi placendi.

52. Tertium ex Bellarmini Catechismo, in quo scribitur, per Charitatem amari Deum super omnia, ut datorem Gratix, et Gloriæ, nullam habet difficultatem, cum per illa verba solum significetur, amorem nostrum debere esse supernaturalem, et regulatum per Fidem, quæ Deum proponit secundum eminentiam illam divinæ Bonitatis, quæ omnem naturam superexcedit. Et idcirco signate dicitur, non solum amandum esse Deum ut Creatorem, et causam bonorum naturalium, sed ut datorem Gratix, et Gloriæ, quæ bona sunt supernaturalia.

53. Institutiones Catholicæ Pouget non habent id pondus auctoritatis, quod cæteris inest Catechismis, ut norunt Eruditi. Namque hic est Catechismus Illustrissimi Colbert, seu Mompellerianus a Clemente XI. proscriptus 1. Febr. an. 1712. Fatendum tamen, Pouget Summo Pontifici obedientem doctrinam illam suam correxisse, ampliasset, et in idioma latinum convertisse. Sed tamen, ut observat Eruditissimus Gusta in suo Specimine Critico, et Theologico de Catechismis modernis, non tam fidelibus porrigendus est ejusmodi Catechismus quam

quam Catechistis, quibus, exclusa aliqua instructione aliquantulum rigida, usui esse quodammodo potest. Quod nobis ex illo Bolgenius objicit, probat unice Pougetum assentiri doctrinæ supra traditæ S. Bonaventuræ. Imo cum dicat, *bona æterna* aliud esse nihil, quam *Deum*, unde amor propter *æterna bona* est amor propter *ipsum*, manifeste significat, non esse amorem castum, et gratuitum, qui propter *visionem Dei*, vel propter *beatitudinem essentialem* Deum amat. De cætero Catechismi Auctor plane supponit, et tradit amorem benevolentia, dum tom. 2. cap. 4. §. 2. explicat ad normam Catechismi Romani primam Orationis Dominicæ petitionem: *Sanctificetur Nomen tuum*. Sic enim ait. *Cur petimus a Deo, ut sanctificetur Nomen ejus? Resp. Petitionis hujus, sicut et cæterarum principium est fides, cui si accedat Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, longe perfectior est petitio. Cum enim inest in homine Charitas ejusmodi, 1. Deum perfectius diligit, adeoque peroptat, illum ab omnibus cognosci, coli, amari. 2. Se ipsum diligit, ut par est, adeoque vult omnino, Deum cognoscere, colere, adorare. 3. Proximum diligit sicut se ipsum, adeoque idem vult, et peroptat proximo, quod sibi.* Unde petitionem extendit ad omnia Dei bona extrinseca, per quæ sanctificatur Deus in omni hominum genere, justorum, et peccatorum. Quod fit per Charitatem optantem ei, qui diligitur super omnia, bona extrinseca in cognitione, cultu, et amore consistentia. Tantum abest, ut de præcepto Religionis primam illam petitionem interpretetur.

54. Quod ultimo loco de Martyribus proponit Auctor, bona ipsius venia, vanum esse prorsus, et rei, de qua agimus, male accommodatum pronunciare non dubito. En illius argumentum. Martyres in subeundo martyrio frequenter respiciebant ad præmium æternum: ergo didicerant a Pastoribus, vel a Christianis Institutionibus motivum Charitatis Theologicæ esse beatitudinem essentialem. Novum mihi videtur argumentandi genus. Sed viderat ille, debilia esse valde, quæ, suam ut praxim confirmaret, ex Catechismis Romano, Bellarmini, et Pouget in medium attulerat, seque vertens in partes omnes ad Catechismos confugit Sanctorum Martyrum, Spem item confundens, ut alias frequenter, cum Charitate Theologica. Multa de iis scripsimus cap. 3., addenda sunt alia, ut magis declaretur rei veritas minime obscura.

55. Primum itaque extra contentionem ponendum est, negari non posse discrimen Charitatis Theologicæ ab Spe præmiorum æternorum, et Spem esse non posse sine amore illius ejusdem, quod speratur. Spes igitur, quam verbis exprimebant Martyres inter patiendum, licet cum Charitate etiam actuali regulariter esset conjuncta, virtus erat a Charitate distincta. Deinde negari a nemine potest, Martyres in subeundis tormentis sæpe actu moveri, ac roborari ex motivis propriis aliarum virtutum supernaturalium. Est enim Martyrium actus superna-

tura-

turalis per se elicitus a fortitudine infusa, ut notant communiter Theologi ex S. Thoma 2. 2. q. 124. art. 2., unde non solum motivum proprium supernaturalis fortitudinis potest Martyres in perferendis tormentis erigere, sustinere, atque roborare, sed et cæteræ virtutes supernaturales possunt imperio suo in actum illum excellentissimum influere. Quis enim dubitat, quin possit Martyr velle mori pro Christo ex imperio virtutis Religionis, aut ex intentione divini cultus, ne scilicet cultum uni Deo debitum transferat in Idolum? Quis autem non videat, ex imperio virtutis Obedientiæ posse quem Martyrium subire, mori potius volentem, quam legem divinam transgredi? Imo mihi credibile est admodum, in plurimis Martyrum piam affectionem ad Fidem actum fortitudinis imperasse. Ecce igitur Spes ipsa certo jam tenens quasi manu promissa præmia, præscindendo a Charitate Theologica, non poterit imperare Martyrium, et elevare, erigere, atque consolari Martyris animum in durissimis usque ad mortem tormentis perpetuandis? Quo circa recte notavit Origenes Hom. 14. in Num. Charitatem potiozem esse Martyrio. *Sola, inquit, Charitas est, quæ nunquam excidit. Ideo super omnem Prophetiam, super Scientiam, super Fidem, super ipsum Martyrium (ut Paulus docet) Charitas habenda est, et Charitas exercenda.*

56. Non tamen idcirco negaverim, Charitatem, et quidem actua-lem, potiores habere partes, communiter loquendo, in constanti Martyrum perpeffione. Cum enim multa sint, esseve possint imperia ejusdem actus, Charitatis imperium est maxime consentaneum actui excellentissimo fortitudinis propter eximiam illam, quam habet, conjunctionem cum Deo, Qua de causa scripsit S. Thomas loco proxime citato, Martyrium esse actum elicitum a virtute fortitudinis, et imperatum a Charitate, id est, natura sua imperabilem, ut observat Suarius, cum ipse S. Doctor Quodlib. 4. art. 19. aperte teneat, reperiri posse Martyrium sine imperio Charitatis. Unde et illud existimo verum, quod pro conatu Bolgenii retundendo satis est in præfenti, voluntatem supernaturalem moriendi pro Fide, aut Religione existere posse (absolute loquendo) absque actuali Dei amore super omnia; mors etenim acceptata supernaturali illa voluntate habet veram, et essentialem rationem Martyrii; quia est opus virtutis, et insuper in confessionem Christi, et quasi in maximum testimonium, et irrevocabile Fidei. Nihil vero aliud videtur Christus postulasse ad veritatem Martyrii, cum dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*, ut est apud Math. 10. et ut habetur Marc. 8. *Qui perdidit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam.* Nec dixit S. Paulus: *Si tradidero corpus meum sine actuali dilectione, aut relatione Charitatis; sed sine Charitate, quæ duo sunt plane diversa, cum existere possit habitualis Charitas, quin, tradito corpore ex motivo virtutis supernaturalis, ad actum reducatur.*

Quia

Quia tamen voluntas moriendi pro Christo communiter imperatur a Charitate, et est sine dubio actio nobilissima rei, in qua divina Charitas maxime manifestatur inter opera externa, idcirco Christus apud Joannem dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Id, quod opportune notavit Albertus Magnus Comp. Theol. Verit. lib. 3. cap. 24. his verbis. *Charitas quandoque dicit habitum; quandoque motum quandoque signum.* Unde Joan. 15. *Majorem Charitatem nemo habet, id est, majus signum Charitatis.*

57. Ex quibus satis apparet, quam debile sit argumentum, quod ex Martyrum verbis depromit Bolgenius, quasi nimirum eorum verba nonnisi Charitatem exprimerent actualem. Nam etsi sæpe ex desiderio præmiorum æternorum ad Martyrium erigerentur, et Spe illorum certa confirmarentur, illud eorum desiderium non ad Charitatem elicentem pertinebat, sed ad Spem Charitate formatam, quæ, ut diximus, ratione incredibilis delectationis, quam secum affert, opportunissima est, ne dicam, necessaria, attenta humana fragilitate, ad erigendas, reficiendas, et consolandas animas in tormentis durissimis, ut vidimus ex Chrysostomo, Augustino, et Thoma. Et hæc est causa, cur de multis Martyrum scribatur, quod legimus de S. Vincentio Martyre in ejus officio: *Invictus Vincentii animus fide, speque munitus vicit omnia, et ignis, ferri, tormentorum immanitate superata victor ad celestem Martyrii coronam advolavit.* Nec aliud quidquam adducitur in exemplis, quæ Bolgenius congerit. Illa certe ommittere debuisset, cum Fide certum sit, ut pronuntiat Suarius, Spem a Charitate distinguere. Præterea nos ipsi protulimus ex Actis sinceris Ruinart exempla multa, in quibus Sancti Martyres accensum erga Christum amorem exprimebant non per desiderium æternæ beatitudinis, sed per desiderium placendi Deo, ejusque Nomen Sanctum clarificandi. Id, quod satis etiam significat Joannes Evangelista, cum de Martyrio futuro S. Petri mentionem facit cap. 21. per illa verba: *significans qua morte clarificaturus erat Deum.* Idem ipsum insinuat in Officio, quod hunc paragraphum cum scribo, casu persolvo, Sanctorum Processi, et Martiniani, qui miraculis commoti Apostolorum Petri, et Pauli, in Christum crediderunt. *Quibus in cruciatibus, sic legimus, una hæc illorum vox audiebatur: Sit Nomen Domini benedictum.*

58. Et quoniam de Martyribus argumentum magis, ac magis præmit Auctor decoctam recoquens crambem in multis capitibus, liceat item nobis responsionem extendere, quam semper damus, tum ex Eruditissimo Dumesnil, tum ex ipsa Scriptura Sacra. Namque ille nobis proponit in quibusdam Martyribus amorem benevolentiam, et Sacra Pagina refert in Eleazaro, et Machabæis plurimos virtutum actus a Charitate distinctos. Clarissimus Dumesnil lib. 4. Discip. Eccles. §. 5. sic in Actis S. Polycarpi inducit Ecclesiam Smyrnensem loquentem de Martyri-

tyribus, qui sæculo secundo passi sunt: *Certe magnitudinem animi illorum, ac tolerantiam, et erga Dominum fidem, ac benevolentiam quis non maxime admiratur? Et sub finem: Illum (Christum) utpote Filium Dei adoremus; Martyres vero tanquam Discipulos, et imitatores Domini merito amore prosequimur ob excimiam illorum benevolentiam, quam erga Regem, ac Magistrum suum declararunt.* Præterea sic ait Justinus Apologia 2. apud eundem Auctorem §. 9. *Neque quisquam dicat: vobismet afferte manus, et sic ite ad Deum, et nobis molesti non sitis. Ideo enim id non facimus, et tamen inquisiti intrepide profitemur, quod sciamus, hunc mundum propter homines a Deo conditum, qui amat accedentes ad eum per imitationem suorum operum; irascitur vero peccatoribus, qui voluntatem ejus verbo, vel opere violant, cui repugnaremus nosmet occidentes; interrogati tamen non negamus, quia nullius mali conscii putamus impium in rebus omnibus non vera dicere, id quod gratum esse Deo novimus. Ubi consideranda sunt hæc ultima verba: interrogati non negamus id, quod gratum esse Deo novimus.* Tandem in eodem §. 9. S. Lucius Martyr gratias agit Urbicio, qui morti illum addixerat, propterea quod (ait S. Martyr) *hujusmodi malis dominis liberatus ad optimum Patrem, Regemque esset migraturus.* Ubi verbis illis *malis dominis* non intelligit dominos incutientes dolorem, aut pœnam, sed injustos, et iniquos, ut patet ex contrapposito verbo *Optimum*, quod refert ad Deum Patrem, et Regem *Optimum*, non præcise quia dantem consolationes, sed quia Sanctissimum, et quia Justissimum, et omnino dissimilem, seu oppositum extreme injustissimo, et iniquissimo Patri Imperatori, et ejus Filio Regi, seu Cæsari. Hic est enim sensus genuinus verborum S. Martyris.

59. Sed ut hic ostendunt Martyres amorem benevolentiae, sic in Scriptura Eleazarus, et Machabæi reliquere nobis alios virtutum actus a charitate actuali distinctos, quibus accendebantur ad martyrium, et in eo confirmabantur; ut vel hinc pateat, irritos esse Bolgenij conatus ex utraque parte. Et primum quidem de Eleazaro sic scribitur 2. Machab. c. 6. *Gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens . . . cogitare cepit ætatis, ac senectutis suae eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus, et secundum sanctæ, et a Deo conditæ legis constituta . . . Non enim ætati nostræ dignum est . . . fingere, ut multi adolescentium decipiantur, et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsentis tempore supplicii hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vitæ, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam.* En quas virtutes reliquit nobis in Martyrio illustris senex Eleazarus. In illis emicat fortitudo, obedientia, timor Inferni, supernaturalis amor decori, et honesti, desiderium, et spes ædificandi Juniores.

60. Quid dicam de Septem Machabæorum martyrio, ad quod nos provocat, sane sine causa, Bolgenius? *Parati sumus*, inquit primus illorum cap. 7. ejusdem libri, *mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari*. Atque hic quidem actus est obedientiæ. In Matre, cæterisque Filijs nihil lego, nisi quod ad Martyrium excitabantur tum ex obedientia ad leges, tum ex fortitudine, tum ex motivo pœnitentiæ, tum ex spe vividissima resurrectionis. Et ad hanc virtutem pertinentia omnia, quæ inutiliter objicit Auctor ex verbis Matris sic adhortantis natu minimum: *peto, Nate, ut aspicias in Cœlum etc.* Sicut enim secundus, tertius, et quartus disertis verbis expresserant *Spem resurrectionis*, ex eaque fuerant confirmati in acceptanda morte, et tormentis subeundis, ita Mater mirabilis, bonorum memoria digna, et repleta sapientia ab Spe futurorum erigebat, et confortabat animum filij natu minoris, ut dignus fratribus effectus particeps mortem suscipere, et ut in illa miseratione cum fratribus suis una inveniretur. Quibus auditis, ait protinus adolescens ad Ministros Regis: *Quem sustinetis? Non observo præcepta Regis, sed præcepta legis, quæ data est per Moysem.* Ubi et illud videre hic licet, quod in cæteris Martyribus observavimus, non unam tantum illum exercuisse virtutem in confessione, sed et plurimas, quæ sese mutuo fovent, et moventur tum a Charitate, tum a dono fortitudinis, ex quibus firmiter creditur, certius speratur, redditur Religio perfectior, et Obedientia promptior. Legat ista Bolgenius, eaque consideret omni seposito contentionis studio. Neque enim minus esse videbit importunum hoc suum argumentum è Martyribus desumptum pro sua firmanda Ecclesiæ praxi, quam primum illud ex quibusdam Catechismorum clausulis repetitum.

C A P U T V.

Synopsis Capitis V. Bolgeniani ex definitione amoris.

1. **N**on est quærenda definitio amoris in genere, vel specie sumpti ex doctrina Philosophorum; sed ex Patrum sentijs, dicisque homini Christiano proponenda. Augustinus lib. 83. qq. q. 35. Nihil, inquit, aliud est amare, quam propter se ipsum rem aliquam appetere. Lib. 14. de Civit. Dei: amor, ait, inhians habere, quod amatur, cupiditas est. Lib. de amicit. cap. 2. nos docet, quid sit amor, illis verbis: est amor quidem animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit, et appetit ad fruendum. Lib. de Spiritu, et anima cap. 45. id ipsum magis explicat dicens, quod amor est delectatio . . . per desiderium curens, atque per gaudium requiescens: per desiderium in appetendo, et per gaudium in fruendo. S. Thomas 1. 2.

q. 26. art. 1. Dicendum, *inquit*, quod amor est aliquid ad appetitum pertinens. *Et art. 4.* Dicendum, quod amare est velle alicui bonum: sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum, quod quis vult alicui (*id est sibi, vel alteri*) et in illud, cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiæ, ad illud autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiae. *Hæc S. Thomas prædicto art. quæ tamen ut intelligantur recte, et palam fiat, amorem amicitiae solum addere actum benevolentiae ex amore ortum concupiscentiæ, et in eundem tandem recidentem, illud est habendum præ oculis, quod tradit q. 28. art. 1. ijs verbis mirifice rem declarantibus: Cum aliquis amat aliquem amore amicitiae, vult ei bonum, sicut et sibi vult bonum, unde apprehendit eum ut alterum se, inquantum scilicet vult ei bonum, sicut et sibi ipsi, et inde est, quod amicus dicitur esse alter ipse. Hugo Victorinus inquit, ut vidimus: Quid est enim diligere, nisi ipsum (Deum) velle habere? . . . Alioquin non amares, si non desiderares. Monachus quidam Benedictinus in Opere inscripto Monita, et reflexiones circa obligationes Status Religiosi optime explicat in rem nostram naturam amoris, dicens: 1. amorem esse motum cordis in objectum amatum, ut cum eo uniatur, et eo perfruatur: 2. amare esse velle, et desiderare possessionem objecti, quod amatur: 3. cum nostra æterna felicitas in Dei consecutione consistat, esse apertam contradictionem, quod Dei amor possessionem ejusdem non desideret. Tunc enim amor non esset amor, cujus natura destrueretur, seclusa tendentia in unionem, seu possessionem objecti. Tandem amoris natura sequi debet naturam cognitionis sive claræ, sive obscuræ; cum autem in hac vita Deum, et ejus Attributa cognoscere non possimus, nisi obscure admodum, et imperfecte, amor noster est in præsentis sæculo debilis, et imperfectus. Tendere igitur in Deum debet per desiderium in appetendo, ut quiescat aliquando per gaudium in fruendo. Hinc Charitas in hac vita laboriosa est, et eo crescit in nobis, quo crescit cognitio Dei, et Attributorum.*

R E S P O N S I O .

2. **C**um ad hanc Auctoris probationem ex definitione amoris generice sumpti devenio, non possum, quin observem duo. Primum: non videri Philosophos excludendos ab argumento, quod ferme totum juris est Philosophici, et ad Ontologos directe pertinet, atque Psychologos. Horum est enim discutere, et definire naturam, indolem, conditionem, et attributa amoris, ejusque tendentias varias, objecta, causas, et originem explicare. Eos certe audivere Sancti Patres, et ex illorum doctrina multa nobis et certa, et probabilia tradidere circa naturam amoris. S. Joannes Damascenus proponit nobis, ut vidimus, ex Philosophis notiones, et divisiones varias amoris. Et ne dicam

eam de alijs, sunt enim ferme omnes pares in exquirenda Philosophorum doctrina, cum de passionibus appetitus, et affectionibus animæ disputatur; loca omnia, quæ in præsentî capite producit Auctor ex Augustino, et Thoma, nonne ex Philosophorum doctrina desumpta sunt a Sanctis Doctoribus? Augustinus totus est in ostendendo naturam amoris ex desiderio, ex appetitione, et inclinatione ad unionem cum objecto amato. Ipse Auctor rem demonstrat testimonijs ipsis, quæ ex S. Doctore congerit. Hanc tamen amoris notionem, descriptionem, aut definitionem desumit Augustinus ex definitione, quam Plato, quem sequitur ut ducem in re Philosophica, nobis tradidit dicens: *Amor est desiderium pulchri*. Quid dicam de S. Thoma? Nonne fatetur et ipse, nosque sæpissime docet, *quod amare secundum Philosophum est velle bonum*? Atqui ex S. Thoma hanc ipsam definitionem Auctor adducit, simul etiam repetens, quod *benevolentia ex S. D. non est amor*: id quod potiori jure, ad Aristotelem, ut demonstravimus, referendum est. Video hic, sicut et alias, hominis inconstantiam. Patres clamant, et Philosophos respicit. Cumque novum aliquid ex Patribus visus est sibi suam in causam proferre, silentio præterit Philosophos, ex quibus Patres, quod ipse adducit, non raro desumunt. Qua in re ut mihi probat incohærentiam verborum, ita etiam demonstrat, minime ipsum Patres imitari.

3. Alterum, quod minime omittendum judico, illud est, hanc Auctoris probationem ex definitione amoris desumptam novi nihil addere rationibus illis, et testimonijs, quæ protulit capite 3., et esse puram repetitionem illorum, quæ profligata jam sunt, nisi novi quid continet, et mirabile, quod hinc, et inde expiscatur ex S. Thoma, suum ut adornet systema de unico amore concupiscentiæ; et quod ex Monacho Benedictino congerit ad amoris naturam melius explicandam. In quo ultimo non obscure significat, mentem Ascetarum non bene æ assequi, ut videbimus.

§. I.

Demonstratur amor benevolentia ex definitione, seu descriptione amoris tum in genere, tum in specie.

4. **D**ifficile est admodum pro hoc statu exactas ad unguem definitiones pro rebus explicandis invenire, vel excogitare. Cum enim rerum naturas nonnisi obscure nimis, et per species ut plurimum abstractivas cognoscere possimus, contenti ferme plerumque sumus, si rebus exponendis eas aptemus descriptiones, per quas sic nobis innotescat natura rei, ut alteri notio applicari non possit. Quod sane cum sit in cæteris verum, verissimum esse judico, cum de amore disputatur,

tur, cujus natura intima adeo est abstrusa, et ad explicandum difficilis, ut nisi ad effectus confugas, vix quidquam dicere possis, ex quo rite intelligaris. Et hæc est causa, cur Plato definiens amorem vocet eum *desiderium pulchri*, quæ notio clarius esse videtur, quam ea, quæ imbibitur in amore. Ut Magistrum secuti sunt Discipuli, sic illum frequenter sequitur Augustinus amorem explicans, ut notat Angelicus, per effectus desiderij, gaudij, doloris, et tristitiæ. Nec tamen semper Plato explicuit amorem per effectus, sed illum etiam expressit per benevolentiam, seu bene velle, ut patet in Libris de Legibus, de Amicitia, ex quibus colligit Marsilius Ficinus, ut jam alias diximus, Platonem in ea esse firma sententia, ut existimet, veram, et honestam amicitiam esse *reciprocam benevolentiam*.

5. S. Thomas pluribus in locis amorem esse dicit *complacentiam appetibilem*, ex eaque cæteras affectiones oriri desiderij, vel gaudij, qui et supponit complacentiam illam esse conjunctionem intimam cum re amata, eo nimirum sensu, quo S. Augustinus amorem vocat unionem quandam, vel nexum. P. Suarez disp. 1. de Passion. Sect. 4. hanc S. Thomæ descriptionem approbat, addens, formalem effectum amoris esse conjungere secundum affectum amantem cum amato, unde cæteri nascuntur effectus desiderij, extasis, zeli etc. Hinc sect. 7. docet, amorem formaliter consistere in *unione affectiva amantis cum amato*, quia tamen hic interveniat formale desiderium. Sicut enim odium importat disjunctionem, vel dissonantiam a malo, ita et amor præfert conjunctionem, vel consonantiam cum bono. Ex his amorem in genere sumptum possumus describere *conjunctionem affectivam cum re amata*. Sed cum hæc conjunctio multiplex specie esse possit, non semper omnis natura amoris una est. Quando enim conjunctio illa affectiva cum bono talis est, ut amans velit inesse personæ amatæ bonum, quod habet, est amor benevolentiae erga personam amatam. Quando vero conjunctio cum bono talis est, ut bonum quodammodo trahat ad amantem in sui utilitatem, et commodum, dicitur amor concupiscentiæ, qui quidem respectu rei amatæ non est perfectus, sed imperfectus, nec in re sistit amata, sed ad amantem regreditur, respectu cuius est amor benevolentiae. Hæc est doctrina, quam mille locis tradere S. Thomam, abunde demonstravimus, præsertim ubi agit S. Doctor de inhæsiōne, et de extasi amoris. Ex quibus habemus conjunctionem intimam affectivam cum bono, vel amato importare necessario *velle bonum in genere*, est enim volitio, vel prosecutio boni; sed vero determinari per benevolentiam, ut *velit bonum alteri*, vel per concupiscentiam, ut *velit bonum sibi*.

6. Hanc sentiendi, et dicendi rationem secuti sunt communiter Sapientes et Philosophi, et Theologi, qui proinde verbis, vel certe re consentientes docuerunt, amare esse *velle bonum*, per quæ verba magis manifestatur amor, tum potissimum cum perfectus est, et quem
be-

benevolentiae appellant. Hinc S. Thomas repetit hanc definitionem, seu descriptionem, semper ac occurit amoris explicatio. *Hoc est enim proprie amare aliquem*, ait 1. p. quaest. 20. art. 1. ad 3. *velle ei bonum*. Art. 2. in corp. *Cum amare nihil aliud sit, quam velle bonum alicui*. Cap. 3. de dilect. prox. *Diligere aliquem est velle ei bonum*. Parco alijs, quæ dedimus alias, et id unum velim observari a Bolgenio excludente benevolentiam a conjunctione affectiva dilectionis, et ut sibi videtur ad mentem S. Doctoris, quod docet 2. 2. q. 31. art. 1. *In actu dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico*. Consonat, ut vidimus Bonaventura in 3. dist. 27. art. 1. dicens: *Diligere autem idem est, quod velle bonum*. . . . *Dicitur (homo) diligere Deum, quia vult, quod ipse Deus sit Summum Bonum, vel quod habeat omne Bonum per essentiam*. Quos produxi Patres cap. 3., omnes hic appellare possem. Namque in eo conveniunt, ut existiment sine benevolentia erga Deum veram, perfectamque dilectionem consistere non posse. Hinc aliqui verbum illud *benevolentia* adhibent ad explicandum amorem Dei perfectum; alij autem sinminus illo utuntur verbo, certe rem exprimunt per terminos, seu notiones idem significantes. Eos tamen omitto, quia in re clarissima non est opus multum immorari.

§. I I.

Quid valeant testimonia, quæ pro se citat Bolgenius.

7. **Q**uanquam sæpe diximus cum S. Thoma, eas Augustini locutiones, quibus amorem exprimit per desiderium, delectationem, dolorem, atque tristitiam esse causales, proptereaquod omnes illæ affectiones ex amore nascuntur tanquam principio, causa, vel radice omnium animæ affectionum, non possumus non expendere hoc in loco definitionem amoris, quam ex Augustino tradit Auctor litteris grandioribus exprimens verba, quæ suæ causæ prodesse videntur. Augustinus, inquit, lib. 83. 99. quaest. 35. sic definit amorem. *Nihil aliud est amare, quam PROPTER SE IPSUM rem aliquam appetere*. Itane vero? *PROPTER SE IPSUM*, et ut oculos perstringat acius grandi exaratum caractere? Nulla igitur erit in rebus ab amante distinctis ratio motiva, nullum intrinsecum meritum, nulla dignitas, nulla bonitas, et amabilitas nulla. Non erit ergo appetibilis per se se justitia, castitas, fortitudo, temperantia, prudentia, cæteræque virtutes. Unus erit cuique ratio amandi ipse amans, nec Deus erit amandus propter se se, sed unice illum appetet creatura propter se ipsam. Bella profecto Charitas Theologica! Nullus erit, cui hunc Bolgenij locum legenti non veniant statim in mentem, quæ hic dico de virtutibus per se amabilibus. Mihi certe venere in mentem non modo illa, sed.

sed et alia multa, unde dubitare cœpi de Augustini verbis. Consului S. Doctorem, sicut in omnibus alijs locis prope innumeris, quæ in Dissertatione congeruntur ab Auctore, et inveni Augustinum oppositum omnino tradere in Editione 2. Veneta Maurinorum, qua utor. Sic enim legitur hac in Editione, qua forsitan nulla correctior, et emendatior. *Nihil enim aliud est amare, quam propter se ipsam* (non propter se ipsum) *rem aliquam appetere.*

2. Sed cum veritatis fuerim ego semper apprime tenax, id in favorem Bolgenij addendum iudico, quod ejus culpam elevat, et docilitatem commendat. Culpam elevat, quod alia in Editione antiquiori sententiam legerim, qualis a Bolgenio exaratur. Docilitatem commendat, quod Auctor admonitus Augustini sententiam in Dissertatione propositam in Declarationibus retractavit. Sed ut hæc duo erant in gratiam, vel justitiam Auctoris addenda, sic et alia duo in eodem notanda sunt, quæ minime probantur. Primum enim Bolgenius, licet fidem suam in transcribendo lectori probet, non tamen illi probabit diligentiam in emendando errore, qui per se se videtur esse manifestus mediocri mentis contentione Augustinum legenti. Quærit enim S. Doctor eo loci, an præter ea, quæ amantur, amor etiam ipse amandus sit? Et respondet. *Ita vero, quando sine hoc illa non amantur. Sed si propter alia, quæ amanda sunt, amor amatur, non recte amari dicitur. Nihil enim aliud est amare, quam propter se ipsam rem aliquam appetere. Num igitur propter se ipsum amor appetendus est, cum, quando desit, quod amatur, ea sit indubitata miseria? Deinde cum amor motus quidam sit, neque ullus sit motus nisi ad aliquid, cum querimus, quid amandum sit, quid sit illud, ad quod moveatur, oportet, querimus.* Hic Augustini discursus probans invicte ex ratione duplici amorem non recte, nec proprie dici amari, cum per illum res aliqua amatur, rectissimus est, si legas *propter se ipsam*, sic ut ad rem amatam referatur, et est plane momenti nullius, imo contra Augustinum, si legas *propter se ipsum*, ut ad amantem referatur. Nam refertur ab Augustino ad id, quod *per amorem amatur*, ad id, quod est terminus motus, ad id, quod si desit, est indubitata miseria: quæ omnia unice conveniunt rei amatae. Fac tamen non propter referri ad amantem, nihil concluderet Augustinus, imo oppositum esset concludendum, quia non minus, imo magis refertur ad amantem amor, qui ejus perfectio est, quam res amata. Debuisset ergo Bolgenius corrigere pro suæ mentis acumine errorem manifestum, si non legisset festinanter S. Doctorem.

9. Neque item probo, quod Auctor errorem in Declarationibus corrigens subjungit pag. 75. *sive dicatur in textu propter se ipsum, sive propter se ipsam, semper mihi favet illius sensus. Primo: quia dicitur appetere: secundo, quia appetere rem aliquam propter se ipsam eundem habet sensum, atque amare Deum propter se ipsum, quod minime con-*

congruere potest amor benevolentiae, et solum aptari potest amor concupiscentiae, ut explicui ex S. Thoma . . . Unde litterarum est transmutatio, non sensus. Ea cum dixisset, ad alia transit, quasi rem suam in tuto collocasset. Sed vero appetitionem ad benevolentiam pertinere posse, prout fuerit illius actus objectum motivum, demonstratum est nobis. Deinde quis audiat sine indignatione, idem esse apud Augustinum, vel ullum e Patribus, Deum appetere propter ipsum, ac Deum appetere propter creaturam, esseque unum, atque idem penes sensum cum sola tantum litterarum transmutatione? Mi bone, quantum aberras a vero! Nonne apud Augustinum, te iudice, idem est appetere, ac diligere? Cur ergo S. Augustinus ita est sollicitus, ut Deum diligamus non propter nos, sed propter ipsum solum? Cur ipse S. Doctor cum alias, tum maxime lib. 1. de doct. Christ. cap. 22. toties inculcat nobis contrapositionem illam, ex qua variatur omnino sensus, amor, et motivum? Rem igitur appetere propter se ipsam mirum quantum est aliud in re, et in sensu, ac rem appetere propter ipsum amantem. Quo autem modo intelligendus sit idem S. Doctor, dum Charitatem vocat animi motum ad fruendum Deo propter ipsum, jam alias explicuimus ex Nazianzeno, et Thoma semper intendentibus in ipsum, tanquam in objectum motivum; nec aliter intelligit Bernardus illud propter ipsum loco laudato de Stat. virt. p. 3. qui non ait, ut scribit Bolgenius, Charitatem non aliud praemium expectare a Deo, quam ejusdem possessionem, sed non aliud praemium expectare, quam ipsum Deum, unde recte subjungitur propter Deum.

10. Proponit hic Auctor pro amoris definitione quod alias significaverat ex S. Thoma, dicens primo, amorem ex S. Doctore ad appetitum pertinere: secundo, motum amoris in duo tendere, in bonum scilicet, quod quis vult alicui, et in illud, cui vult bonum. Primus motus est concupiscentiae, alter autem amicitiae. Sed quid ex ijs extandere tandem Bolgenius potest pro sua amoris definitione, quod vel tantillum favere ipsi possit? Etenim non ad intellectum, sed ad voluntatem, seu appetitum pertinere amorem, qui est actus voluntatis supponens praeviam cognitionem objecti, res est per se clara, nec ab ullo neganda. Non erat igitur, cur ad hanc veritatem persuadendam interponeret auctoritatem D. Thomae. Sed vero quid inde pro amoris definitione benevolentiam excludente? Divinare non possum, quid hominem sapientem moverit, nisi fortasse vocula illa ad appetitum. Quae quidem res videtur mihi levissima, cum ad appetitum intellectivum amor, desiderium, et gaudium pertineant, et quidem talia, vel talia, prout fuerit qualitas objectorum, et diversa actuum tendentia. Porro potentia sortitur nomen appetitus, vel quia omnis actus voluntatis generico nomine dicitur appetitio, vel quia haec ipsa appetitio specificè sumpta magis declarat indolem potentiae, quam caeteri actus.

11. Nec minus est importunum alterum de duplici amoris motu, quin

quin potius contra Bolgenij systema, ejusque unicum amorem concupiscentiæ inconsiderate producit. Nam S. Doctor eo ipso in loco diserte pronuntiat, et ex professo probat, motum illum concupiscentiæ solum esse amorem *secundum quid*, et non *simpliciter* talem, qualis est amor amicitiae. Unde si huic S. Thomæ divisioni amoris insistere velit Auctor, actum est prorsus de sui systematis inventione. Sed ut verum fatear (id quod jam alias insinuavi) hæc amoris divisio non est illa, de qua Theologi communiter tractant, nec illa, de qua Bolgenius sermonem instituit a prima Dissertationis pagina. Igitur S. Thomas unice significat eo loci, omnem omnino amorem duplicem habere tendentiam, alteram ad bonum, quam vocat *concupiscentiæ*, et alteram ad personam, quam vocat *amicitiæ*.

12. Sed replicat Bolgenius: his duobus ex S. Thoma positis, amor amicitiae est in re amor concupiscentiæ cum sola additione actus benevolentiae, qui tamen amor non est. Namque amans persona velle non potest bonum nisi sibi, et ut bono fruatur, et quando per actum benevolentiae vult bonum alteri personæ, idcirco vult illud, quia participatur, et fit bonum amantis. Quod expresse traditur a S. Doctore, qui cum 1. 2. q. 28. art. 1. docuisset omnem amorem procedere ex quadam apprehensione unitatis amati ad amatum, ita dissezit: *Cum aliquis amat aliquem amore amicitiae, vult ei bonum, sicut et sibi vult bonum, unde apprehendit eum, ut alterum se, in quantum scilicet vult ei bonum, sicut et sibi ipsi, et inde est, quod amicus dicitur esse alter ipse.* Hæc ad summam Auctor, qui mentem S. Doctoris alioquin claram in sua pro more versione Italica reddit ambiguam. Cum enim dicat S. Thomas, *vult ei bonum, sicut et sibi vult bonum*, vertit Bolgenius, *desidera il bene a questa persona, siccome anche lo desidera per se.* Ubi vides, S. Thomam ponere duo bona, alterum personæ amantis, et alterum personæ amatæ, *vult ei bonum, vult sibi bonum*; at Auctor per illud relativum *lo*, nimirum *lo desidera anche per se*, vult insinuare lectori, quod idem ipsum bonum desideratum alteri est et idem bonum desideratum sibi, vel personæ amanti. Has æquivocationes, et ambiguitates inserit interdum Auctor suis in versionibus, propria jam abreptus opinione, et mentem lectoris eo ducit, quo pervenire conatur.

13. Mens S. Thomæ manifesta est, exclusa interpretatione Bolgenii. Ait S. Doctor, ad amorem requiri semper unitatem aliquam apprehensam inter amicos, ex qua unitate sicut unus vult sibi bonum, ita vult alteri bonum, unde et scribit, amorem ad se esse formam, et radicem amoris ad alterum, quod ultimum limitat, ut videbimus, ad amicitiam vulgarem unius ad alterum. Sed nunquam docuit S. Thomas, amicum volentem amico bonum, velle hoc idem bonum sibi, nisi in amicitia delectabili, quæ in hoc ipso deficit ab amicitia honesta. *Dicendum*, inquit 1. 2. q. 26. art. 4. ad 3. *quod in amicitia uti-*

li, et delectabili vult quidem aliquis aliquod bonum amico: et quantum ad hoc salvatur ibi ratio amicitiae; sed quia illud bonum refert ulterius ad suam delectationem, et utilitatem, inde est, quod amicitia utilis, et delectabilis, in quantum trahitur ad amorem concupiscentiae, deficit a ratione verae amicitiae. Unde frequens est apud S. Thomam illa propositio: *Qui amat aliquem amore perfecto, vult ei bonum, etiamsi nihil inde illi accidat.* Unde etiam dicebat, quod amicitia non retorquet bonum amati ad amantem.

14. Crediderim tamen ego Auctorem hoc unum intendere, quod cum quis vult amico bonum, hoc idem bonum respiciat, ut quodammodo ad se pertinens. Quod quidem verum est, quia eo ipso quod amans fit per amorem unum cum amato, ejus bona reputat tanquam propria. Sed vero id quod Theologi apprime explicant per amorem amicitiae, explicare ipse non potest per amorem concupiscentiae. Exempli causa: amat verus Politicus amore amicitiae Rempublicam, seu Civitatem. Perfecto ex hoc amore amat Politicus bonum Rempublicae, et quidem magis quam proprium, vel privatum bonum; sed non amat bonum Rempublicae, ut bonum sui tanquam personae physice distinctae a Republica, vel Civitate, vel ut a se ipso habeatur, aut possideatur; sed ut bonum ejus corporis, in quo ipse includitur, vel ut bonum moraliter, et affective suum. Hoc exemplo opportunissimo uritur S. Thomas, ut vidimus alias, ad explicandum amorem charitatis erga Deum. Itaque ex charitate volumus Deo bonum, non ut a nobis tanquam personis a Deo distinctis habeatur, et possideatur, sed ut est bonum Dei, in quo tanquam in fonte inexhausto bonorum omnium bonum nostrum particulare continetur, et quod est nostrum pure affective. Cum enim sit bonum Dei, est etiam ex vi amoris bonum animae, quae per unionem amoris est unus spiritus cum Deo. At Bolgenius unice admittens amorem concupiscentiae explicare non potest, quo pacto verus amicus sic velit amico bonum, ut in eo complaceat, quod illud habeat, et ut desideret illi bonum, quod non habet, quin tamen id ipsum bonum retorqueat ad se, ut nimirum habendum, et possidendum. Id quod ad veram requiritur amicitiam, quae sine amore benevolentiae stare non potest. Audi, quam clare rem explicet S. Thomas duabus hisce propositionibus, in quarum ultima exhibetur etiam discrimen inter duos amores. Prima habetur in 3. dist. 29. q. 1. art. 3. alio modo, inquit, amor fertur in bonum alicujus rei ita quod ad rem ipsam terminatur, in quantum bonum, quod habet, complaceat, quod habeat, et bonum, quod non habet, optat ei, et hic est amor benevolentiae. Altera legitur 1. 2. q. 26. art. 4. ille proprie dicitur amicus, cui bonum aliquod volumus; illud autem dicimur concupiscere, quod volumus nobis.

15. Quod ex Hugone profertur, ex superioribus satis, superque explicatum est nobis. Quenam, precor, haec est amoris definitio?

Non amares, si non desiderares. Quid est diligere, nisi ipsum velle habere? Proprietates hic aliquæ describuntur amoris, ex quo enascitur illud desiderium, illa sollicitudo perveniendi ad Deum, eoquod vere, ex corde, ardentè amatur propter se ipsum. Ut enim ajebat supra Bellarminus: *Cupimus Deum videre, atque ea visione felices effici, ut tanto ardentius, et securius Deum diligamus. . . . Vix contingere solet, ut aliquis ardentè appetat videre Deum, nisi quia ardentè amat ipsum Deum amore amicitiae, ita ut cupiat eum videre, quia diligit eum, non quia diligit se.* Quod idem tradit Bernardus, ut alias vidimus, et S. Franciscus Salesius lib. 5. de Amore Dei. Quam accedit propius ad definitionem amoris, quæ ex eodem Hugone data est nobis cap. 3. *Amor est bona erga alterum propter ipsum voluntas. Id est, illius causa quem diligit, ut explicat ex Tullio.*

16. Monachus Benedictus ab Auctore laudatus recte quidem de amore sentit, dum ejus explicat ardorem, et efficaciam per desiderium possessionis, conjunctionis, et majoris unionis cum amato. Sed et similiter certum est, illius mentem nec Auctorem tenuisse, nec verba penetrasse. Adeo scilicet certum est, ut ipse ajebat, sensum, qui primo se aspectu offert legenti, esse semper verum. Profecto quodnam sit objectum motivum desiderii illius possessionis, conjunctionis, et unionis cum Deo, declaratur ibidem a prædicto Monacho verbis illis luce clarioribus, et ad Scholæ usum exactis: *Non debemus desiderare Regnum Cælorum, ut beatitudinem præcise propter nos, sed propter Deum. Et quamvis Deus non nobis promisisset beatitudinem, vel ob nostra peccata non essemus in illam admittendi, tamen Deum diligere deberemus.*

17. Quid est, quod lego, inquit hic pag. 124. Bolgenius, et in Auctore, qui de amore recte senserat? Quid est Regnum Cælorum desiderare propter Deum? Non est hic actus amoris, sed benevolentiae. Et quis amare Deum posset Charitate Theologica, seclusa promissione æternæ beatitudinis, vel si ob peccata excludendus esset ab ea? Siste tantisper Bolgeni, et gradum contine, nam ex tribus iis, quæ in Monacho castigare contendis, primum est verissimum, et alia duo bonum sensum habere possunt. Verum est primum, ut ostendimus ex Nazianzeno, Bernardo, Thoma, Salesio, Suario, et Bellarmino, nempe fruitionem creatam propter Deum desiderari posse, et debere. Quod autem Deum diligere deberemus, seclusa promissione æternæ beatitudinis, verum est, si sermo sit de dilectione naturali, cujus est naturale præceptum, naturæ rationali maxime consentaneum, nec Monachus exprimit dilectionem supernaturalem, sed dilectionem in genere. Tandem in ultima propositione non supponit Monachus certitudinem damnationis, ut gratis supponis, sed unice asserit, debere hominem diligere Deum, etsi ob sua demerita excludendus esset a beatitudine. Id quod explicari sic potest a pio Monacho. *Domine mi,*

nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit: nescio, utrum ad finem usque in gratia tua perseveraturus sim, an vero illam sim amissurus; sed tamen, o bone Deus, ita es amabilis summe, ita dignissimus omni amore meo, obsequio, et famulatu, ut etiamsi excludendus essem ob mea demerita ab æterna beatitudine, te tamen amem ex corde, te diligam ex tota fortitudine, me tibi subijciam ad tuam agendam in omnibus voluntatem. Ita fere legitur de S. Francisco Salesio, cum dubiis olim ultra modum angeretur æternæ damnationis. Nec dubito, quin multæ animæ piissimæ hos actus amoris eliciant, cum scrupulis agitatae cor suum in Deum jactant, et in ejus voluntate requiescunt.

18. Fac tamen hominem esse certum de beatitudinis exclusione: hoc in casu, ut assentior S. Thomæ amoris amicitiaæ supernaturalis neganti possibilitatem sine Spe Theologica, ita etiam existimo, posse tunc amare Deum amore pure naturali ex auxilio Dei naturæ proportionato. Ratio est, quia Summum illud Bonum cognoscere posset per cognitionem naturalem, et amor naturalis esset conformis inclinationi naturæ. Utrum autem amor hic naturalis esse posset in ordine naturæ super omnia sine auxilio gratiæ, minime disputo; sat est enim pro veritate enuntiati, quod insinuat Monachus, ut aliqualem amorem naturalem homo sic constitutus elicere possit.

C A P U T V I.

Synopsis Capitis VI. Bolgenii ex sensu Theologorum.

1. Sanctus Antoninus 4. part. tit. 6. cap. 3. §. 4. S. Thomæ vestigiis insistens eas adhibet Theologicæ Charitatis notas, et proprietates, quæ non nisi amoris concupiscentiæ aptari possunt. Explicat item, qua ratione homo Deum ex Charitate Christiana magis diligit, quam se ipsum; quia nimirum amor amicitiaæ præter amorem concupiscentiæ includit actus benevolentiaæ, quibus homo desiderat, et complacet in eo, quod Deus sit Summum Bonum, sicuti est. Cum autem Summum id Bonum majus sit, quam quod possit a nobis participari per visionem, et fruitionem, magis eum diligimus per amorem amicitiaæ, quam nos ipsos. S. Franciscus Salesius tract. de amor. Dei part. 2. lib. 4. cap. 10. ita loquitur aperte in rem nostram: Si per impossibile fingeretur bonitas infinita, quacum nobis nulla esset convenientia, et cum qua nulla nobis esse posset unio, vel participatio, eam sane æstimarem, utpote infinitam, sed non illam amarem proprie loquendo, quia charitas respicit unionem. Unde colligitur, Scholasticos amorem docentes benevolentiaæ actum intellectus plane confundere cum actu voluntatis. Et hoc est, quod separare nos docet S. Fulgentius docens Epist. 5. laudem, et

admirationem non esse amorem. Veruntamen, inquit, non omnes, qui Charitatem mirantur, et laudant, statim diligunt Charitatem. Estius in 1. Sent. dist. 1. §. 3. laudans D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 3. asserere non dubitavit, posse, et debere hominem Deo servare intuitu mercedis aeternae, si nomine mercedis aeternae Dei possessio intelligatur, in quo aeterna nostra felicitas continetur. Distinguit etiam ibidem beatitudinem essentialem ab accidentali, id quod sequitur Benedictus XIV. de Serv. Dei Beat. lib. 2. cap. 21. n. 7. innixus auctoritate Bossueti. Quam in rem citat S. Bonaventuram, et exscribit propositionem Fenelonis damnatam ab Innocentio XII., quae sic habebat. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, et sine ulla mixtione proprii interesse. Neque timor poenatum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. Legatur Bossuetus in Oper. Mystici in tuto, et Schola in tuto, tum in Instruzione sopra gli stati dell' Orazione lib. 10. n. 29., ubi doctissime commentatur illud non semel laudatum D. Thomae in quantum est beatitudinis objectum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat. Natalis Alexander Dissert. in Saecul. 13. et 14. propos. 2. sic scribit. Deum ergo, quatenus beatitudo nostra est, desiderare, tantum abest, ut amoris puri, et vitae interioris perfectioni repugnet, ut contra vitae spiritualis, et interioris, amorisque casti perfectio in huiusmodi sancto desiderio posita sit. . . Hæc S. Augustini, hæc Traditionis Theologicæ, hæc Ecclesiæ doctrina est. Laurentius Berti tum alibi, tum lib. 23. de Theolog. Discip. cap. 16. prop. 3. asserit, non repugnare charitati servare legem intuitu sempiternæ mercedis. Gaspar Juvenin p. 7. Instit. Theolog. Dissert. 4. art. 2. tradit, quod Bonitas Dei, sive in se ipsa consideretur, sive prout est nobis conveniens, hoc est, prout est objectiva creaturæ rationalis beatitudo, meritorum nostrorum præmium, merces bonorum operum, est objectum formale quod, et quo Charitatis. Henricus a S. Ignatio in Ethic. amoris tom. 2. lib. 3. cap. 2. §. 2. n. 20. sic loquitur. Quisquis Deum ut Summum Bonum suum, supremamque felicitatem diligit, Deum, ut in se summe bonus est, diligit saltem implicite. Neque enim nos beatificare, ultimo perficere, omneque desiderium nostrum satiare posset, nisi in se summe bonus, et perfectus esset. In lib. Inscripto Il Salmista Teologo P. Bonifacii Giardi tom. 1. cap. 14. probatur invicte amorem Dei essentialiter includere amorem creaturæ amantis. Cum enim Deus sit absque controversia Summum hominis Bonum, fieri minime potest, ut Dei amor non involvat proprium interesse. Tandem Ligorius in Instruct. pract. pro Confessor. tom. 1. cap. 4. n. 10. non solum ait, desiderium possidendi Deum esse objectum Charitatis; sed esse actum proprium, et perfectissimum Charitatis.

2. Probatio isthæc, quam ex Theologorum sensu Bolgenius exhibet, similis esse videtur in omnibus probationi alteri, quam e Catechismis produxit. Ibi enim praxim Ecclesiæ stabilire conatus est a Christianis Institutionibus, unam alteramve producens expressionem, quæ sibi visa est amorem concupiscentiæ continere, cum tamen nullum omnino Catechismum invenire potuisset amorem benevolentiae negantem, nec ullam formulam, quæ in usu sit apud Fideles, eliciendi actus Charitatis, et Contritionis, quæ non actus contineat benevolentiae. Eodem prorsus modo, cum nullum inveniat Theologum, quem in amore benevolo denegando sequi possit, ad eorum dicta, seu testimonia confugit, quæ significare videntur, ad Charitatem pertinere posse amorem concupiscentiæ mercedis æternæ. Quæ, precor, ista est, o Bolgeni, critices ratio? Quæ Dialectica? Qui modus scribendi, ut legenti veritatem persuadeas? An non ipse statim, vel clausis oculis, contradictionem videbit in homine scribente, Theologos omnes in re convenire circa divisionem duplicis amoris a se explicatam, et simul probante ex Theologis ipsis chimæricam esse, ac fictitiam alteram divisionis partem? Et siquidem cum Theologis, ut in Declarationibus jactitas, in re consentis, cur in Dissertatione contra eos scribis illam adversativam, per quam ab illis discedis: *Ego dico, præsertim distinctionem locum non habere in Charitate actuali?* Cur item hic vel ex Theologis probare contendis illam eandem divisionem, in qua ipsi conveniunt, esse chimæricam? Id protinus in capitis titulo notabit Lector, et multo plura notabit in doctrina, qua rem tibi confirmare videris, ut jam ostendo.

§. I.

Demonstratur amor benevolentiae ex consensu omnium Theologorum.

3. Paucis rem istam conficio. Omnes omnino Theologi, qui per sex fere sæcula florere, amorem docuerunt benevolentiae, et quidem consensione sic arcta, ut nemo unus proferri possit, qui similem amorem denegarit, aut scribens de amore amicitiae erga Deum non diserte tradiderit amorem benevolum. Nec dubito omni animi fidentia provocare Bolgenium, ut a Magistro Sententiarum ad florentes hodie Theologos (qui licet ob errorem sæculi non habeantur tanti, quanti sunt habiti a Majoribus nostris, habentur tamen in pretio apud æquos rerum æstimatores) unum aliquem (saltem Classicum) exhibeat, qui vel per somnium excogitarit fictiones illas, atque chimæras, quibus Auctor in Dissertatione decorat amorem benevolentiae. Vult ille quidem

dem in suam sententiam trahere S. Thomam, Bonaventuram, et quos in hoc laudat capite, imo et in Declarationibus omnes, aut ferme omnes Theologos primæ classis; sed qua ratione, quo argumentationis filo, quot anfractibus, et incohærentiis partim vidimus, et partim etiam usque ad evidentiam postea confirmabimus.

4. Tres in classes distribuo Theologos, qui de Charitate tractaverunt. Alii nullum actum agnoscunt perfectæ Charitatis, qui non omnino respiciat pro objecto unice motivo, et specifico Charitatis Deum in se bonum. Quæ sententia et verior est, et communior. Hanc tenet S. Thomas in Sent., in Disput., et in Summa, Scotus, Suarius, et alii Principes. Alii docent probabiliter cum Bonaventura, sic habitum Charitatis speciem sumere ab objecto primario divinæ Bonitatis, ut possit tamen Caritas elicere actum mercenarium, per quem mercedem æternam, et increatam sibi procuret. Qui actus videtur quidem perfectæ concupiscentiæ, sed minime derogat amoris benevolentia, cuius actus supponitur ab eodem Doctore et perfectior, et nobilior. Alii tandem cum Bossueto sic asserunt, Bonitatem Divinam esse objectum motivum, et specificum Charitatis, ut in eo tanquam primario, et præcipuo, saltem virtute, comprehendatur motivum illud secundarium, *Deus scilicet ut benevolus, et beneficus*. Recte ergo, scribit Bossuet Schola in tuto q. 1. *Schola communiter docet, nosque cum illa dicimus, Deum ut in se perfectum, bonumque, ac beatum esse excellentissimum, præcipuum, ac primum Charitatis objectum: Deum vero ut benevolum, ac beneficum motivum esse secundarium, et in primario saltem virtute comprehensum*. Per quæ Bossuetus significare videtur, sic amorem benevolentia in Deum, ut summe Bonum in se, tendere, ut implicite saltem tendat in Deum benevolum, et beneficum. Fateor ego Illustrissimum Meldensem insistere (plus certe justo) verbis illis S. Thomæ, *in quantum est beatitudinis objectum*, ut inde probet, influere debere in actum Charitatis beatitudinem ipsam, *quia voluntas, inquit, a beatitudinis secundario motivo prosequenda studio temperari non potest*. Sed vero etiam video, illum esse parum apertum in sensu explicando suo, imo vero obscurum, ut loquar cum Clarissimo Larreguera. Forsan hujus fuit ambiguitatis causa, quod monitus ab amicis Bossuetus, ut mitius ageret in controversia cum Cameracensi, pedem aliquantulum retrahere conatus est.

5. Duo tamen hac in re certa sunt mihi. Primum: necesse non fuisse, ut Bossuetus eo usque procederet, ut errorem detegeret Feneionis. Hic enim sufficienter ponebatur in medio, assignata virtuti cuique sua ratione formali, et ostensa connexionione virtutum, per quæ duo adeo non destruuntur virtutum actus, ut potius juventur, foveantur, et perficiantur. Exempli causa: Spes disponit ad Charitatem, et Caritas reddit Spem certiolem, et perfectiorem. Nec hoc in statu possumus Deum cognoscere nisi per beneficia, et diffusionem sui, unde

ex cognitione beneficiorum mirifice juvatur ad Deum in se cognoscendum. Quare nec Spes Charitatem excludit, nec Spem Charitas. Sed in eodem subjecto, imo et in eodem tempore, actus utriusque virtutis consociantur, et dum quis amat Deum in se bonum, præscindit a Deo ut benefico, quem tamen per Spei actum prosequi etiam potest, si per Fidem poponatur. Idem ipsum contingit in timore, gratitudine, obedientia, cæterisque virtutibus, quæ mirabili nexu conjunctæ et se se mutuo fovent, et ad virtutes theologicas eliciendas maxime disponunt.

6. Alterum est, Bossuetum semper habuisse actum benevolentiae ut actum *primarium* Charitatis Theologicæ, et *Deum in se bonum*, ut objectum præcinctum, et specificativum virtutis theologicæ, ut præter dicta constabit legenti illum id omnino supponentem in *Schola in tuto* q. 8. n. 13. *Nos autem pro primario motivo Charitatis, adeoque contritionis, semper habuisse summam Dei excellentiam, toties diximus, ut lectori tædio esse vereamur.* Teneat id saltem Bolgenius, et rumores depellat eos, qui ipsi certe non multum favent, quod ab universo Theologorum cœtu in opinando discesserit. Nam quos pro se laudat, a se non modo non stare, sed illi aperte refragari, palam demonstrat.

§. II.

Qua ratione Bolgenius aliquos pro se Theologos laudet?

7. **P**rimus, quem pro se citat Auctor, est S. Antoninus, cujus doctrinam, ait, esse claram pro amore concupiscentiæ, unde nos provocat ad eum legendum, ut errorem deponamus; et simul discamus, quomodo ex amore amicitiae, qui est aliud nihil, quam amor concupiscentiæ cum additione actus benevolentiae, ex quo Deo bonum desideramus, de bonoque Dei complacemus, amamus Deum magis quam nos ipsos. Porro Antonini mentem manifeste vidimus cap. 3. §. 3. ex quo tria illa, totidem Auctoris errores expugnantia, protulimus, *quod velle bonum alicui, est amor benevolentiae; quod benevolentia importat solam amationem unius ad alterum; et tandem quod benevolentia non sufficit ad amicitiam, quia requiritur mutua amatio.* Et hæc quidem, quod mirere, ait S. Antoninus loco ipso ab Auctore laudato. Ubi est ergo, Cl. Domine, tuus ille amor concupiscentiæ, qui virtute actus Religionis Deum diligit magis, quam amantem? Videte hominis subtilitatem, quæ sane apprime declarat (Superius si placet) mentem S. Doctoris. Nota, inquit Antoninus, *quod quantum quis diligit frui Deo, tanto magis diligit se ipsum, quia hoc est ei Summum Bonum. Tamen hoc quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ.*

scentiæ, Magis autem amamus Deum amore amicitiae, quam amore concupiscentiæ, quia majus est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus ipso fruendo; et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex Charitate, quam se ipsum. Ex his verbis colligit Bolgenius consequentiam illam mirabilem: ergo ex S. Antonino amor amicitiae est in re amor concupiscentiæ cum sola additione actus benevolentiae ad Religionem pertinentis, ex quo Deo volo bonum suum, et ideo plus illum diligo, quam me ipsum.

8. Fateor, me legisse nihil in tota Dissertatione Bolgeniana, quod magis distans mihi videatur a veritate, quam quærimus. Quis enim non clare videat, S. Antoninum in illis verbis, quæ fere totidem transcripsit ex S. Thoma 2. 2. q. 26. art. 3. oppositum statuere, et in eadem esse sententia, in qua est eo loci Angelicus Doctor? Docet igitur aperte, per amorem concupiscentiæ non posse nos Deum amare magis, quam nos ipsos; quia per illum volumus frui Deo, et hic amor fruitionis, seu participationis Dei ad nos revertitur, ex illo nos amamus, nec tendit in Bonum Dei Summum in se, sed ut participatur a nobis, modo scilicet limitato, et finito. Contra vero assertit amorem amicitiae tendere in Deum ut Summum in se Bonum, quod majus est Bonum, quam Bonum, quod participare possumus; atque ideo nos magis Deum amare amore amicitiae, quam nos ipsos. Nonne Antonini mens verbis ipsis satis ostenditur? Amor concupiscentiæ tendit in Deum, ut a nobis participandum; amor amicitiae tendit in Deum, ut in se bonum. Quid ergo necesse est rei clarissimæ tenebras offundere? Et siquidem actus benevolentiae, ut ais, non est amor, sed religio; qui fieri potest, ut amor concupiscentiæ major evadat in ratione amoris ex adjunctione actus ad amorem non pertinentis? Illa ergo amoris excellentia, nobilitas, excessus, et majoritas supra amorem concupiscentiæ non repetitur ab Antonino ex additione alterius actus impertinentis, sed ex majoritate objecti, ex qua etiam illam sumit S. Thomas. Quare ante notationem, quam adhibet S. Antoninus, sic scripserat immediate: *Ex Charitate magis debet homo diligere Deum, qui est Bonum commune omnium, quam se ipsum, quia beatitudo est in Deo sicut in communi, et fontali omnium principio, quæ beatitudinem participare possunt.* Quod idem tradidere S. Thomas, Bonaventura, Suarius, et cæteri Theologi. Pudet me adducere plura ex Antonino pro amore benevolentiae, namque clariora proferre quis unquam poterit?

9. Quia tamen Auctor nos etiam fatigat eadem repetendo, audiatur patienter, quod hic etiam scribit S. Antoninus eodem cap. 3. *Creaturae clamant Deum amandam: ostendendo, Deum esse dignissimum amore nostro.* Item: *Bonitas creaturarum ostendit, Deum esse optimum, atque ideo amore dignissimum.* Audiatur, quod scripserat cap. I. ejusdem tituli. *Una sola ratio diligendi attenditur in Charitate principaliter, scilicet divina Bonitas, quæ est ipsius substantia.* Aliæ autem rationes ad di-

diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes sunt secundaria, et consequentes ex prima. Ubi observanda est, sicut et alias, maxima inter Thomam, et Antoninum concordia. Namque ex eodem fonte repetit uterque Doctor majoritatem amoris erga Deum supra amorem erga nos. Nimirum ex majoritate objecti amati, et ex modo amandi majori: *Diliges Dominum Deum tuum*, inquit S. Thomas de Dilect. Dei, *etiam dilectione amicitiae.* *Hæc est dilectio, qua diligimus illud, cui bonum volumus. Hæc ergo diliges Dominum præ omnibus, et etiam præ te ipso, et hoc dupliciter. Quantum ad objectum majus, ut ei velis majus bonum, quam tibi ipsi, vel cuiquam. Item quantum est per modum volendi, ut magis velis ei bonum, quam tibi, vel cuiquam, quod dignum est.* In eundem sensum ex eo, quod Deus, ejusque honor fruitionem nostram excedat, colligit, majorem esse amorem amicitiae, et minorem amorem concupiscentiae. *Duplex est, inquit in Epist. ad Rom. 9. 3. dilectio Dei, scilicet concupiscentiae, qua homo vult frui Deo, et delectari in ipso, et hoc est bonum hominis; et dilectio amicitiae, qua homo præponit honorem Dei etiam huic delectationi, qua fruitur Deo; et hæc est perfecta charitas.* Vides profecto, Cl. Domine, obscurari hæc minime posse tua illa subtilitate *actus Religionis* additi amori concupiscentiae. Namque tam Thomas, quam Antoninus duos agnoscit erga Deum amores specie distinctos tum ex objecto formali, tum ex modo tendendi magis, aut minus perfecto. Unde non mirum, quod ante te nullus extiterit, qui extreme pugnancia tentaverit conciliare.

10. Quod ex Salesio profertur, facillimum est amoris benevolentiae naturam intelligenti. Ait enim Suavissimus Pater, quod, si per impossibile fingeretur infinita Bonitas, ad quam minime pertinere, et quacum unionem, seu participationem habere non possemus, proprie loquendo, non eam amarem; quamvis ejus, utpote infinitæ, majorem haberemus æstimationem, quam nostri. Quis hæc neget, aut non supponat? Omnes quippe benevolentiae Patroni illud statuunt, amorem ex unione nasci, esse unionem, et ad unionem aspirare. Unde vel ipse Salesius ante verba a Bolgenio prolata scripsit illa, quæ majorem Bolgenio, ejusque systemati difficultatem ingerunt. *Quod si esset, vel esse posset aliqua suprema Bonitas, a qua penitus essemus independentes, posito, quod ei nos unire possemus per amorem, adhuc incitaremur ad eam bonitatem amandam, plus quam nos ipsos.*

11. Nec vero Scholastici docentes bonitatem in se esse amabilem, confundunt actum intellectus cum voluntate. Falsum est enim, et ab omni alienum veritate, quod objectum admirationis non sit etiam, aut esse possit objectum voluntatis. Quinimo et verba ipsa, quæ ex Fulgentio scribit Auctor ad hanc suam opinionem persuadendam, oppositum demonstrant. Ait enim S. Pater, *quod non omnes, qui Charitatem mirantur, et laudant, statim diligunt Charitatem:* ergo aliqui saltem, qui Charitatem mirantur, et laudant, Charitatem diligunt. Er-

go idem omnino objectum admirationis, et laudis esse potest objectum voluntatis. Potest igitur circa Bonitatem Divinam secundum se versari actus intellectus, et potest circa eandem tendere actus voluntatis, primus illam cognoscendo, et alter prosequendo, quin unus cum altero confundatur. Sed quid ibi Fulgentius significat? Dicam ego, et facile dicam, nec enim ejus sententia difficultatem continet. Multi sunt, qui virtutem, Charitatem, Divinam Bonitatem mirantur, et laudant, nec tamen eam efficaciter diligunt, sed affectu debili, tenui, et imperfecto, qui saltem consequitur, seu comitatur admirationem, et laudem, ut quisque inveniet suos in actus reflectens. Sed vero sunt etiam plurimi, qui, quam Charitatem, seu Bonitatem mirantur, et laudant, eandem ipsam amplectuntur, et diligunt. Id quod, ut alia omittam, perspicuum est in contemplatione, ut fidem faciunt Sancti Patres.

12. S. Augustinus lib. de Spiritu et anima cap. 32. contemplationem describit per admirationem cum actu voluntatis jucundissimo conjunctam. *Contemplatio, inquit, est perspicua veritatis jucunda admiratio.* Jam vero quis nesciat, primum contemplationis objectum esse Divinitatem ipsam in se consideratam? Objectum igitur admirationis est per se se objectum amoris ardentissimi, qui potissimum contemplationem constituit. Riccardus a Sancto Victore eandem tradit Augustini doctrinam. *Contemplatio, inquit lib. 1. de contempl. cap. 4. est libera mentis perspicacia in Sapientiae spectacula cum admiratione suspensa.* Consonat item cap. 3. dicens: *in meditatione est labor cum fructu; in contemplatione permanet sine labore, et cum fructu. . . In meditatione investigatio, in contemplatione admiratio.* S. Bonaventura docet, dari non posse contemplationem sine admiratione objecti contemplati. *Cum spiritus illi, (quod ostenditur) quasi acquiescendo cum admiratione inhaerere cepit, tam cito meditatio esse desinit, et in contemplationem transit, ut docet de 7. Itin. ætern. Itin. 5. dist. 1. Unde S. Bernard. lib. 5. de consideratione ad Eugenium non dubitavit asserere, quod prima, et maxima contemplatio est admiratio Majestatis.* Numquid Bernardus confundit hic actum intellectus cum actu voluntatis? Numquid cæteri Patres ejusdem sunt confusionis participes? Egregia vero Auctoris objectio, quæ si valeret quidquam, omnem everteret contemplativam vitam, quæ, ut vidimus ex Gregorio, et Thoma, ad Charitatem spectat.

13. Nec solum admiratio affectiva ex actu intellectus, et ex actu voluntatis conflata pertinet ad contemplationem, sed etiam ad meditationem rerum divinarum, et veritatum, quæ nobis revelatæ sunt, et idcirco Auctores Ascetæ nos provocant ad affectus admirationis v. g. ex consideratione Incarnationis, Passionis, Eucharistiæ, et cæterorum Dei mirabilium. Hic affectus admirationis familiarissimus est in Psalmis, ut cum dixit David: *Domine Dominus noster quam admirabile est Nomen tuum in universa terra?* et cum sæpe alias in eundem

sensum intimæ admirationis diffunditur. Nec vero hic unus tantum intervenit actus intellectus, sed etiam actus voluntatis circa idem objectum, ut negare non potest Bolgenius ulla probabilitatis specie.

14. Video tamen Auctorem in Declarat. p. 76. correxisse ex parte, quam jecerat propositionem in Dissertatione circa impossibilitatem actus voluntatis in admirationis objectum in se consideratum, cum dicat ejus generis objectum excitare posse observantiam, venerationem, et complacentiam in admirante; negat vero amorem excitare posse, cum movere non possit ad desiderium. Sed rationes nostræ invicte probant, amorem verum haberi posse, desiderium, et gaudium circa Bonitatem admirabilem in se consideratam, quam habens Charitatem amat, desiderat, deque eadem gaudet. Neque inde fiet, ut voluntas amet objectum, seu bonum non *suum*, vel ad illam non *pertinens*, in quo sita est Auctoris æquivocatio, qui ut primum legit *meus*, *mea*, *meum*, *suus*, *sua*, *suum*, videre statim sibi videtur amorem concupiscentiæ. Bonum igitur divinum in se consideratum est objectum proprium voluntatis elevatæ ad ordinem supernaturalem, ad illam pertinens, et cum ea dicens maximam consentaneitatem, et convenientiam. Quid est enim, quod magis deceat naturam hominis Theologicam per Fidem dirigibilem, quam Bonitas illa Infinita, et Honestas excellentissima, ex qua honestas omnis, omnisque omnino bonitas derivatur? Ad hanc igitur currit voluntas nostra elevata per gratiam, huic constringitur, ad eandem se refert, ut Augustinus agebat, in ea sistit, ut inquebat Angelicus, quin vel ad se relaxetur, ad se redeat, aut sibi quidquam provenire intendat. Lege, precor, cl. Bolgeni, partem illam excellentissimam Theologiæ, quæ agit de *honestate objectiva*, quam esse difficilem non nego, sed vero necessariam esse pro argumento præsentis rite intelligendo negabit nemo, qui amorem summi Boni recte consideret.

15. Quod pertinet ad Estium nihil ego lego vel in Bolgenio ipso, quod difficultatem contineat. Serviendum est Deo intuitu mercedis æternæ? Quis neget? An actus Spei removendus est a perfectionis statu? An amor æternæ beatitudinis cum actu pugnat Theologicæ Charitatis? Non modo non pugnat, ut sæpius diximus, sed ad Charitatem potius disponit, et ex Charitate perfectior, certior, atque securior evadit.

16. At Benedictus XIV. non esse separandam docet puritatem amoris ab intuitu cælestis beatitudinis. Ita quidem docet lib. 2. de Beatif. cap. 21. et verba ipsa Bossueti transcribit, et S. Bonaventuram in hanc etiam rem ipse laudat. Sed quid inde Bolgenius conatur elicere? An quod amor benevolentiae propter Deum in se bonum fictitius sit, et chimericus? Negat Bossuetus, negat Bonaventura, negat item Benedictus, qui Bossueti doctrinam, quam refert, non reputat contrariam ei, quem sibi finem præfigit capite laudato. Mens autem Sapientissimi

ni Pontificis pro amore benevolentiae Theologorum, et contra systema Bolgenij est ita clara, ut jure mireris, eum ab Auctore pro se citari. *Benevolentia*, ait lib. 3. de Canoniz. Sanct. cap. 23. part. 4. n. 30. *prout est in ordine ad supernaturalia, non distinguitur a Charitate.* Lib. item 3. cap. 25. part. 3. n. 27. (in Relat. Proces. pro Canoniz. S. Theres. tit. de Charit.) sic scribit. *Tertio ad idem nos induxit, quod ita Beata Theresia Deum super omnia propter IPSUM SO-LUM amavit, ut gloria ejusdem Dei Omnipotentis desiderio arserit, eamque augeri summe, summisque laboribus curaverit tam in reformatione istius Ordinis, illiusque propagatione, quam in mirabili doctrina librorum, quos conscriptos reliquit &c.* Et sequitur in eundem sensum ponderans desiderium, quo ardebat, augendae Gloriam Dei. Tandem lib. 7. de Synod. Diaces cap. 13. discrimen exhibet duplicis amoris, non aliter atque caeteri Theologi: *Secundo, inquit, Contritio dicitur imperfecta quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitiae, sed concupiscentiae, hoc est, dilectum, non quatenus est in se summe bonus, sed quatenus est bonus nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, et finis ultimus.* Et vero haec est contritio perfecta Bolgenij pro se laudantis Benedictum. Mitto, quod supra tradidi de Catechismo Bononiensi sub ejus auspicijs aucto. Mitto formulam Charitatis, et Contritionis, quam praemitti jussit Catechismo Bellarmini. Mitto, quod lib. 3. supra laudato cap. 23. §. 2. et 3. explicat Spem Theologicam, et Charitatem ad communem Theologorum sensum, et Catechismi Romani, ut, qui voluerit, inspicere per se poterit.

17. Natalis Alexander adeo est patronus amoris benevoli exploratus, ut postquam ostenderit, Charitati minime repugnare desiderium aeternae beatitudinis, sic scribat. *Ratio tamen praecipua, primaria, et specificativa, cur Deus amore casto diligatur, non est merces, sed infinita Bonitas, incomprehensa Magnitudo, incomparabiles, et adorandae Perfectiones Dei.* Quid quod Natalis ipse verba illa Concilij Tridentini, quod inter caeteras ad justificationem conditiones illam etiam proponit, *diligere incipiunt*, de amore intelligit non concupiscentiae, sed benevolentiae, et concludit: *Concilium igitur postulat amorem benevolentiae?* Quod quidem, ut mihi non probatur, sic ostendit invictissime, Natalem amorem supponere benevolentiae, ut omnino distinctum ab amore concupiscentiae tanquam rem a nemine in dubium revocandam.

18. Clarissimus Laurentius Berti inquit verissime, non repugnare Charitati servare Dei Legem intuitu sempiternae mercedis; maximam Charitatem maxime desiderare uni Deo; rectum esse ordinem, amare vitam aeternam etc. Sed quorsum ista, ut amoris benevolentiae chimaerica ostendatur natura, et existencia? Nonne dicit, Bolgenio teste, ex Cardinali Bona, *quod Deus diligendus est propter se ipsum, quia Summum Bonum est?* An unquam revocavit in dubium amorem be-

benevolentiae? Id Auctori demonstrandum erat in ijs, quos nobis obicit, Theologis; alias oleum, et operam perdit, ut illi accidit in citandis cæteris.

19. Juvenius post verba ab Auctore producta (in quibus non mihi videtur intelligere, quid sit objectum *quod*, et objectum *quo*) proficitur aperte, quod objectum formale *quo Charitatis est Dei Bonitas, prout abstrahit ab illius possessione, vel privatione*.

20. Henricus a Sancto Ignatio multas scripsit paginas pro amore benevolo, ut notum est omnibus. Cur igitur eum pro se laudat Dissertator Clarissimus? An quia non obscure indicat, ad Charitatem pertinere posse actum concupiscentiae aeternae vitae? Indicet sane clarissime, nec enim id nostra refert. Illud autem maxime incumbabat Bolgenio ostendere lectori, Henricum a S. Ignatio docuisse, amorem benevolentiae fictitium esse, ac chimæricum, qua in re summa difficultatis continetur. Id autem præstare Auctor minime potest, nam Henricus tom. 2. lib. 4. de amor. Char. cap. 1. n. 3. sic scribit ad sensum Theologorum. *Formale Charitatis objectum est Deus, quatenus summe in se bonus, et perfectus, fonsque omnis bonitatis, et perfectionis*. In eodem ipso numero notat, quod nomine Bonitatis, quæ est objectum formale, ex quo discernitur Charitas a cæteris virtutibus Theologicis, *intelligitur Bonitas Infinita in omni genere entis, et boni*. Clariora quæris? Lege illum tom. 1. lib. 8. cap. 2. n. 4. ubi tractat de relatione Charitatis, quæ tota nititur amore benevolentiae propter Deum. *Sicut omnia, inquit, propter ipsum operatus est Dominus, ita ad hoc actus nostros . . . referre debemus, ut Deum imitemur, qui omnia agit propter se ipsum, et in gloriam suam omnia destinat*. Id autem quis intelligat sine amore benevolo, cujus est, gloriam Dei quærere, ejusque bonum etiam extrinsecum illi velle, quærere, et desiderare?

21. Video tamen Henricum, ex quo Auctorem suspicor profecisse non parum pro parte sui systematis positiva, non obscure significare, actum concupiscentiae aeternae vitae ad Charitatem pertinere. Enimvero judico, illum in eadem fuisse sententia, in qua Bossuetus. Sed ut hic parum apertus est in sensu explicando suo, sic etiam mihi videtur subobscurus Henricus, ne dicam, sibi non consentiens, in exponendo discrimine inter *amorem charitativum*, et *amorem sperantem*. Ut ut ea sint, ratio, quæ a Bolgenio ex eo producitur ad probandum, *eum, qui diligit Deum ut bonum suum, Deum diligere ut in se bonum*, nullius certe momenti est. Sic enim proponitur apud Bolgenium. Non posset nos Deus beatificare, ultimo perficere, omneque desiderium nostrum satiare, nisi in se summe bonus, et perfectus esset: ergo qui diligit Deum ut summum bonum suum, et supremam felicitàtem, diligit Deum in se Bonum. Concesso antecedente, negatur facile consequentia. Quod unice ex illo recte deduci potest, ut alias insinuavi, illud est, amorem aeternae felicitàtis, et Dei
ut.

ut beatificantis respicere Deum ut motivum amoris, id quod amoris convenit ad Spem prærequisito, sed non ut motivum unicum amoris, cum etiam moveatur partialiter a beatitudine formali; at Deum amare in se Bonum est Deum amare propter se solum, ut unicum amoris motivum, sic ut nihil, quod Deus non sit, ad affectionem istam moveat nobilissimam.

22. In Psalmista Theologo nihil ait P. Bonifacius Giardi, quo vel ad speciem quidem excludatur amor benevolentiae. Quin potius expresse dicit: *charitatem puram, et perfectam consistere in adhaesione animæ ad Summum Bonum amatum propter se ipsum*. Additur tamen (nec enim nego) cui *Summo Bono quanto anima intimius conjungitur, eo foelicior est. Mibi adhaerere Deo bonum est*. Ubi primis in verbis exprimit amorem benevolentiae, qui nihil est aliud, quam conjunctio affectiva cum Deo propter ipsum. In illis vero, quæ sequuntur, insinuat, non posse amantem renuntiare foelicitati, quæ ex eo nascitur, quod *adhaereat bono suo*. Id quod est certo certius, alioquin non amaret, cum foelicitas, et delectatio necessario consequantur amorem. Sed ubi est hic amor ille concupiscentiae, qui ex fruitione, adhaesione, vel beatitudine moveatur, tanquam objecto formali amoris? Ubi amor, qui propter foelicitatem ipsam concipiatur, et non propter ipsum Summum Bonum in se consideratum?

23. Ligorius docet, desiderium illud Pauli toties significatum ad Charitatem pertinere, et esse actum excellentissimum illius virtutis, unde et citat Augustinum dicentem: *Charitatem voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum*. Sed tam Pauli desiderium, quam Augustini motum ita refert ad Deum, ut non nisi propter ipsum tanquam objectum motivum habeantur. Cum enim tract. 4. cap. 1. n. 3. in lib. *Homo Apostolicus* sibi objiciat, desiderium illud ad Spem videri pertinere, respondet cum Habert. *Spem tendere ad fruitionem ut bonum nostrum; Charitas autem tendit in fruitionem ob gloriam ipsius Dei*.

CAPUT VII.

Synopsis capitis VII. Bolgenij de incohærentia
Theologorum, qui docent amorem
benevolentia.

Persuaderi etiam potest sententia nostra ex Theologis illis, qui docentes amorem benevolentia, ita sese infeliciter in eo explicando præpediunt, ut in nostram tandem systema relabantur. Paucos exhibeo. P. Joannes Vincentius Patuzzius, cum tom. 3. Theolog. Moral. tract. 4. dissert. 3. cap. 2. §. 2. et 3. tradidisset, objectum formale Charitatis esse Bonitatem Divinam secundum se consideratam, sic tamen scripsit n. 3. Unde si quis sit a Deo totaliter rejectus, ut damnati, nullam habere potest ad Deum amicitiam, quia in eo non amplius relucet Divina Bonitas. Quid est igitur illud: non relucet Divina Bonitas? An hæc a Damnatis non cognoscitur? Non aliud profecto significare interdicit, nisi quod non proponitur illis cum relatione, et convenientia ad eos. Præterea cap. 1. §. 2. n. 7. ita exponit S. Thomæ verba in quantum est beatitudinis objectum, ut ad subtilitates confugiat sic enigmaticas, quas nec vel ipse nobis exponeret Œdipus. Id quod etiam contingit Silvio, et Dominico Bannez. P. Luchis in notationibus ad opus Josephi Gormi, quod inscribitur Homo, sic ait not. 9. ad cap. 2. lib. 2. Amor amicitia respicit Deum ut in se bonum, et paucis interjectis subdit: hic amor amicitia concipitur propter perfectiones, quas in se habet, et ad nos dicunt relationem. Distinguit item rem bonam a bono ipso, docetque res omnes a Deo factas esse bonas, et æstimabiles, sed non omnes esse bonum, quia nec omnino, nec ex parte conferunt ad alterius fœlicitatem, et ideo non esse amabiles. P. Joannes Baptista Corradi Dominicanus post expositum amorem benevolentia ad sensum Theologorum sui temporis, sic scribit ad Casuum conscientia quæsitam quadragesima parti. 1. Casu 37. Ipsum Deum per se ipsum, et propter se ipsum amemus, quia est finis noster, beatitudo nostra, et totum desiderium nostrum. Et cum supponat Jesum Christum proponere nobis frequenter Regnum Cœlorum, et Gloriam Beatorum, nos ut excitet ad amorem, scribere tamen est ausus, quod qui hujus expers est dilectionis (amoris benevoli) et principaliter Deum amat propter retributionem, et similiter peccata vitat, ne damnetur, damnatione dignus est. Advertit, dicere se principaliter, non secundario, et in illo verbo consistere totam peccati malitiam. Sed vero hæc distinctio inventio est futilis, et arbitraria Scholasticorum, nec in Evangelio, et Traditione fundamentum habet, ut propterea pœnis æternis addicatur homo propter illud principaliter. Quod si hoc verum esset, peccatum erit mortale Deum diligere.

tanquam ultimum finem, aut principaliter propter vitam æternam. Nemo autem non videt, quin similes decisiones non ex vera doctrina, seu scientia profectæ sint, sed ex pura libidine dicendi, et ex cæco impetu imaginationis (a capriccio, alla cieca), et id quidem in casu momenti maximi, et ad vitam christianam extreme conferente. In eundem lapidem impingit P. Gabriel Antoine in Theolog. Moral. Tract. de Virtut. Theolog. p. 2. cap. 2. art. 1. num. 4. dicens cum Filiucio esse mortale diligere Deum principaliter propter beatitudinem. Impingit Laymanus lib. 2. Theolog. Moral. tract. 3. cap. 2. n. 4. Impingit Keinfenstuel tom. 1. tract. 4. quæst. 2. conclus. 4. Sed vero P. Bonaventura Staidel Commentator Antoine veritatem, ut arbitror, assecutus est, cum ad part. 3. cap. 1. quæsit. 1. sic scribit. Bonitas Dei est ratio, quæ ad eum amandum movere debet; id est, Bonitas Dei absoluta primario, et remote, et Bonitas Dei relativa secundario, et proxime; nam sine illicio non excitatur voluntas ad amandum. Quamquam ut, quod sentio, dicam, displicet illa distinctio primario et secundario, quæ confusionem in re clara parere potest, ut contingere in alijs solet. Nec dubito, quin notiones illæ nimium admodum obscuræ, atque confusæ de fine principali, de causa finali, de primario motivo, et de secundario inveniantur facile apud alios Theologos Morales; sed vero illud spero fore, ut in hac mea Dissertatione res ipsa declaretur aperte, ubi ante oculos ex Traditione ponitur, quid sit Deum diligere propter se ipsum. Denique Summus Pontifex Alexander VII. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis ullam inureret censuram Opinioni asserenti, non esse necessarium amorem Dei in Attritione concepta ex metu gehennæ, eamque solum sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ. Quid est igitur, quod sine amore justificari homo possit? Dicam ego, quod mihi videtur, quodque tanquam opinionem meam privatam propono. Theologi negantes amoris necessitatem, amorem benevolentiæ intelligebant, quem unum judicabant pertinere posse ad Charitatem Theologicam, et non negabant amorem concupiscentiæ, quem ad Spem spectare contendunt. In hoc erat sita rei confusio, atque in hac distinctione involvebatur non ab omnibus percepta æquivocatio. Nos vero, Deo dante, in altera hujus Dissertationis parte ad evidentiam demonstrabimus, in Attritione ex metu gehennæ includi necessario amorem concupiscentiæ. Cumque amor concupiscentiæ ad Charitatem spectet Theologicam, omnis de medio tollitur æquivocatio, et res in lumine clarissimo collocatur.

RESPONSIO.

2. **H**æc Auctoris probatio ex paucorum Theologorum, qui certe non habentur inter primos, incohærentia, non videbitur Sapienti nimium efficax, etiamsi Bolgenio concedatur id omne, quod conatur extundere ex iis, quæ hinc, et inde dicta congerit. Dari inter-

terdum in Auctoribus ambiguitates, et incohærentias aliquas, etiam cum de re tractant certa omnibus, nec in controversiam vocata, is unus negare potest, qui peregrinus omnino sit in re litteraria; nec ideo quidquam detrimenti patitur conclusio certa, quia nimirum vitium omne vertitur in Auctorem. Sed eo misso, quo certe non indigemus in argumento præsentis, id mihi certum est, quas relatis Auctoribus affingit Bolgenius incohærentias, illas non esse tales, sed vel ex illius gustu nimium, et ultra modum delicato, vel ex oblivione principiorum Theologiæ proficisci. Et quanquam non omnes Theologos, quos citat Auctor, ad manum habeo, ex illis ipsis verbis, quæ in Dissertatione proponit, id a me iri demonstratum spero. Adeo est Bolgenii causa jam antea judicata. Sed quoniam eo ille sermonem intulit, quo abstinendum ipsi maxime esset, et *incohærentiæ* verbum ingerit Theologis, ex hoc etiam capite impugnandus est, ut palam constet, nihil esse in decem capitibus Dissertationis suæ, quod non contra ipsum facile regeratur.

§. I.

*Amor benevolentiae demonstratur ex multiplici incohærentia unius
hujus Theologi illum negantis.*

3. Hæc probatio videtur mihi aliquantulum efficacior, quam probatio Bolgeniana. Cum enim Theologi ad unum omnes in amore benevolentiae conveniant, et solus Bolgenius illis litem intendant, auctoritates, et rationes omni ex parte conquirens, novum, et usque ad hanc diem inauditum systema erigens; illius incohærentiæ, et rationes parum sibi constantes novum antiquæ possessioni pondus addent, ut quæ veritatem per tot sæcula pacifice dominantem adoriri non possint, quin se ipsas impugnent, destruant, atque dissolvant. Longum esset Auctoris incohærentias omnes hic in medium proferre. Vix enim leges in Dissertatione caput ullum, in quo aliquam, et in multis multas non invenias. Nos aliquas notavimus in præcedentibus, et in reliquis, quæ supersunt, castigabimus alias. Juvat tamen hic nonnullas colligere, et ante oculos ponere lectorem.

4. Sit 1. Asserit Auctor in Dissertatione Theologos omnes in re convenire circa divisionem amoris, se vero judicare, divisionem locum habere non posse in Charitate actuali; et in Declarationibus pronuntiat, Theologos primæ saltem notæ secum in re convenire. 2. Asserere videtur in primo Dissertationis capite, Deum solum esse objectum motivum Charitatis Theologicæ; et in cæteris capitibus id ipsum tribuit fruitioni creatæ (*il godimento*) 3. Fatetur, Deum esse ex Charitate amandum propter se ipsum solum, et propter aliud a Deo non esse amandum; et probat, amandum esse Deum propter possessionem Dei ab

eo utique distinctam . 4. S. Bernardum ad se conatur trahere in Tract. de diligendo Deo non sine aliquibus , ut vidimus, incohærentiis . 5. Idem illi contingit, et quidem multo magis in mente indaganda Doctoris Angelici, ut probatum est . 6. In Martyribus Lucio , et Montano non est sibi concors circa amorem Charitatis perfectum , quoad gradum , ut notavimus . 7. In quatuor Charitatis gradibus Augustini, et Bernardi manifestam incurrit incohærentiam , et quos eosdem ibi snpponit , diversos ibidem statuit .

5. 8. Creatura , inquit , ex amore concupiscentiæ non amat Deum magis, quam se ipsam; sed ex amore concupiscentiæ, addito actu Religionis (qui amor non est) jam magis Deum amat, quam se ipsam . 9. Id ex Antonino probat, et proponit verba, ex quibus evidenter demonstratur oppositum . 10. Cum sermo est in testimonio Patrum de Cælo de Regno Cælorum, de Beatitudine etc. intelligit ad arbitrium de beatitudine seu essentiali, seu accidentali, prout rei, de qua tractat, magis videtur expediens, parcens rationibus idoneis, quibus id lectori persuadeat . 11. Systema suum, ait, se probare ex Ecclesiæ praxi, et Catechismis, nullum tamen producit Catechismum, ex quo illud ne ad speciem quidem evincat, quin et fatetur expresse maximam eorum partem esse contrariam . 12. Probat systema suum ex sensu Theologorum, ex quibus nullum omnino affert, qui amorem benevolentæ denegarit . 13. Ait, se non quærere Philosophorum, in re præcipue Philosophica, doctrinam, et ex illis proficere conatur quam potest maxime, præsertim in probatione sexta . 14. Fatetur, Charitatem sic in Deo sistere, ut ex eo nihil quærat, sicut quærit Spes, et tamen contendit ex eo quærere beatitudinem essentialem . 15. Negare non potest Charitatem distingui ab Spe, eaque illam esse potiozem, et perfectiozem; nec tamen statuit solide distinctionem illam, et multo minus principatum Charitatis explicare potest supra Spem æternæ Beatitudinis . 16. Et quæ multas comprehendit, cum verba Patris alicujus, aut Doctoris in proprium transfert idioma, notabit interdum Lector versionem incohærentem, ut non modo verba non sint reddita verbis, sed nec sensus sensui respondeat . 17. Probat ex Nazianzeno suum unicum amorem concupiscentiæ, et verba proponit S. Patris, in quibus ultra amorem concupiscentiæ docet plane amorem benevolentæ, et quod majus est, statuit diversitatem duorum amorem ex objecto motivo desumptam . Æquivocationes istæ castigatæ ferme sunt in præcedentibus, nec credo supersedendum esse huic labori in ijs, quæ restant, discutiendis .

6. Et quoniam hoc in capite non jam accusat incohærentiæ P. Joannem Baptistam Corradi, sed eum etiam arguit decisionis imprudentissimæ ex sola dicendi libidine, et ex cæco imaginationis impetu profectæ; videamus, an decisio Bolgeniana ad alterum Conscientiæ casum ab Erudito Muzzarellio propositum sit ipsa melior, aut prudentior, quam decisio Cor-

radi, aliorumque Theologorum, de quibus §. sequenti Proposuerat Clarissimus Comes Muzzarellius (ut fatetur Auctor in Declar. p. 112.) auctoritatem Catechismorum, qui nos docent unanimiter sic eliciendum esse actum amoris Dei: *Deus meus, quia es Summum, et Perfectissimum Bonum, ego te amo super omnia, et propter amorem tuum amo proximum meum sicut me ipsum.* Quid ad ista Bolgenius? En tibi decisionem, quæ mihi certe videtur esse mirabilis: *Quoniam adversarius me trahit ad Scholasticas speculationes, agamus sane ratione Scholastica.* Minime vero te trahit ad speculationes Scholasticorum, o Bolgeni, sed ad prima te revocat principia Catechismorum, quæ nec ignorant vel ipsi rudes, aut imperiti, nec mentem prætervolant puerorum, aut virguncularum. *Ego dico,* pergit (ratione nimirum Scholastica) *actum ibi expositum non esse actum amoris, non benevolentia, non amicitia.* Quid igitur tandem erit? *Ego certe definire non possum. Erit forsitan vinum aquæ, vel ex aqua: vino di aqua.* Video hic; quid autem video? Imprudentiam ne dicam, an scurriles puerorum jocos? Itane vero Ecclesiæ Pastores fidelibus formulam illam proponentes! Ergo ne Benedictus XIV. jubens eam præmitti Cathecismo Bellarmini! Itane tandem Benedictus XIII., cujus auctoritate, jussuque publicata est Instructio ad calcem posita ultimi Concilii Romani, populo Christiano proponunt actum, qui nec amor sit, nec benevolentia, sed vinum aquæ vel ex aqua! Abjice, quæso, hanc scribendi rationem nomini tuo clarissimo minus sane congruentem.

7. At enim levem hanc expressionem corrigere videris, cum addis: *Nihilominus actus supra expressus excitabit in populo amorem concupiscentiæ erga Deum.* Unde tandem hoc probas? *Duplici nempe ratione. Prima: quia populus edoctus instructione publica solitus est respicere Deum, ut finem suum ultimum, ut Bonum suum summum, ut fontem totius felicitatis. Secunda: quia intimus cujusque sensus, et praxis edicit omnibus, amare, non esse aliud, quam desiderare bonum ad fruendum eo.* Ex hac doctrina duo illa colligis, te ut in portu, nihili pendens contradictionem, constituas, et quod *Catechismi bonam nos docent doctrinam, non chimæras;* et quod *Ecclesiæ Pastores nullum docent errorem.* Ea cum dixisses duo, Logicam (si placet) castigans Muzzarellii ad alia transis, quasi nihil jam tibi agendum superesset, et quasi Lector responsionis inopiam, et dictorum incoherentiam non esset observaturus.

8. Primum itaque cuique statim venit in mentem, quod licet Populus solitus sit respicere Deum ut Summum Bonum suum, et ut fontem suæ foelicitatis, quando ab ipso sperat beatitudinem promissam; sed in actu illo amoris supra expresso dirigitur ad respiciendum Deum, ut in se bonum, perfectum, et dignum, cui placeat in rebus, quas præcipit, et ut non displiceat in illis, quas prohibet. Et huc tendunt Ecclesiæ Pastorum Instructiones. Nec alia est illorum mens

populum dirigens ad eliciendos actus Spei, et Charitatis. Ego sane olim Catechistam egi, et id ipsum pueris, rudibus, ac omni populo insinuare conabar verbis, et lingua, quod interius mente versabam, nec animum subibat meum (nam cujus in mentem veniret ante Dissertationem confectam?) tam peregrina correctio a rudibus facienda, ut scilicet docentē Catechista, *Deum esse amandum super omnia, quia Summum Bonum, infinite dignum omni amore nostro*, pueri ac rudes dicerent apud se, *non quia Summum Bonum, et infinite dignum amore, sed quia mihi daturum aeternam beatitudinem, et felicitatem*. Sed et hoc ipsum contigisse quondam Cl. Auctori non mihi videtur incredibile, Deinde in eadem formula satis clare significatur, quod actus ille non est præcise desiderium aeternæ beatitudinis, nec ulla ratione probabitur, amorem erga Personam infinite amabilem, et dignissimam omni amore, obsequio, et laude esse desiderium foelicitatis aeternæ, et non potius actum, per quem quis vult, ut illa persona sit talis, qualis est de facto, bona nempe, perfecta, et digna omni amore. Amor enim ex S. Thoma non potest esse sine complacentia boni.

9. Præterea intimus cujusque sensus elicientis sub illa formula actum amoris: *amo te Deus meus super omnia ex toto corde, quia es Summum Bonum, et dignissimum omni amore*, est, ut recte notat Suarius, elicere amorem obedientialem sic exprimendum. *Deus meus, quia es Summum Bonum dignissimum omni amore, ego me totum tibi trado, committo, et do ex toto corde ad tuam agendam voluntatem in omnibus, quæ præcipis*. Quo in actu clarissime cernitur tum conjunctio affectiva, sine qua non constat amor, tum benevolentia, ex qua discernitur hic amor ab amore concupiscentiæ. Nec est opus, ut actum illum eliciens eas ipse formalitates cognoscat, aut discernat; satis est, ut praxi, et exercitio ipse se Deo tradat ad ejus agendam voluntatem, et non displicendum illi propter omnia contraria, quæ occurrere possint. Hæc est amoris clarissima notio, et non desiderium propriæ beatitudinis. Illam docent populum Catechismi, et Pastores Ecclesiæ, dum explicant Charitatem; et illud proponunt desiderium, cum docent ea, quæ pertinent ad Spem Theologicam. Tandem quis non videat discrimen apertum inter hos duos actus: *amo te Deus super omnia, quia es in te Summum Bonum, et summe dignum omni amore meo: Desidero Deus meus beatitudinem aeternam, quam mihi promissisti*. Certe Catechismi actus illos discernunt, et Ecclesiæ Pastores eandem mentem suis in Instructionibus ostendunt. Unde et unanimiter Populum Christianum edocent, primum esse actum amoris benevolentiae: Hic igitur si esset chimericus, Catechismi non bene docerent, et Ecclesiæ Pastores errorem plane disseminarent.

10. His de causis timens Bolgenius, ne systema concupiscentiæ plane corrueret, si hac ex parte impeteretur, aliud quidquam insinuavit in Dissertatione p. 38. dicens: *Spiritum Sanctum lamine suo, at-*

que impulsu impedire effectum instructionis falsæ, et sua gratia movere corda fidelium ad amandum Deum ut suum ultimum finem, et suam ultimam felicitatem. Id ut persuadeat, profert verba S. Acazii Episcopi, et Martyris ita respondentis Præfecto volenti, ut falsam Paganorum doctrinam persuaderet Christianis: Illi, inquit, omnes non meo nutu, sed Dei præcepto reguntur. Audient me itaque, si justa persuadeam; sinvero perversa, et nocitura, contemnent. Verum hæc scribendi ratio non multum defert Ecclesiæ Pastoribus, et altera ex parte nec est solidior, aut verior, quam quæ in Declarationibus insinuat. Præmiserat Bolgenius eo loci, *argumentum hoc Theologicæ Charitatis maximi esse momenti in vita christiana, ex quo magnum detrimentum obvenire potest christiano populo, cum ipsi proponitur falsa doctrina*. Ergo Catechismi, ergo Pastores Ecclesiæ proponunt populo christiano falsam doctrinam, ex qua ei obvenire potest magnum detrimentum, cum illi proponunt formulam amoris Dei, quam Muzzarellius subjecerat. Ergo nec bene docent Catechismi, nec Pastores Ecclesiæ veritatem proponunt, sed errorem, et quidem talem, ex quo facile sequi potest detrimentum magnum in populo christiano.

II. Id ipsum satis significat Auctor scribens in eodem numero: *Si insegna ai fanciulli, e al popolo rozzo il fare atti di amor di benevolenza; vale a dire, si insegna loro una falsa dottrina circa l'amor di Dio*. Verbum illud indefinitum *si insegna*, quod in materia doctrinali æquivalet universali, nonne docentibus errorem attribuit? An durum hoc scribendi genus tolerari potest, præsertim si rite perpendatur, a quibus tradatur error, quibus instilletur, quandiu, coram quibus? Et ubi error hic in materia momenti maximi edocetur? Non in Mundi angulo, non in Ecclesia privata, non in hac, alterave Provincia, seu Regno, sed ubi Nomen Dei sanctificatur, in omni Mundi plaga, ut probatum est nobis efficaciter cap. 4. Quis hæc legat sine intimo animi condolentis sensu? Dele, precor Vir clarissime, quæ propria correptus opinione scripsisti non multum, ut arbitror, considerate. Dele insuper correctionem, quam adhibes ad impediendum detrimentum, quod obvenire posset populo christiano ex hac, ut ais, falsa doctrina, cum dicis, quod *Spiritus Sanctus lumine suo, et impulsu impedit effectum falsarum Instructionum, et sua gratia movet corda hominum ad amandum Deum tanquam ultimum finem, et æternam felicitatem*. Hæc enim correctio non videtur esse minus periculosa, quam propositiones illæ, pro quibus leniendis adhibetur.

12. Certe Spiritus Sanctus regit, et disponit omnia fortiter, et suaviter. Si tollas ordinaria media, quæ Divina statuit Providentia pro instructione hominum, quomodo instruetur, aut illuminabitur Christianorum Natio? An fides non est ex auditu, auditus autem per verbum Christi? Quid est igitur in causa, cur aliqui Christianorum præcipua Religionis capita ignorent? cur tot Pagani in umbra mortis sedeant?

Cur

Cur tot Hæretici ex effectu falsæ instructionis ab Spiritu Sancto non impedito in tenebrosissimis erroribus versentur? Profecto hæc omnia a falsa, vel a nulla instructione proficiscuntur. Quia nempe instructio medium est ordinarium divinæ Providentiæ. Si ergo falsam Pastorum, et Catechismorum instructionem supponis, frustra confugis ad instinctum Spiritus Sancti. Quin potius et hæc ipsa ratio contra te ipsum instituetur vel ab imperitissimo quovis. Nam si Spiritus dirigit corda hominum ad instructionem rectam, et praxim in operando securam; ergo Pastores Ecclesiæ diriget multo magis, nec eos patietur errare in instructionibus publicis. Eos enim constituit in cæterorum Magistros, unde et peculiari modo illos illuminabit. Atque hæc quidem ratio rem plane convincit, si non unum, aut alterum Ecclesiæ Pastorem amorem benevolentiae docentem, sed eos communiter ubique terrarum ita docentes consideremus.

13. Quod ex S. Acazio producitur, verissimum quidem est in circumstantiis, in quibus verba illa protulit B. Martyr, sed pro Bolgenij causa nihil ferme magis importunum. Dicam plane, quod est, et habetur apud Ruinart ad Sæculum 3. Comprehensus Acazius a Martiano Præfecto hanc ex eo jussionem audivit: *Omnes catholica legis collige Christianos, et cum his Religionem nostri Imperatoris imitare. Veniat te, cum omnis Populus, ex tuo pendet arbitrio. Cui Acazius: Illi omnes non meo nutu, sed Dei præcepto reguntur. Audient me itaque, si justa persuadeam etc.* Profecto si Populus Christianus in Christum credens audiret ab Episcopo suo ad tormenta sublato, veram esse Imperatoris Religionem, falsam vero Christianorum legem, statim crederet Episcopo metu mortis labefactato constantiam defecisse, nec ejus dictis, factisque ullatenus moveretur a fide semel suscepta. Id quod in multis Martyribus jam jam vi suppliciorum enecandis contingere solebat. Respondit ergo rectissime, et ad rem opportunissime S. Acazius: *illi omnes non meo nutu etc. Sin vero perversa, et nocitura, contemnent. Res enim clarissima erat, ex qua nullum Christiani contra Religionem dubium concipere poterant. At quorsum ista, ut ex illis Bolgenius colligere recte possit, falsas Catechismorum Instructiones non esse fidelibus asportaturas detrimentum, quia illi omnes præcepto Dei reguntur?*

14. Mi Bone, doctrina in Catechismis a Pastoribus tradita non ex timore suppliciorum, nec ex Tyrannorum metu extorta est, non est doctrina privati hominis, qui quantumvis sanctus, et in maxima dignitate constitutus errare facile potest, aliosve in errorem inducere; est doctrina publica, quæ ab Ecclesia universim docente per Catechistas, Parochos, Missionarios, Directores, et Episcopos proponitur christiano populo, ut satis significasti per expressionem illam: *docetur populus rudis, docentur pueri...* Quod si tamen adhuc permittis privatis hominibus, ut publica instructione contempta, dicant habere

se lumina sua, instinctus, et impulsus Spiritus Sancti, quibus se debeant potius conformare, quam Pastorum Institutionibus, ansam certe dabis infinitis erroribus. Quid enim aliud intendunt in Dogmate Lutherani, et Calvinistæ? Quid in re Mystica, et Morali Molinistæ? Res hæc, clarissime Domine, periculo non minimo plena est, quod ea re efficitur majus, quia in tua Dissertatione vulgari edita sermone populo suggeratur.

§. I I.

Quid de incohærentia Theologorum, quos citat Auctor, sentiendum sit?

15. **P**rimus erat Joan. Vincentius Patuzzius incohærentiæ accusatus, propterea quod statuto objecto motivo Charitatis in Bonitate Divina secundum se considerata, ait, hominem omnino rejectum a Deo, et absque ulla spe salutis, ut evenit in damnatis, non posse Deum amare amore amicitiae, quia in illo non amplius relucet Divinae Bonitas. Nullam hic video doctrinæ incohærentiam, et multo minus pugnam illam dictorum, quam in Auctore animadverto. Verba illa Patuzzij nihil aliud significant, nisi quod Deus amari non potest amore amicitiae (nempe supernaturali, nam amor naturalis Dei ad amicitiam non pertinet, ut bene observat Suarez) ab eo, qui spem non habeat. Cum enim amor amicitiae fundetur in communicatione bonorum, et præsertim beatitudinis promissæ, eo deficiente fundamento, necesse est, ut amor ille deficiat. Atque hæc est doctrina D. Thomæ, quam Auctor non ignorat. Quin et ipse illam proponit p. 122. Dissert. confundens, ut assolet, motivum cum fundamento. *Sicut aliquis, inquit S. Doctor, non posset cum aliquo amicitiam habere, si discredere, vel desperare, se posse habere aliquam societatem, vel familiarem conversationem cum ipso: ita aliquis non potest habere amicitiam ad Deum, quæ est charitas, nisi fidem habeat, per quam credat hujusmodi societatem, et conversationem hominis cum Deo, et speret, se ad hunc societatem pertinere. Et sic charitas sine fide, et spe nullomodo esse potest.*

16. Id igitur ipsum est, quod hoc in loco Patuzzius insinuat, cujus mentem (dicam bona Auctoris venia) non esse ab eo bene intellectam ex ipsa suspicor impugnatione, cum sic exclamat: *An Dæmones, et damnati non agnoscunt Deum multo melius, quam nos communiter in hac vita mortali?* Mens Patuzzij eo tendit, ut doceat, neminem habere posse amicitiam ad Deum, quin in illo reluceat Divina Bonitas per communicationem, seu præparationem bonorum supernaturalium, ratione quorum jam est homo constitutus in illo ordine supernaturali necessario ad amicitiam excellentiæ cum Deo, ad
quam

quam homo sibi relictus aspirare minime posset. Hoc est, ex mente hujus Doctoris non relucere in Damnato, vel in homine a beatitudine rejecto Divinam Bonitatem, quæ objectum est formale Charitatis secundum eminentiam illam supernaturalis communicabilitatis, de qua S. Thomas, et P. Suarez supra loquebantur. Quocirca *non relucere Divinam Bonitatem in rejecto a Beatitudine* non est, rejectum non cognoscere Divinam Bonitatem, sed non esse in rejecto illam imaginem, vel similitudinem Bonitatis supernaturalis Dei, quæ resplendet in præparatione, seu communicatione bonorum supernaturalium, quibus rejectus a Beatitudine spoliatus est. Id quod de medio tollit fundamentum ad amicitiam necessarium.

17. Unde bene comparat laudatus Doctor amicitiam, quam ad Deum habemus, cum amicitia, quam quis haberet cum Patrefamilias, qui quidem et filios, et domesticos amat, quia res sunt ad illum pertinententes, sic tamen ut ejectum domesticum non amaret ex defectu conjunctionis cum Patrefamilias: *In hoc exemplo*, inquit, *cogita Charitatem, qua movemur ad diligendum Deum propter summam ejus Bonitatem, ac secundo diligimus nos ipsos, proximos, et res omnes ad Deum pertinentes, utpote creatas in ejus gloriam, et intelliges, quod infinita Dei perfectio, et bonitas sit tota ratio non solum Deum, sed etiam nos, et proximum diligendi amore Charitatis; Deum quidem, quia ipse est originalis Bonitas, nos vero, et proximum, quia eadem divina Bonitas per communicationem, et præparationem bonorum supernaturalium in nobis, et proximo relucet tanquam in filiis, et domesticis Dei. Unde si quis sit a Deo totaliter, et absque ulla spe rejectus, ut damnati, nullam habere potest ad eum amicitiam, quia in illo non amplius relucet Dei Bonitas, quæ tota ratio amandi est, atque motivum.*

18. Accusat præterea cl. Dominus obscuritatis, et subtilitatis ænigmaticæ non Patuzzium modo, sed etiam Sylvium, et Bannez locum illum S. Thomæ interpretantes: *in quantum est objectum beatitudinis*. Ego certe non video prætensam obscuritatem, et unice adverto, Auctori cavillationes videri quæcumque *subtile* sonant, atque *acutum*, quo sine ad difficultates rescandas pervenire non possumus. Profecto Sylvius 2. 2. q. 23. art. 4. sic explicat verba illa: *in quantum est beatitudinis objectum. Verborum sensus est, Bonum divinum esse objectum Charitatis sub ea entitate, bonitate, et perfectione, sub qua est objectum beatitudinis. Est autem objectum beatitudinis secundum quod est in se summe, et infinite bonum.* Hæc Sylvius, in quibus nihil inest obscuritatis. Sicut enim fruitio divina est de bono divino secundum se considerato, pro illo nimirum statu, in quo excedit omnem naturæ connexionem, ita amor tendit ad bonum divinum secundum se considerato per fidem. Quæ doctrina videtur esse Theologo non difficilis. Ad eandem Sylvij explicationem se refert Patuzzius scribens: *ea verba D. Thomæ dicentis, bonum divinum, in quantum est beatitudinis ob-*

jectum, esse objectum Charitatis, sapienter annotat V. Cl. Sylvius, sic esse intelligenda, ut nempe bonum divinum sit Charitatis objectum sub ea bonitate, entitate, et perfectione, sub qua est objectum beatitudinis. Est autem objectum beatitudinis, prout in se est summe, et infinite bonum, adeoque etiam est objectum Charitatis, prout est in se summe, et infinite bonum.

19. Quid autem Dominicus Bannez ad locum citatum? Ad summam illud. *To inquantum* D. Thomæ non significare *objectum formale*, sed *conditionem*, cum qua considerari debet objectum. Nam nisi bonum divinum consideretur ut supernaturale per fidem, non potest movere ad amorem supernaturalem; si enim consideretur solum ut naturale per cognitionem naturalem, movere solum potest ad amorem pure naturalem. Id ut intelligatur, non est opus multa contentione mentis. Fides nobis proponit Deum ut objectum supernaturale, et Auctorem gratiæ, et gloriæ omnem naturam excedentem, cognitio autem pure naturalis nobis repræsentat Deum Authorem naturæ. Ergo fides regulat actum Charitatis supernaturalis, sicut cognitio naturalis regulat actum amoris naturalis. Quæ in hoc est, esseve potest Auctoris ingenio perspicaci obscuritatis umbra? Quod si tamen intelligere non potest Bolgenius, quomodo ex parte objecti supponi possit conditio, quæ tamen non moveat immediate ad actum voluntatis, consideret *arduitatem*, quæ supponi debet in objecto Spei Theologicæ, quin tamen moveat ad actum prosecutivum sperandi, ut insinuavimus, et in sequentibus ex S. Thoma amplius confirmabimus. Consideret item cognitionem, quæ requiritur, ut objecti bonitas moveat ad amandum, cum tamen cognitio, ut Theologi cum S. Thoma, non moveat ipsa per sese, sed sit applicatio objecti ad movendum.

20. P. Luchis statuit esse objectum Charitatis *Deum in se bonum*, et addit amorem Dei concipi ex perfectionibus, quas *Deus in se habet*, et ad nos dicunt *relationem*, per quæ ultima verba non significat nos moveri *ex illa relatione*. Ut enim inquit S. Thomas 1. p. q. 6. art. 2. ad 1. *Relatio autem, qua aliquid de Deo dicitur relative ad creaturas, non est realiter in Deo, sed in creaturis, in Deo autem secundum rationem*. Movetur igitur amor ex perfectionibus ipsis divinis, quæ in Deo sunt, nihilque important a Deo distinctum, licet interdum a nobis concipiantur per conceptus relativos, et ad nos dicentes respectum, ut jam alias notavimus observantes hunc respectum cognitionis relativæ minime officere amori benevolentiæ, cum voluntas gratia Dei adjuta movetur, ut potest, ex sola divina bonitate. Ratio est in promptu, quia tunc voluntas non regreditur ad se, sed ipsa sistit in Deo. Hoc est verum discrimen, quod intelligere non vult Bolgenius amoris benevolentis ab amore concupiscentiæ. Unde dilucide P. Suarez part. 3. de Divin. Grat. lib. 8. cap. 20. n. 4. *Etiam, inquit, diligitur Deus super omnia, et ex Charitate, ut Creator est, vel Glorifica-*

ficator. Neque tunc diligitur amore concupiscentiæ, sed propter Bonitatem, et Potentiam, quam in se habet, ratione cujus est omnis Justitiæ fons. Sicut dicitur Deus amari Charitate infusa, ut est finis ultimus supernaturalis, et objectum beatitudinis ejusdem ordinis; non quia ex amore nobis illum diligamus, sed quia eam Bonitatem in eo, et propter eum diligimus, quæ potest tam perfecte beare, ut in superioribus declaratum est. Hæc Suarius, et hoc ipsum insinuat Luchis in verbis, quæ acusat Bolgenius non satis advertens naturam amoris benevolentia, et libertatem nostræ voluntatis in motione intentionali ab objecto per fidem proposito.

21. Propter eandem rationem non nisi imprudenter castigat Patrem Corradi, qui exposito objecto motivo Charitatis ad sensum Theologorum, sic ait: *Ipsam Deum per se ipsum amemus, et propter ipsum amemus, quia est finis noster, beatitudo nostra, et totum desiderium.* Hæc enim ultima verba unice significant, ex cognitione divinæ communicationis devenire nos in cognitionem divinæ Bonitatis, quam propter ipsam amamus in se, et non propter aliud ab ea distinctum.

22. Acrius invehitur contra eundem Theologum, Layman, Fillium, Antoine, atque Reinfestuel, proptereaquod sine ulla prorsus hæsitacione pronuntient, esse mortale diligere Deum *principaliter* propter beatitudinem. Mihi vero, evolutis Auctoris levibus rationibus, visum est, eum non satis penetrare notionem, et potestatem illius verbi *principaliter*, in quo malitia peccati, ut bene advertit Corradi, constituta est. Enimvero Auctores illi, et alii plurimi, ut cuique notum est in re morali aliquantulum versato, per verbum illud *principaliter* intelligunt amorem, per quem Deus referatur ad beatitudinem tanquam ad finem ultimum. Quæ relatio est sine dubio peccaminosa. Namque Deus exueretur ratione ultimi finis, et hic in re creata constitueretur, unde multo magis amaretur beatitudo, quam Deus, et huic illa præponeretur. Hic est Theologorum sensus tanquam vitiosum hujus amoris genus condemnantium. Bellarminus lib. 5. de Justific. cap. 9. sic scribit: *Nec ipsa quidem vita æterna est appetenda plusquam Dei gloria, et vitiosus amor esset, magis beatitudinem propriam amare, quam Deum.* Non ergo Deus ad propriam est beatitudinem referendus, sed propria cujusque beatitudo in Deum referenda est. Eodem omnino modo loquebatur supra Julianus Pomerius: *Et ideo Deus, aiebat, quo nihil est majus, aut melius, propter quod diligitur, propter se ipsum perfecte diligitur. Si vero saltem propter illa, quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud propter quod diligitur, ei, (quod dictu quoque nefas est) antefertur.* Ita etiam sentit S. Thomas Opusc. (si tamen est S. Doct.) 61. docens, eum, qui Deum diligeret propter Deum habendum, *ita ut habere Deum, vel frui Deo sit finis, in quo quiescitur*, peccatum esse sine dubio. Et reddit rationem hujus decisionis illam eandem, quam malè a Bolgenio cas-

castigati reddant Auctores. *Quia refertur Creator ad Creaturam*. Sic etiam sentit S. Franc. Salesius Auctori in primis charus: *Amare Deum propter amorem ipsius*, ait lib. 2. de Amore Dei cap. 7. *ita ut quæ mihi felicitas ex amore Dei provenit, sit finis, propter quem diligo Deum; et amor Dei pendeat ab amore meæ felicitatis, id est, mei ipsius, ei-que subjiciatur, impietas est, cui nulla similis.*

23. Quin et Bolgenius ipse hanc ipsam veritatem ingenii ductus claritate palam pronuntiat in Declarat. p. 34. dicens: *amare Deum tanquam medium ad obtinendum rem ab eo distinctam est inordinatio Deo injuriosa, quæ finem ultimum constituit in re a Deo distincta, ut ea perfruatur*. Id est igitur, quod ajebat Corradi, id Layman, id Elliius, id Antoine, id Reinfenstuel, et quod firmant Julianus Pomerius, S. Thomas, Bellarminus, atque Salesius. Nam beatitudo, de qua loquuntur, res est creata, et a Deo distincta (scilicet actus vitalis intellectus, et voluntatis) ex qua Deum habemus, consequimur, et possidemus; ut enim diximus ex S. Thoma 1. 2. q. 1. art. 8. *Beatitudo nominat adeptiorem ultimi finis.*

24. Cum hæc ita sint, uti exposuimus, quis non jure mirabitur, et improbabat exiguam sane Auctoris moderationem, et non satistemperatam in scribendo licentiam, qua hoc loco invehitur in Patrem Corradi, cæterosque laudatos Theologos, quia docent in sano certe sensu (quem tamen Bolgenius non penetrat) peccatum esse Deum amare *principaliter* propter mercedem, retributionem, vitam æternam. Audi pauca, quæ contra illos continentur in hoc capite 7. *Si noti di più in qual laberinto di contradizioni conducano le oscure, e confuse idee . . . Come mai ha coraggio l' Autore di asserire? . . . Come non ha avuto ribrezzo di scrivere tali cose? . . . Questo egli è parlare a capriccio, ed un camminare alla cieca nella decisione di un caso fondamentale . . . Intende forse per vita eterna qualche vita di Epicuro? . . . In queste palpabili contradizioni, in questi errori enormi conduce l' oscurità, e la confusione delle idee, e la licenza pur troppo familiare ad alcuni Scrittori di fabricare sistemi a lor capriccio, e di dipartirsi dall' insegnamento della Tradizione, per seguire le invenzioni della propria fantasia*. Itane vero, vir clarissime? Quin etiam dum sic scribis libere contra Corradi cæterosque laudatos Theologos *vere immerentes*, erat timendum vehementer, ne unus aliquis existeret, qui tibi ipsi vicem redderet, et tuo applicaret systemati ultimam hanc clausulam, quam, animo certe alio avvocato, conscripsisti. Tamen ego id unum dicam, non negare Corradi, non negare Laymanum, cæterosque Doctores, sed asserere potius ipsos, firmare, ac confirmare ex consideratione Regni Coelorum, et æternæ vitæ excitari nos debere ad amandum Deum propter se ipsum. Qui enim Deum ita beneficium, et liberalem erga genus humanum contemplatur, ut ei gratis, sponte sua, quia vult, se promittat in æternum videndum, et fruendum,

dum, facile ex Dei gratia pervenit ad Bonitatem illam infinitam agnoscendam, eamque in se, et propter se amandam ex verissimo amore benevolentiae. Sed vero hic amor non est *principaliter* propter vitam aeternam, propter mercedem, propter adeptionem ultimi finis, propter retributionem, sic ut in ea finis ultimus constituatur. Id excludunt citati Doctores, id etiam excludis et tu ipse in Deo solo constituens rationem finis ultimi. Unde videtur aequitas postulare, ut animo jam sedato; tranquilloque corrigas ea, retractes, et deleas, quae elapsa sunt tibi praefervido disputationis aestu. Nec enim illa tangunt tantum, quos insectaris, Theologos, sed communem Doctorum sententiam non aliter existimantium.

25. Quod additur de Bonaventura Staidel in Gabriellis Antoine commentatione, lepidissimum est. Dicitur enim, assecutum illum veritatem, dum scripsit, *Bonitatem Dei absolutam esse rationem primariam, et remotam movendi ad amandum Deum, et Bonitatem relativam esse rationem secundariam, et proximam*. Quanquam Auctori non placeant (quid autem illi placeat, qui Scholasticorum terminos innovare contendit?) distinctiones illae *primario, et secundo, proxime, et remote*, dicam, quod res est. P. Staidel eandem tenuit veritatem, quam erat assecutus Antoine, nimirum Bonitatem absolutam Dei esse motivum amoris, et Bonitatem relativam penes terminum relationis esse causam dispositivam, quam idcirco vocat Staidel proximam, et secundariam, quia ex ea primum disponimur, unde non sine causa subjungit: *nam sine illicio non excitatur voluntas ad amandum*. Illae vero distinctiones brevissimae mirum in modum prosunt intelligenti terminos, rem ut percipiat sine idearum confusione, et ut actuum nostrorum ordinem, connexionem, et oeconomiam penitus scrutetur.

26. Quod ultimo loco proponit de Alexandro VII. praescribente, nequis inurere audeat censuram sententiae asserenti, non esse Dei amorem necessarium in Attritione concepta ex metu gehennae, eamque solam sufficere ad Sacramentum Poenitentiae, nullam dedit occasionem, ex qua verbis luderent Theologi in utramque partem disputantes. Quis enim est inter Theologos vel levissime initiatus, qui nesciat, amorem illum, de quo Alexander, non esse quemcumque amorem concupiscentiae, sed amorem benevolentiae, seu Charitatis Theologicae? Hoc igitur ex capite nulla inter illos esse poterat ambiguitas, nulla aequivo-
catio. Namque amorem ad Spem pertinentem, vel amorem concupiscentiae admittebant omnes, negabant autem pugnantes pro sufficientia Attritionis necessarium esse amorem Theologicae Charitatis, de quo omnes intellexerunt amorem, quem insinuat Pontifex in memorata prohibitione. Haec, quae pervia sunt omnibus, nobis hic Auctor proponit, et quidem subtimide, tanquam reflexionem quandam privatam a se inventam post diuturnam meditationem. Sed esto. Quid hinc Bolgenius? Illud nimirum. Cum amor, inquit, concupiscentiae, ut de-

monstravimus, ad Charitatem pertineat, sublata est omnis æquivocatio. Ego vero repono. Cum probatum non sit (quod omni ex capite improbabile est) amorem unicum concupiscentiæ ad Charitatem pertinere Theologicam, res est post Bolgenium in eodem statu constituta, in quo ante ipsum posita erat. Et cum nulla fuerit inter Theologos ambiguitas in intelligentia verborum Alexandri, et nulla æquivocatio ante opinionem Bolgenii, ita etiam nunc, ejus exploso systemate, nihil est ambiguum, nihil æquivocum.

CAPUT VIII.

Synopsis capituli VIII. Bolgenii de ratione naturali.

1. **E**n tibi veritatem fundamentalem, quæque a nemine negari potest. Unica radix, et causa motrix operationum nostrarum est amor proprius, id est, desiderium felicitatis nostræ. Porro felicitas hominis consistit in voluptate, cui opponitur dolor. Objecta, quæ voluntati proponuntur, vel ad felicitatem, seu delectationem conducunt, vel ad dolorem, et displicentiam conferunt, vel omnino sunt indifferentia. Si primi generis sint objecta, amantur, desiderantur, appetuntur; si alterius generis, odio habentur, et repelluntur. Si tandem ad tertium spectent genus (de quorum possibilitate præscindo), nullum excitant in voluntate motum, sed unice terminant cognitionem nostram. Pro prima objectorum classe data est homini concupiscibilis, pro altera data est irascibilis. Jam vero tolle radicem illam, seu causam motricem, nimiram amorem proprium, homo remanet insensibilis prorsus, nec ad objectum ullum spiritualiter movetur. Hanc metaphysicam adeo claram experietur quisque intimo animi sensu, si supra suos actus, et animi facultates reflectat. Exempli gratia: proponatur per intellectum voluntati Summa Dei Independentia sibi quidem sufficiens, sed sine ullo respectu ad creaturam, voluntas sane restabit immota, licet intellectus in admirationem rapiatur. Proponatur autem Dei erga nos beneficentia, voluntas in gratiarum actionem, et in Dei amorem movebitur. Proponatur autem Dei Justitia vindicativa post mortem hominis peccatoris, fugiet illam voluntas, et odio habebit, ut necesse sit, subito ad misericordiam recurrere ad odium depellendum. Hac de causa damnati in odio Dei perpetuo sunt, ut è contrario Sancti in Gloria necessario Deum amant, et gaudent de Deo. Doctrina hæc frequenter a Patribus traditur. Lactantius Firmianus lib. 4. Divinarum Instit. cap. 27. ita loquitur universim: Quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere. August. Serm. 12. de Verbis Apost. Interrogo, utrum ames justitiam? Responde-

debis, amo. Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret: non enim amatur, nisi quod delectat. *Et in Enarrat. in Psalm. 9.*: locus autem animæ est in delectatione, quo se pervenisse per amorem lætatur. S. Leo, *ut vidimus supra*, sic inquit: Quem utique (Deum) non expeteret, si nihil de ejus suavitate gustasset. *In eundem sensum scribebat Bernardus, ut jam alias diximus. Quod autem amor proprius radix sit omnium operationum multis in locis docet Augustinus: Amor meus, inquit Confes. lib. 13. cap. 9. pondus meum; illo feror, quocumque feror. Et in lib. 1. Homiliar. homil. 37. Delectatio unicuique à se incipit, et non potest nisi à se incipere, et nemo monetur, ut se diligit. S. Thomas 1. p. q. 60. a 2. ut inconcussum tradit, quod omnis homo naturaliter vult beatitudinem, et quod ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates. Item 2. 2. q. 25. art. 5. clare docet, hominem quærentem felicitatem suam in Deo suo ultimo fine se ipsum amare in ordine ad Deum. Rationem desumit ex Augustino lib. 1. de Doctr. Christiana dicente: ideo non potest (homo) nisi et se, et corpus suum diligere, inconcussa scilicet lege naturæ etc. Veritas ex Patribus demonstrata cognita est vel a Philosophis ipsis solo naturæ lumine ductis. Genovesius part. 1. Elem. Metaph. cap. 8. def. 83. docet ex Lockio, res non dici bonas, vel malas, nisi quatenus voluptatem, aut dolorem in nobis procreant. Philosophi Christiani respondentes Impugnatoribus Religionis nostræ, quæ accusatur a Bayle, Rousseau, et Voltaire, quod destruat hominis naturam in operando non secundum amorem proprium, sed secundum gloriam Dei, admittunt amorem proprium esse radicem operationum, sed vero simul demonstrant, Religionem Christianam illum ordinare erga Deum, erga proximum, et erga ipsum amantem. Tandem certum est omnibus, quod admittere Deum sine Providentia, et Beneficentia adversus homines idem esset prorsus, atque tollere cultum omnem, et omnem Religionem evertere. Religio igitur perficit, dirigit, et ordinat amorem proprium.*

R E S P O N S I O .

2. **V**ix legi caput ullum in tota Dissertatione Bolgenii, quod mihi magis displiceat, magisque animum percellat meum. Nam in hac sexta probatione, quæ Auctori videtur validissima, dolens, ac mærens video, quam sentiat abjectissime de Charitate Theologica; quam parum certe consideraverit bonum honestum tum naturale, seu conforme rectæ rationi, tum supernaturale, seu consonum lumini fidei; quam incongruenter Patres explicare conetur; et tandem quam ille timeat colluviem Philosophorum hujus temporis, ut idcirco det illis, non dico liberaliter, sed cum detrimento non modico doctrinæ in Ecclesia receptæ, ad quod illis universim concessum enervare videtur finem præceptorum, et cordis Christiani extenuat, debilitat, atque deprimit
cel-

celsitudinem, et dignitatem illam supernaturalem, per quam homo Naturæ divinæ factus consors Deum diligit multo magis, quam se ipsum. Quanto fecisset rectius, et prudentius Auctor Dissertationis, si hominibus non nisi carnalia sapientibus illud respondisset, quod non semel legit in aureo de Imitatione Christi lib. 3. cap. 58. *Taceant igitur carnales, et animales homines de Sanctorum statu (de Charitate diffusa in cordibus nostris) disserere, qui non norunt nisi privata gaudia diligere. Demunt, et addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ veritati. In multis est ignorantia eorum maxime, qui parum illuminati raro aliquem perfectam delectione spirituali diligere norunt. Nec importuna fuisset recordatio illius, quod in eodem legitur capite. Adhuc autem (quod multo altius est) plus me, quam se, et sua merita diligunt Sancti nimirum in Cælo regnantes. Fac enim amorem sui proprium esse in Sanctis unicam radicem, et causam unicam motricem amoris Dei, fac item, quod alio in loco scribit Auctor, Sanctos eatenus Deum amare, quatenus est bonum, quo fruuntur ipsi; quo jam pacto fieri poterit, ut magis Deum ament sine comparatione, quam se ipsos? Sed quoniam ad rationes naturales nos hic Auctor adducit, nos etiam nostras, priusquam expendamus suas, proponemus. Suppetunt enim nobis argumenta plurima a ratione petita, tum supposita fide, tum nulla illius facta suppositione.*

§. I.

Demonstratur amor benevolentiae ex ratione ipsa naturali.

3. **M**ulta nos in capitibus superioribus exhibuimus, ex quibus necessarium esse amorem benevolentiae demonstravimus. Cum enim veritas sine ratiocinio explicari non possit, opus fuit auctoritati rationes adungere naturales, ut illa per se constaret magis, et non posset non ab omnibus percipi. Nunc vero de hoc licet infimo Theologiæ fonte agendum est nobis accuratius. Sit igitur prima ratio: lumine naturæ notum est cuius, præter bonum utile, et delectabile dari quoque bonum honestum, quod scilicet per se se amabile est, et expetibile, utpote maxime consonum, et conforme naturæ, ut dirigibili per rectam rationem. Id qui negaverit, non inter homines computandus est, sed amandandus illico ad animantia bruta, quæ non nisi sensibilia percipiunt, ut supponit Auctor in 4. part. Dissert. Sed amor hujus honesti boni qua talis ad id terminatur, in eo sistit, quin amans quidquam delectationis intendat ex vi ejusdem amoris; ergo non est amor concupiscentiæ a Bolgenio descriptus. Fac enim me pauperi elemosynam erogare, ejus ut miseriam sublevem; vel fac Filium bene morigeratum obedire Patri imperanti rem aliquam etiam difficilem, et molestam, propterea quod vi-

des.

det esse rationi conforme exequi jussa ejus, qui ei naturam communicavit. Profecto hæ actiones internæ tum misericordiæ, tum odiedientiæ non moventur ex delectatione, neque illam intendunt; sed ex honestate, et rectitudine facti naturæ rationali convenientibus, ut, etiamsi nulla in me, nulla in Filium derivaretur utilitas, nullave delectatio, actiones tamen illæ ponerentur. Positis autem actionibus illis, non potest quidem non resultare aliqua delectatio, ut quæ actum internum recte factum necessario consequitur; sed vero hæc non intenditur per illum amorem honesti, et multo minus movetur amor ex illa delectatione tanquam ab objecto motivo, seu formali. Qua in re illud notet, oportet, Bolgenius, non ideo objectum esse honestum, vel rationi conforme, quia delectat, sed è contrario quia est honestum, rationique conforme, idcirco delectat. Et hic est sensus memorabilis illius sententiæ, quam tradit Seneca de Vir. beata cap. 9. *Virtus non quia delectat, placet; sed quia placet, delectat.*

4. Sit secunda. Quisque cognoscit experimento proprio se interdum amare personam aliquam, non præcise quia sibi est utilis, aut delectabilis, sed quia honesta, vel quia bona, vel quia certis quibusdam dotibus naturæ, vel gratiæ prædita est. Id qui non videat, nec irradiantem solem ille videbit; atqui ejus generis amor esse non potest amor Bolgenianus, qui amare non potest nisi bonum sibi (*godibile*) delectabile: ergo præter hunc Auctoris amorem datur et alius, quem benevolentiam appellamus. Et sane qui hunc non admittat, nullam agnoscat, necesse est, amicitiam, quæ non sit utilis, aut delectabilis. Actum est igitur de amicitia honesta tantopere celebrata non apud Philosophos modo, sed etiam apud Sanctos Patres, ut abunde probavimus. Audire vellem a Bolgenio, an ipse non amarit unquam personam aliquam ob ejus præcise naturam, virtutes, bonitatem, seu dona naturæ, vel gratiæ? An item credat a nemine se amatum nisi ab eo, qui ex illo quidquam commodi, aut utilitatis intendat? Ego sane id dicere audeo sine ullo veritatis detrimento, dilexisse me amore sincero cl. Auctorem, nec de facie mihi notum, ut primum illum cognovi ex libris contra incredulos editis. Namque observavi zelum Religionis, eruditionem, ingenium, et cætera animi dona, quæ illis in Opusculis demonstrantur. Et cum hæc scribo, venit in mentem, quod scribebat Augustinus lib. 4. Conf. cap. 14. n. 1. de Icherio quodam Oratore Romano, quem amabat absentem ex sola opinione doctrinæ. *Quem non noveram, inquebat, facie, sed amaveram hominem ex doctrinæ fama, quæ illi clara erat. . . . Laudatur homo, et amatur absens.* En tibi amorem minime obscurum benevolentiam erga eum, ex quo nihil intenditur, et a quo nihil speratur, sed bona, quæ in persona resident, amorem totum accendunt. Simile est, quod idem S. Doctor lib. 6. conf. cap. 7. de se ipso scribit, et de Alipio; *diligebat me multum, quod ei bonus, et doctus viderer: et ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate satis eminebat,*

5. Sit tertia. Non potest mens clara recte condipere amorem verum, et sincerum erga personam aliquam, quin concipiat actum, per quem amans velit bonum amato. Unde exitit communis illa definitio, seu descriptio ab omnibus usurpata Sapientibus: *amare est velle bonum*. Nec solum in ea conveniunt Philosophi, sed etiam Sancti Patres, ut demonstratum est. Pone tantisper, me sincere personam aliquam amare, et illi bonum ex hoc meo amore non velle; contradictionem ponas manifestam. Siquidem ex hoc meo amore, qui conjunctio est affectiva cum amata persona, volo saltem, ut persona sit talis, qualis est terminus illius unionis, atque adeo ut ipsa sit, ut existat, ut sit prædita bonitate illa, qua moveor ad amandum illam; et ex altera parte nihil bonitatis volo. Igitur ei volo bonum aliquod, et nullum bonum illi volo. Nec vero negat Auctor, quod *amare sit velle bonum*, sed tamen corrigens n. 404. Dissert. definitionem S. Thomæ *velle bonum alicui*, docet *to alicui esse nimis indeterminatum, et attenda amoris natura scribendum esse velle bonum sibi*. Sed vel ex hoc ipso, quod pro suo arbitrio ponit Bolgenius, ut Angelici doctrinam obscurat, sic in ipsum argumentari placet. Non potest quisquam se ipsum vere amare, nisi sibi velit bonum; quin potius ideo se ipsum homo naturaliter, et necessario amat, quia vult suam existentiam, suam incolumitatem, vult se habere id boni, quod ei naturaliter inest. Ergo qui vult alterum esse incolumem, existere, et habere bonum, quod illi inest, illum vere amat. Namque vult alteri, quod sibi vult, et sicut sibi volendo bona sua propria se amat, ita volendo alteri bona ejus propria, illum amat.

6. Nec verum est, quod tum alias, tum p. 120. Dissert. tradit Bolgenius, hunc actum benevolentiae erga alterum non esse amorem, sed actum distinctum ab amore, ex quo enascitur: *volendo noi il bene ad altri appunto perche questo bene torna in nostro vantaggio*. Id ut persuadeat, doctrinam affert Augustini ex lib. Homiliar. hom. 38., in qua intelligenda, et explicanda eadem patitur æquivocationem, in quam supra incidit vertens Italice verba omnino similia S. Thomæ. *Attendite ipsam amicitiam . . . Amat maritus uxorem, et uxor maritum. Sine dubio et ille illam, et illa illum salvum vult, vult illum habere incolumem, vult illum habere felicem. Ad hoc amat, quia ipsa vult, quod sibi vult, et illi hoc vult . . . Si ergo omnis, qui amat, salvum vult habere, quod amat, si intelligat, quid sit vera salus, incipit illam amare in se, & ipsam cogitur veram amare et in amico*. Non judico produci posse quidquam clarius pro definitione communi, amare aliquem, est illi bonum velle, quam quod nobis hic representat Auctor in Augustini verbis: *Ille (uxor) illum (maritum) amat, illum salvum vult, vult illum habere incolumem, vult illum habere felicem . . . Si omnis, qui amat, salvum vult habere, quod amat*. Non sic Bolgenius, qui ex illis verbis, *ad hoc amat, quia ipsa vult, quod sibi vult,*

et illi hoc vult; colligit, uxorem velle sibi salutem, incolumitatem, et felicitatem mariti. Sed vero hic error manifestus est non modo contra Ethicam, verum etiam in Grammaticam. Quis enim non videat, duas in discursu Augustini contineri salutes, incolumitates, et felicitates. Sine dubio et ille illum, et illi illum salvum vult. Quare verba illa: ipsa vult, quod sibi vult, non significant, ipsa vult eandem numero incolumitatem, quam sibi vult; sed ipsa vult marito incolumitatem ejus, sicut vult sibi incolumitatem suam, et ideo ante dixerat, ad hoc, id est, eatenus, quia incipit amor proprius, qui mensura esse solet amicitiae vulgaris. Id quod clarius ostenditur in ultimis verbis; incipit illam salutem amare in se, et ipsam cogitur amare in amico. Duplex igitur continetur salus in comparatione Augustini dicentis, quod sicut uxor amat sibi salutem suam, ita vult marito salutem ejus. Ubi vides S. Doctorem omnino conformem D. Thomae neganti, amorem amicitiae retorquere ad amantem bonum amati, sed id amato velle.

7. Sit quarta: ratio ipsa naturalis dictat menti bene comparata, Deum esse amandum propter suam bonitatem in se ipsa consideratam. Si enim virtus per se amabilis est, ut commune fert mortalium omnium judicium, quanto erit magis amabilis bonitas illa suprema, a qua descendit honestas omnis? Profecto amor ille divinae bonitatis, etiam solo lumine naturae cognitae, non potest non esse amor, quem benevolentiae appellamus. Nam idcirco Deum sic amamus, quia est infinite dignus amore nostro, atque ideo dignissimus, ut cum eo per intimum affectum intime jungamur, volendo illum esse talem, qualis est de facto, ita bonus, ita perfectus, et ita dignus omni creaturarum obsequio. Atque haec est ratio, cur S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 3. manifeste dicat, quod voluntas naturaliter inclinatur ad amandum Deum dilectione naturali, et quod praecipuum diligendi Deum, non est solum supernaturale, sed etiam naturale. Jam vero amor Dei infinite digni, ut ex merito suo intrinseco ametur a nobis, non est amor nostri, nec ex hoc amore bonum ad nos vertimus, sed nos potius ei tradimus, Deo volentes dignitatem illam infinitam, ex qua totum, quod in ejus obsequium fieri a creatura potest, illi debetur. Accedit, ideo quemque amare se, quia in se ipso habet bonitatem aliquam amabilem, et expetibilem; sed haec ipsa particularis bonitas continetur in bonitate divina, tanquam in universali bono: bonitas igitur divina habet plenissimam sufficientiam, et meritum superabundans, ut propter se se, et ratione sua ametur a creaturis. Sed creatura non potest se amare, nisi bonum suum particulare vere sibi velit: ergo non potest Deum amare sincere, nisi Deo velit bonum illud infinitum, et universale.

8. Atque haec quidem rationes, ut etiam aliae multae, quibus par-

nullas addere ex suppositione Fidei. Hac autem supposita tot mihi in mentem veniunt certissima rationum momenta, ut in iis recensendis nullum me crediderim facturum finem, si persequi omnia vellem levissimo calamo. Juvat in speciem proponere sequentia. Primum, non solum Deus ex Charitate diligendus est super omnia, sed et proximus diligendus est propter Deum. Dilectio autem proximi explicari minime potest in Bolgenij systemate, in quo unum objectum motivum amoris mei est bonum ut mihi delectabile; contra vero amor proximi non modo expeditissime explicatur in nostra sententia, sed etiam demonstrat evidenter Charitatem fraternam esse verissimam, et strictissimam benevolentiam erga proximum. Quid est enim amare proximum propter Deum, nisi illum amare, quia est *quid Dei*, quia potest esse particeps beatitudinis ejus, idque ex amore, quem habemus ad bonitatem illam infinitam, quæ illi vult se communicare? Hic actus vult bonum proximo, ut quisque videt, cum velit proximo supremum bonum creatum, nempe æternam beatitudinem, et cætera alia, quæ vel proxime, et positive conducere ad illam possunt, vel etiam remote, aut negative; et aliunde motivum hujus volitionis est Dei suprema Bonitas. In opinione autem Bolgenii, in qua omnis amor est amor proprius, et in qua objectum motivum Charitatis est beatitudo nostra, sic esset parum apte explicandus amor proximi propter Deum: Ideirco amo proximum, quia me amans volo beatitudinem meam. Quis hæc audiens patienter explicationem excipiat? Si propria cujusque beatitudo objectum est motivum amoris proximi, non ego proximum amo volendo ei beatitudinem suam, sed quod mihi bonum est, id ego volo, quod sane non tangit proximum; vel si ei volo beatitudinem suam, jam ei volo bonum, et erit amor benevolentia.

9. Ego sane percipere minime possum, quid dici possit ab Auctore cum aliqua congruitatis specie, si semel in animum inducat, objectum amoris mei debere necessario esse bonum mihi delectabile. Audiamus tamen illum in Declar. p. 26. ita scribentem: *Noi dobbiamo amar i nostri nemici: come è possibile amar questi con altro amore, che di benevolenza? Rispondo, che chi ci offende, e fa del male, e un nemico agli occhi della carne; ma agli occhi della fede è un gran benefattore, poichè ci pone in stato, col perdonargli, di assicurare il perdono de' i nostri peccati secondo la promessa formale di Gesù Cristo: dimittite, et dimittimini. Noi dunque amiamo i nostri nemici con vero amore di concupiscenza, in quanto li riguardiamo come mezzi per ottenere la nostra vera e sempiterna felicità in Paradiso.* Hæc Auctor singularia quidem, et vere miranda, quæque nemini ante Bolgenium in mentem facile venient ad proximi Charitatem explicandam. Primo: quia hoc non est proximum diligere sicut se ipsum. Namque tibi vis æternam beatitudinem, et proximo nihil vis, quod proxime, remote, positive, aut negative (per modum conditionis) conferat ad æternam

nam illius salutem. Et si quidquam boni illi vis, injuriam illi condonando, vel a vindicta temperando, jam amas eum amore benevolentiae.

10. Secundo: vel illa condonatio injuriae unice importat depositionem odij, aut omissionem vindictae vel importat aliquem actum positivum voluntatis. Si primum, non erit amor positivus proximi propter Deum. Si alterum dicas, ille actus positivus voluntatis erit actus benevolentiae, per quem vis inimico vitam conservare, aut aliud bonum naturae, vel gratiae. Quin potius ego judico, condonationem injuriae non posse consistere in praxi sine ullo actu positivo voluntatis, per quem condonans injuriam velit inimico bonum aliquod, et potissimum supernaturale.

11. Tertio: quod animae sanctae, et existentes in purgationibus activis, aut passivis, ut dicunt bene Doctores Mystici, respiciant incursationes Dæmonum tanquam media ad perfectionem, atque inde beatitudinem obtinendam, non probat illas amare Dæmones propter Deum: ergo ratio illa Bolgenij est ultramodum incongrua. Cur igitur Dæmones non sunt propter Deum amandi? Non alia profecto ratione, nisi quia non sunt capaces aeternae beatitudinis: si ergo proximum amamus propter Deum per amorem verbi gratia supernaturalem, aliquid ei volumus dirigibile saltem ad aeternam beatitudinem.

12. Quarto: hæc fraternæ Charitatis notio, quam nobis præsentat Bolgenius, est angusta nimis, multumque discrepans ab idea Charitatis, quam nos docet Evangelium, et quam Sancti Ecclesiae Doctores tradidere. Nam beneficentia, cum est potestas beneficij præstandi, et benevolentia, cum deest illa, est proprius actus Charitatis fraternæ. *Diligite, inquit Magister omnium, inimicos vestros, et benefacite iis, qui oderunt vos. Et orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos.* Id quod ipse Salvator in Cruce pendens perfectissime præstitit dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Id etiam præstitit Stephanus Martyr dicens: *ne statuas illis hoc peccatum:* super quæ verba S. Fulgentius ita disserit in Serm. de S. Stephano: *per Charitatem Dei sevientibus Judæis non cessit, per Charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per Charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per Charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur.* Et in Sermon. de Charit. Dei, et proximi Charitatem erga persecutores appellat *Christiani cordis benevolentiam*, ut notavimus. Eundem in sensum sermonem facit Hieronymus de Charitate inimicorum in cap. 5. Math. *Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est: et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus et docuit, et fecit, dicens: Pater ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt.*

13. Simili modo disserit S. Maxianus in homil. de Natali S. Stephani. *Videte, inquit, dilectissimi Fratres, affectum Beati Viri. Videte*

magnam, et admirabilem Charitatem. In persecutione positus erat, et pro persecutoribus supplicabat: atque in illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam Christianos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat, cum lapidaretur? Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata, quam sua vulnera, plus illorum impietatem, quam sui mortem. Concludit homiliam nobis præscribens modum precandi ex Charitate pro proximis dicens: Pro bonis oremus, ut semper ad meliora conscendant; pro malis, ut cito ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Hæc est idea germana Charitatis, quam nobis exhibet Scriptura Sacra, hæc est amoris proximi notio, quæ traditur a Sanctis Patribus, velle nimirum bonum proximo propter Deum. Et qui proximum diligit, ait S. Justinus Dialog. cum Tryphon. Jud., tanquam se ipsum, eadem illi bona, ac ipse sibi, optabit. Nemo autem sibi mala evenire vult. Igitur qui proximum diligit, eadem illi, ac ipse sibi, precabitur, et navabit. Non aliter nos informat S. Ambrosius in cap. 13. Epist. ad Roman. dicens: hoc est amare illum (inimicum) ea illi exoptare, per quæ Deum habeat propitium: hæc celestis justitia, hæc Deo Patri similis facit, qui non colentibus se annua dona largitur. Nam et Dominus in Cruce positus postulat pro inimicis, ut plenitudinem justitiæ, quam docuerat, demonstraret. Mitto Patres alios eodem loquentes modo de fraterna Charitate. Nam quæ produximus, dubitare neminem sinunt, non posse quem diligere per actum positivum inimicos, quin eis velit ex virtute amoris aliquod bonum.

14. Atque hinc etiam deducitur nova ratio contra Bolgenium desumpta ex correctione fraterna. Sane præceptum correctionis fraternæ ex Charitate descendens eo tendit, ut corrigendus ab statu miseræ, in quo jacet, eruat, et in bonum statum reducat. Id enim intimat Superiori verbi gratia Charitas fraterna, nec Superior illud explet præceptum, si solum condonaret injuriam contra se factam, sed debet ex amore in subditum curare quantum in se est, ut illum lucretur, a miseria liberando. Id quod esse minime potest, quin ei bonum, et quidem magnum, ex correctione velit. Doctrina hæc communis est in Ecclesia, et traditur magna cum ponderatione verborum ab Augustino serm. 16. de Verbis Domini dicente: *Quare illum (peccatorem) corripis? Quia tu doles, quod peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui, an illius. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Sic faciendo lucraris; nisi fecisses, perierat. Hic amor corrigentis ab Augustino descriptus, est amor benevolentis, an concupiscentis? Est amor intendens bonum corrigentis, an intendens bonum corrigendi, cujus procurat lucrum? Tolle bonum hoc impendendum proximo, et tolles amorem. Corrige illum ex amore tui, et eum*

eum non amabis propter Deum, licet fieri forsitan possit, ut illum ames ex amore tui.

15. Præterea si vel tenuiter consideretur oppositio inter virtutes, et vitia; systema Bolgenianum evertit penitus moralem Theologiam in re præcipua, et ad mores potissimum spectante. Hoc enim est principium inconcussum in re morali, eo esse graviora peccata (cæteris, ut inquit, paribus) quo perfectiori opponuntur virtuti. Unde peccata opposita virtutibus Theologicis graviora sunt proculdubio, quam quæ moralibus opponuntur, et similiter majus est peccatum oppositum Charitati, quam peccata, quæ opponuntur Fidei, aut Spei, sicut et grandius est peccatum contra Religionem, Pœnitentiam, aut Obedientiam, quam contra Fortitudinem, aut Temperantiam. Ex hoc principio sic argumentum instituo contra Bolgenium, quod solvi ab eo minime potest, nisi negato principio, atque adeo nisi discedat ab omni cœtu Theologorum in re gravissima. Odium Dei, per quod quis vellet *Deum non esse*, est maximum omnium peccatorum, ut omnibus est in confesso, tum quia est directe contra maximam virtutem, et præceptum maximum, tum quia ratio peccati mortalis consistit in aversione a Deo, quæ aversio in alijs peccatis reperitur indirecte, in odio autem Dei reperitur directe. Ergo majus est quam peccatum desperationis, vel nolitionis desiderandi æternam beatitudinem. Hæc enim desperatio, vel illa nolitio stare potest sine odio illo: nolle igitur desiderare æternam beatitudinem non est peccatum immediate oppositum Charitati, sed directe oppositum Spei Theologicæ. Contra vero *velle Deum non esse* directe opponitur Charitati, cujus esse debet proprium *velle Deum esse*.

16. Hæc autem, quæ vera sunt omnibus, quia nimirum in odio Dei reperitur malitiæ directæ aversionis, et indirectæ conversionis (cum in alijs peccatis sit tantum malitiæ indirectæ aversionis, et directæ conversionis), subsistere minime possunt in principijs Bolgenij. Nam in ejus systemate nolitio desiderij beatitudinis æternæ deberet esse peccatum gravius, quam odium nolens esse Deum. Ratio est evidentissima; quia illa nolitio opponitur juxta Auctorem directe, et immediate Charitati, et odium nolens Dei existentiam opponitur directe virtuti Religionis, cuius est juxta illum *velle Deum esse* talem, qualis est de facto, eritque semper. At gravius est peccatum directe oppositum Charitati, quam peccatum directe oppositum Religioni: major igitur malitiæ inest nolitioni præfatæ, quam odio Dei. Quod tamen est contra omnium sententiam Theologorum cum S. Thoma, qui odium Dei gravius esse peccatum *secundum rationem propriæ speciei* peccato desperationis, docet 2. 2. q. 20. art. 4. corp., idque ex ratione supra insinuata, quam firmat hic Angelicus dicens: *Infidelitas, et odium sunt contra Deum, secundumquod in se est; desperatio autem secundumquod ejus bonum participatur a nobis. Unde majus est peccatum, se-*

cundum se loquendo, non credere veritatem, vel odisse Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso. Quidquod in Auctoris systemate reddi non potest ratio, cur *Accidia* sit speciale peccatum contra Charitatem, ut tenet omnium sententia Theologorum. Nam Charitas *Bolgeniana* unice intendit propriam beatitudinem, cujus cum intentione non pugnat *Accidia* immediate, et directe. Contra vero pugnat immediate cum vera Charitate Theologica, cujus est gaudere non solum de bonis Dei intrinsecis, sed etiam extrinsecis; nam *Accidia* est tristitia quædam de Dei extrinsecis bonis, non præcise propter Dei malum, sic enim jam esset odium, sed quatenus præstandis ab eo, qui tristitia afficitur.

17. Idem argumentum peti potest ex vitiis oppositis directe Charitati fraternæ. Ut enim vitia, seu peccata opposita Charitati Dei evincunt manifeste *amare Deum, esse Deo velle bonum*, ita peccata directe opposita dilectioni proximi clare demonstrant *amare proximum, esse proximo velle bonum*. Odium proximi, seu malevolentia, per quam quis vult malum proximo, est directe oppositum Charitati fraternæ, quia hujus est velle illi bonum. Et ob eandem rationem quia odium formale in proximum opponitur magis directe dilectioni proximi, quam alia peccata, est peccatum maximum contra proximum, ut disertis terminis Athanasius tradit in respons. ad quæst. 75. ad Antiochum ita scribens: *Si, ut ait Apostolus, omnium bonorum maximum est Charitas, colligitur, maximum omnium malorum esse odium fratrum*.

18. Præterea *Invidia* opposita Charitati fraternæ demonstrat invicte, diligere proximum esse bonum ei velle, optare quod non habet, et gaudere de eo, quod habet. Cur enim *Invidia* peccatum est oppositum Charitati? Quia nimirum est tristitia de bono proximi, eo quod hujus excellentia deprimit, aut obscurat meam. Ergo ad Charitatem pertinet gaudere de bono proximi, cui opponitur tristitia de eodem bono. Ex his, aliisque multis, quæ addi facile possent, illud haud obscure colligitur, novam ab Auctore cudendam esse Theologiam Scholasticam, et Moralem pro suo firmando systemate. Nec mirum videri debet, si hæc scribam. Cum enim Charitas virtus sit primaria cæteras informans, et a qua omnes suam etiam perfectionem accipiunt; notio Charitatis inversa, et contra omnium sensum ab Auctore excogitata trahat secum, necesse est, multorum ruinam principiorum, et consecutionum, quæ habentur ut certæ in his duabus partibus Sacræ Theologiæ.

*Quid de ratione naturali, quam Bolgenius objicit,
sentiendum sit?*

19. **V**eritas, quam Auctor fundamentalem appellat, rata quidem est certo in sensu, falsa tamen evidenter in alio, quem ipse intendit, dum ita scribit universim, unicam radicem, causamque motricem operationum esse amorem proprium voluptatis obtinendæ, vel doloris arcendi, quasi nimirum nulla esse posset voluntatis operatio, quæ ad hunc finem non tendat, et non sit formalis amor creaturæ operantis. Rata est, ut dicebam, in certo sensu. Nam in ordine temporis, seu executionis amor naturalis sui ipsius præcedit amorem naturalem cæterarum rerum, nec fieri potest, pro hoc saltem statu, ut quisquam rem aliquam amet a se distinctam, quin se ipsum amat, quocum res amata habere debet proportionem, et consentaneitatem. Nec aliter contingit in amore supernaturali Charitatis erga Deum, quem præcedere necessario debet ordine temporis, et executionis vel naturæ amor supernaturalis Spei Theologicæ, qui est amor ipsius personæ amantis. Atque hæc est communis doctrina Theologorum cum S. Thoma, qui 2. 2. q. 17. art. 8. id statuit tanquam certum, quod scilicet *in via generationis Spes est prior Charitate, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum, et servandum præcepta ejus*. Unde et insinuat varijs in locis, non posse quem amare Deum amore amicitiae, nisi credat, et speret, se posse ad familiaritatem cum eo pertingere. Verum hic unicus sensus, ut verus est, ita Bolgenio nihil prodest, quippe qui intendit ex invita sane Philosophia duo cum ratione recta minime cohærentia; et quod amor proprius sit radix omnium operationum, sic ut homo se ipsum formaliter amet, dum amat alterum; et quod amor proprius sit mensura amoris ad alterum. Quibus positis, illud existere necessario judicat, ut omnis amor sit amor concupiscentiæ intendens propriam amantis voluptatem, et ut homo non possit ex solo amore intendente propriam delectationem aliquid diligere magis, quam se ipsum.

20. Verum id nulla ratione, ne ad speciem quidem probabili, suaderi potest. Quod enim profert ab experientia, et intimo cujusque sensu, est falsum apertissime. Nam quisque vir probus in se reflectens clare cognoscit, et experitur, se moveri sæpe in operationibus ab honestate proposita, eam sequi, et amplecti voluntate. Quod autem hunc operandi modum aliqua sequatur delectatio, id non probat, voluntatem ex delectatione moveri; nam etiam præcisa omni delectatione adhuc honestatem amplecteretur voluntas. Quæ in re id observandum est ab Auctore, quod alias insinuavi, non ideo objectum esse honestum,

stum,

stum, quia potest delectationem causare, sed contra idcirco posse delectationem causare, quia ipsum honestum est. Unde honestas est ratio primaria residens in objecto, et quæ dicit proportionem, et consentaneitatem cum natura nostra ut rationali. Modus igitur discurrendi Bolgenij totus intentus in voluptatem, nec curans quidquam honestum præcisa delectatione, videtur mihi deicere hominem a dignitate naturæ rationalis, et si doctrinam hanc suam extendat, ut sine dubio extendit, ad operationes ordinis supernaturalis, minime cohæret cum dignitate hominis elevati per gratiam ad ordinem supernaturalem.

21. Quod addit de *Independentia Dei* homini proposita per intellectum, nullumque in eo affectum excitatura, nullius certe momenti est. Aut enim illa *Independentia* proponitur per Parochum verbi gratia homini rustico, et illiterato, qui terminum non penetret; et hoc in casu nullus affectus excitabitur adversus Deum, namque ignoti nulla cupido: aut sibi illam proponit vir optime sciens, *Independentiam Dei* esse infinite bonam, sanctam, atque perfectam, et Deum ipsum dignissimum omni amore nostro; et in hoc casu quid esse potest impedimento, ne in Dei feratur *Independentiam* per amorem supernaturalem gratia Dei elicitem? Lege, precor, Medit. 2. part. 6. Venerabilis Ludovici de Ponte, et ibi perspicias, quam apte moveat ad amorem Dei super omnia *plenissima Dei Independentia*. Nec vero Parochi, et Catechistæ utuntur hoc, aut similibus verbis rudi populo obscurioribus, ut eos moveant ad Dei amorem, sed verbis alijs clarioribus, quæ in Catechismis continentur. Unde non est, cur ex hoc capite odium velit creare Bolgenius amoris benevolentia. Profecto dum S. Thomas sermonem facit loco supra citato de quadruplici causarum genere, docet, Deum esse diligendum propter se, quia non est ab alio, tanquam a causa efficiente. Quid est igitur aliud *Independentia Dei*? Hugo Victorinus, ut retulimus, in eundem scribebat sensum, dicens: *Simili modo dum Deus diligitur, propter se diligitur, quia ab alio non est, neque aliud ab ipso, quod diligitur in ipso*. En tibi summam Dei *Independentiam, Aseitatem, et plenissimam Dei Beatitude*.

22. Quod si Cl. Auctor plura velit, ex quibus aperte ostendatur, *Attributa Divina* in se considerata esse amabilia per *Charitatem*, etiam si non considerentur a nobis per conceptus dicentes relationem ad nos, sed per cognitiones, ut dicunt, absolutas, legat carmen illud S. Anselmi vere pium, et ignem humanis cordibus ingerens, quod inscribitur a S. Doctore.

Quod Deus solus amandus, in quo, et ex quo omnia.

Hic autem partem ponam illius Cantici in quo ut amabilis commendatur divina Dignitas, Magnitudo, Bonitas, Pulchritudo, Generositas, Potentia, Æternitas, Immutabilitas, et Independentia.

Dignus et ipse quidem est, ut ametur; amando scietis,

Quis fructus, quis honos, quid sit amare Deum.

Nam si magna petis, Deus est super omnia Magnus.

Si bona, quam Bonus est, dicere nemo potest.

Si speciosa cupis, quis eo Speciosior? Optas

Forsan opes? Dives et ipse manet.

Si te celsa juvant, generosaque: quam Generosus,

Quamve sit Excelsus, nemo referre potest.

Quem si forte potens juvat, et pius: ecce Potestas.

Hinc Pius, seu Pietas est sine fine Potens.

Quid moras? Ipse poli, terræ, maris Author, et omnis,

Quod fuit, est, et erit, perstat Origo boni.

Vere est ipse quidem, qui permanet Unus, et Idem

* - - - - -

Esse habet Æternum sine principio, sine fine,

Semper idem, siquis amare studet.

Ubi vides, nihil esse in Deo, quod sive consideretur in se, sive per respectum ad nos, non sit infinite amabile propter se, et propter dignitatem intrinsecam, ac meritum sufficientissimum, ut ametur, atque adeo amandum esse Deum, quia *Unus est*, quia *Idem*, quia *Æternus*, quia *sine principio*, quia *sine fine*, quia *permanens*. Est ne aliud *Independentia Dei*?

23. At negari non potest, (inquit Auctor) quin amor proprius sit forma, et radix cæterorum amorum; nam idcirco rem aliquam amo, quia eam mihi desidero, et ideo volo alicui bonum, quia hoc mihi bonum volo, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 4. corp. dicens: *quod amor, quo quis diligit se, est forma, et radix amicitie*. Ita Bolgenius p. 59. Dissert. qui ex eadem S. Thomæ doctrina firmare conatur propositionem illam, quam præmiserat, vere singularem, nimirum: *eatenus homo gaudet, et desiderat, ut Deus sit Summum illud Bonum, quod est in se, quatenus hoc Summum Bonum est Bonum ab homine fruendum (godibile)*. Verum hoc in loco longe aliud versat S. Thomas, quam quod ei Bolgenius adscribit. Probat hic Angelicus Doctor, hominem debere se ipsum ex Charitate diligere. Si enim proximum ex Charitate diligimus, et nos ipsos debemus sine dubio diligere, quia amor, quo quis diligit seipsum, est forma, et radix amicitie. In hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habemus, sicut ad nos ipsos. Addit et aliam rationem, quia nimirum Charitas est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea, quæ sunt Dei, inter quæ est etiam ipse homo, qui Charitatem habet. Hæc S. Thomas in præfato articulo, ex quibus recte colligitur, dari non posse amicitiam, nisi præsuponatur inter personam amantem, et amatam aliqua unitas, ex qua amans reputet amatum ut unum secum.

24. Sed vero quod amor cujusque proprius sit radix, forma, et ut intelligit Auctor, mensura omnis amoris ad alterum, et quod omnis amor sit amor cujusque proprius, aperte negatur a S. Doctore semel, iterum, tertio. 2. 2. q. 26. art. 3. ubi demonstrat ex S. Augustino, hominem debere magis diligere Deum, quam se ipsum, vel ex eo ipso, quod Deus diligendus est propter se, et non propter hominem. Tres deinde insinuat rationes. 1. est, quod Deus est bonum commune omnium, in quo bonum particulare cujusque continetur, ex quo etiam evincit politicum magis amare bonum commune Civitatis, quam proprium, cum pro bono communi sustineat interdum dispendia rerum suarum, atque personæ. 2. quia licet pars amet bonum secundum quod est sibi conveniens, non tamen refert ad se bonum totius, sed potius se ipsam in illud refert. 3. quia amor, quo quis vult frui Deo, est amor cujusque proprius, et amor concupiscentiæ; sed magis amamus Deum amore amicitiae, quam amore concupiscentiæ, quia majus est in se Bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus, fruendo illo.

25. Hæc est summa articuli S. Thomæ, ex quo illud habemus, dilectionem propriam Charitatis amantis bonum Dei majus in se non esse amorem cujusque proprium, tendentem ad bonum Dei a se participandum, et hunc esse non posse radicem, et formam Charitatis in sensu ab Auctore intento, quasi nimirum ex illo mensuranda esset altitudo, et perfectio Charitatis. Solum igitur amor proprius mensura est amoris ad alterum, quando *objectum amicitiae*, ut hic advertit S. Thomas, *invenitur secundum aliquem particularem modum; non vero cum invenitur secundum rationem totius*. Unde amor amicitiae erga Deum, in quo bonum universum continetur, longe superat amorem nostrum privatum, qui solum esse potest mensura amoris respicientis bonum particulare. Ex quo patet, quam sit aperte falsa propositio illa universalis, quam affingere tentat Bolgenius Doctori Angelico. *Idcirco rem aliquam amo, quia eam mihi desidero, et ideo volo alicui bonum, quia hoc mihi bonum volo*.

26. Quos allegat Patres, nihil ei favent. Lactantius verissime scribit, non posse quem odisse nisi eum, qui aut noceat, aut nocere possit, non aliter ac scribebat Augustinus, amari non posse, nisi quod delectat. Sicut enim delectatio, ut vidimus, præcedit amorem deliberatum, eundem comitatur, et sequitur, ita et displicentia præcedit odium, idem comitatur, et sequitur. Ratio est eadem, quia ut amari non potest nisi bonum conveniens, sic odio haberi non potest nisi objectum disconveniens, vel malum, quod tale apprehenditur. Sed vero nec amor tendere præcise debet in delectationem tanquam in objectum motivum, nec odium in displicentiam, aut nocumentum, nam potest amor tendere in bonum secundum se, et odium in malum oppositum secundum se. Non placent ista Bolgenio, qui ex Lactantij verbis rem prorsus absurdam deducere contendit, odium nempe mo-

veri non posse nisi ex motivis amoris proprio contrariis, itaque ideo me odio habere aliquod malum, quia ex amore concupiscentiæ desidero mihi bonum oppositum.

27. Propositionem tamen hanc suam ita universim acceptam nemo probabit. Profecto Lactantius scribens, *quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere*, id profert Paganos redarguens, qui dicebant, Deos suos ad Crucis conspectum non fugere ex metu illius signi, sed ex odio Christianorum, qui se Cruce signabant. Subsumit igitur Lactantius; odio habent Dæmones signum illud, et eo insignitos Christianos, quia et metuunt Crucem, et metuunt Christianos Cruce signatos, qui sane discursus ad præsentem materiam restrictus optimus est; neque enim Dæmones odisse possunt nisi id, quod ipsis affert nocumentum, et amoris proprio contrarium est, cum non possint honestum velle, cujus oppositum malum odio habeant. Si ergo quidquam odio habeant, idcirco aversantur illud, quia amoris proprio contrarium est. Hinc vehementi odio prosequerentur S. Crucem, quia nocumentum timebant in rebus suis, videntes potentia illius signi regnum suum ubique destrui.

28. Si autem Lactantij propositio sumatur universaliter, et extra materiam, de qua tractat, et intelligatur de nocumento amoris proprio contrario, vera etiam esse potest, ut supra dicebamus, per modum *cujusdam dispositionis*. Sicut enim amor proprius *v. g.*, qui ad Spem requiritur, disponit ad amorem Charitatis, ita metus incommodi proprii disponit ad odium mali contrarii bono per se honesto. Ut enim non incurrat quis damnationem æternam, recte disponitur ad amandum Deum, et odio habendum malum Deo oppositum. Subtilia sunt ista. Non ego nego, sed bene penetranda esse contendo ab eo, qui rite velit discernere naturam subtilem actuum nostræ voluntatis.

29. Pater Dumesnil lib. 9. Discipl. Eccl. §. 64. transcribit alteram propositionem non valde dissimilem ejusdem Lactantij de Ira Dei cap. 6. quæ sic habet: *Neque bonos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti, nec ullus metus, si non irascitur non colenti*. Id quod minus exacte dictum esse notat ipse Dumesnil, et merito quidem, neque enim Bolgenius ipse dicere audebit, collationem beneficii esse objectum immediate motivum honoris Deo debiti, aut iram Dei esse objectum timoris, et reverentiæ supremæ Majestati præstandæ. Hæc igitur, aliaque, quæ in Patribus reperiuntur, intelligenda sunt mente discreta, ut quæ non semper significant motivum virtutis, sed dispositionem, ex qua ad virtutis operationem excitamur.

30. Quod si adhuc insistas, Charissime Bolgeni, in tuo illo principio, quod omne odium oriri necessario debet ex amore proprio, nã tu oleum, et operam perdes in re perabsurda. Lectoribus persuadenda; namque hic opinandi modus penitus singularis evertit plane prin-

principia Philosophiæ Moralis, et extreme opponitur Theologiæ, ac rudimentis Disciplinæ Christianæ. Quid enim firmitus, magisque receptum in Philosophia Morali, quam quod turpe, vitiosum, et rationi rectæ disconueniens est per sese, et ex ratione sua vituperabile, fugiendum, atque odibile? Hac enim aliquem ex actione aliqua intrinsece vitiosa consecutum esse lucrum ingens, delectationem magnam, utilitatem maximam; actio tamen illa cum vitiosa sit, et contraria rectæ rationi, erat aspernanda, fugienda, odio habenda, etiamsi in fuga mille essent difficultates superandæ, et mille sustinenda incommoda. Non alia certe ratione, nisi quia objectum illud turpe per se se, et ex ratione sua intrinseca est odibile, non modo seclusa omni delectatione, sed omni etiam molestia, et incommodo toleratis. Ergo non omne odium mali oritur ex amore concupiscentiæ boni personæ amanti desiderati, sed oriri potest interdum ex amore rectitudinis, seu virtutis per se amata.

31. Et ut res proponatur apertius, pone ante oculos Filium male morigeratum, qui graviter delinquit in Patrem peccato gravi inobedientiæ. Porro Filius ad se revertens potest peccatum admissum detestari per multa genera odij minime orti ex amore proprio. Primo enim potest odisse peccatum, quia Dei offensam, et malum oppositum Bonitati Divinæ infinite dignæ omni amore. Quo in casu odium peccati oritur ex amore Dei infinite Boni, ut alias insinuavi. Potest secundo odisse peccatum, quia violatio est juris illius Supremi, quod Deus Optimus Maximus habet famæ suæ, et honoris, atque omnium rerum externarum. Et hoc odium enascitur ex amore rectitudinis, seu æqualitatis per virtutem Pœnitentiæ intentæ. Tertio poterit odisse peccatum, quia est enormis in Deum ingratitude, unde ex amore descendit virtutis gratitudinis. Quarto potest odisse peccatum, quia oppositum rectitudini virtutis obedientiæ. Quinto quia oppositum, et contrarium naturæ rationali, ut directæ per rectam rationem. Sexto ut oppositum naturæ, quatenus directæ per Fidem. En tibi sex odiorum genera, quæ minime oriuntur ex amore proprio, sed ex amore illarum virtutum, quibus peccatum opponitur. Cum enim quælibet ex recensitis virtutibus rectitudinem, et honestatem supponat per se amabilem, et experibilem, nullum ex prædictis odiis ex amore procedit concupiscentiæ.

32. Nec majori probabilitate adducuntur cæteri Patres, pro amore cuiusque proprio tanquam radice omnium operationum. Quo vero sensu dixerit Augustinus, *quod non amatur, nisi quod delectat*, expensum est supra cap. 3. ubi mentem ejus, satis illi claram, qui rem obscurare noluerit, perspeximus. Nisi enim objectum voluntati conueniens, et proportionatum invitet, trahat, alliciat, et allectet, amari non potest; ut item contra nec odio haberi potest, nisi retrahat quædamtenus, et displiceat ob malum apprehensum ab intellectu. Ubi est

ergo id, quod hic ex Augustino persuadere contendit Auctor, *che l' amore ha per suo oggetto il piacere?* Docet quidem S. Doctor amorem ad delectationem tendere tanquam ad locum suum, id est, ex amore oriri desiderium fruendi objecto. Sed vero cum objectum est per se se amabile, propter ipsam amabilitatem objecti tendit amor per desiderium ad fruitionem tanquam ad consecutionem objecti, vel ut ad *finem quo*, ut dicebat S. Thomas; sed causa motiva amoris, desiderii, atque delectationis est ipsum objectum, *in quo* voluntas perfecte quiescit. Unde agebat S. Augustinus Charitatem esse motum animi ad fruendum Deo *propter ipsum*. Et hæc est ipsa Sanctorum perfecta fruitio, quam ab amore proprio proficisci iudicat Bolgenius, in quo mirum quantum fallitur, et discrepat ab Augustino, et Thoma doctibus, perfectam fruitionem Beatorum esse de bonis Dei in se consideratis; nam altera imperfecta fruitio, cujus amor proprius est radix, et causa, est de Deo viso, et participato: sic enim facillime concipitur, *Deum in se bonum* esse objectum motivam amoris, desiderij, et fruitionis Charitatis Theologicæ, et *Deum ut bonum nobis esse* objectum motivum amoris, desiderij, et fruitionis Spei Theologicæ.

33. Sed quæ Auctor subjungit ex Augustino, ut amorem proprium inducat tanquam motricem causam omnium operationum, nullus sane leget, qui non videat ambiguitatem, et parum justam interpretationem, quam ille nobis repræsentat in versione verborum S. Doctoris. Videbit protinus ambiguitatem. Nam Augustinus scribit: *delectatio autem perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa Charitatem*. At Bolgenius ea sic vertit: *il piacere ben ordinato, e buono produce la carità; il piacere disordinato, e cattivo produce la cupidità*. Contra verendum illi esset; non enim effectus causam producit, sed causa producit effectum; nec causa sequitur effectum, sed effectus resultat ex causa. Cum dicat Augustinus, *delectatio fructuosa sequitur Charitatem*, cur Auctor in versione nos docet, delectationem fructuosam producere Charitatem? An potest fieri, ut delectatio sit causa ejusdem Charitatis, quam sequitur ipsa delectatio? Rem teneo. Tuæ causæ intererat, ò Bolgeni, persuadere lectori, delectationem esse objectum Charitatis, et idcirco male vertis (bona tamen fide, ut ego facile credo) verba S. Doctoris. Nec enim ea satis advertere tua tibi permisit opinio jam ante concepta. Videt hic Lector versionis ambiguitatem; in altero loco animadvertet parum justam interpretationem.

34. Ait Augustinus: *Amor meus pondus meum: illo feror, quocumque feror*. Quid hic Bolgenius? *L' amor di me stesso è quel peso, che mi inclina ad operare: da questo peso io sono mosso a fare tutto quello, che fo*. Neminem, credo, ante Bolgenium, ita S. Doctorem interpretatum fuisse: *Amor meus; l' amor di me stesso, cum sermo hic sit de amore omni, et non præcise de amore, quo me ipsum amo*. Non di-

dicit Augustinus *amor mei*, ut dicere deberet, si bona esset interpretatio Auctoris, sed *amor meus*, qui nimirum est indifferens, ut ad hoc, vel illud objectum terminetur, et dicitur *meus*, quia est actus meæ voluntatis, per quem feror, quocumque feror. Vide, quam sit apertum discrimen inter has propositiones: *Mibi est naturalis, et quasi ingenita cognitio mei: mihi est naturalis, et quasi ingenita cognitio mea*. In prima propositione sermo est de cognitione, qua me cognosco: in altera sermo est de cognitione, qua ego cognosco hoc, vel illud per actum intellectus mei. Ita fert usus, et consuetudo omnium latine loquentium, qui ut exprimant amorem erga se, eumque discernant ab amore erga cætera objecta, non scribunt *amorem meum*, sed *amorem mei*. Quam scribendi regulam sequitur semper Augustinus utens non adjectivo *meus, tuus, suus*, sed pronomine *mei, tui, sui*, cum amorem, aut cognitionem exprimit terminatam ad personam ipsam amantem, aut cognoscentem. Sit in exemplum, quod dedimus in antecedenti §. de correctione fraterna, ubi scribebat S. Doctor: *si amore tui id facis, nihil facis*. De Sanctis Leone, et Bernardo satis dictum est Cap. 3., nec video hic quidquam, quod declaratione egeat.

35. S. Thomas 1. p. q. 60. art. 2. ut ostendat, in Angelis præter dilectionem naturalem boni fuisse quoque dilectionem electivam, tradit hanc doctrinam, quæ nobis objicitur ab Auctore: *Voluntas naturaliter tendit in suum finem ultimum. Omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate causantur aliæ voluntates . . . dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis; dilectio autem ab hac derivata, quæ est boni, quod diligitur propter finem, est dilectio electiva*. Verum quis est inter Theologos, qui ignoret, S. Thomam hic nomine *beatitudinis, et finis ultimi* intelligere bonum in communi, et docere, voluntatem tendere necessario debere in bonum, quia scilicet nihil amare potest, quod ei non sit connaturale, et proportionatum; at in electione hujus, alteriusve boni in particulari esse liberam: nam potest pro arbitrio suo amare hoc, vel illud, dummodo sit bonum, vel apprehendatur ut tale, quo in sensu ex amore illo necessario causantur aliæ voluntates. *Deus, inquit 1. 2. q. 9. art. 6. movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud*. Simili modo inquit 1. p. q. 28. art. 2. *Voluntas in nihil potest tendere nisi sub ratione boni. Sed quia bonum est multiplex, propter hoc non ex necessitate determinatur ad unum*. Quare quæst. 22. de Verit. art. 7. expresse dicit, quod appetitus ultimi finis in communi insitus homini non est præcise ad delectabilia, quia nimirum præter delectabilia sunt etiam alia bona. Et in quæst. ipsa 60. 1. p. a Bolgenio laudata docet per totum art. 5. Angelum naturali dilectione plus amare Deum, quam se ipsum.

Quia

Quia bonum universale est ipse Deus, et sub hoc bono continetur etiam Angelus, et homo, et omnis creatura. Advertit etiam principium illud: *dilectio naturalis fundatur in unione naturali,* quod tanti ab Auctore, ac Philosophis habetur in præsentia materia, locum non habere in dilectione Dei, quia nempe Deus est *tota ratio existendi, et bonitatis tam in Angelo, quam in homine, cum sit universale bonum simpliciter.* Negat etiam ibidem unionem naturalem ad se ipsum esse mensuram amicitiae politicae, et quidem ob eandem rationem, quia magis amat politicus bonum universale Civitatis, quam proprium: *Est enim, inquit, virtuosus Civis, ut se exponat mortis periculo pro totius Reipublicae conservatione.*

36. Quod allegatur ex Genovesio, et Lochio, res dici bonas, vel malas per respectum ad delectationem, vel dolorem, quem in nobis causare possunt, omitti certe potuisset. Nam primarius conceptus bonitatis, aut malitiae objectivæ situs est in convenientia, aut inconvenientia objecti cum natura rationali ut dirigibili per rectam rationem. Inde enim colligimus, an res hominem per se deceat, nec ne. Quia tamen quod decet (saltem cum habetur), delectat, et quod dedecet (saltem præsens) etiam displicet, hoc in sensu admitti possent descriptiones illorum Philosophorum, si ad bona honesta, et mala inhonesta referantur.

37. Sed quid de Bayle dicendum, quid de Rousseau, quid de Voltaire, huiusque furfuris aliis bene multis, qui Religionem nostram depingunt tanquam inimicam naturæ omnis hominis, ut quæ amorem proprium docet extinguendum, et in Dei solius gloriam operandum? Nonne impigri Religionis Defensores, ut illorum revincant impietatem sine hæsitatione admittunt, amorem proprium radicem esse, et causam motricem omnium operationum? Nec admittunt, nec admittere possunt in sensu Auctoris, qui nec verus est, nec proinde necessarius pro Religione tuenda. Non destruit Religio Christiana amorem proprium, qui rectus esse potest, honestus, imo et supernaturalis, prout fuerit finis, ad quem ille dirigitur; sed nobis præfigit finem, ad quem tendere debemus etiam per amorem proprium. Hac de causa nobis simul infunditur cum Charitate Spes Theologica, per quam ad æternam nostram Beatitudinem aspiramus, et quidem per amorem supernaturalem, qui est amor proprius, et verissimæ benevolentiae erga nos ipsos. Nam æternam foelicitatem nobis amamus, desideramus, et speramus. At docet etiam Religio, debere nos in Deum tendere per actus, quibus Deum magis amemus, quam nos ipsos, propterea quod Deus est summum Bonum, supremum Amabile, et infinite dignum omni amore nostro. Huius autem amoris, quo Deum super omnia diligimus, mensura esse non potest amor cuiusque proprius, ut constat ex terminis. Nec ullus unquam Religionis Defensor veritatem istam fundamentalem in dubium revocavit. Reliquum est igitur, ut unico

AMOR

amor proprius dicatur, et sit universim radix, et causa cæterorum amorum, quatenus prius ordine temporis seu naturæ nos amamus ipsos, quam cætera amemus. Quod et in ordine supernaturali verum est, in quo Spes ordine generationis Charitatem præcedit.

CAPUT IX.

Synopsis Capitis IX. Conclusio Bolgenij.

1. **E**x dictis satis, superque constare videtur, amorem benevolentiae esse chimæricum, et bonum divinum in se consideratum esse quidem posse aptum ad excitandam admirationem in intellectu, non ad movendam voluntatem ad amorem. Id quod amplius firmatur ex S. Thomæ doctrina securissima 2. 2. q. 26. art. 3. dicentis: Unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod Deus est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi. Et quæst. 2. de malo eandem tradit doctrinam nulla ratione obscuram: Si aliquod, inquit, bonum proponatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem. Præterea ipse Doctor Angelicus docet 1. 2. q. 65. art. 5. haberi non posse Charitatem sine Fide, et sine Spe, nam amicitia super amorem addit mutuum redamationem cum quadam communicatione mutua: Unde sicut aliquis non posset cum aliquo amicitiam habere, si discredere, vel desperare, se posse habere aliquam societatem, vel familiarum conversationem cum ipso, ita aliquis non potest habere amicitiam ad Deum, quæ est Charitas, nisi Fidem habeat, per quam credat huiusmodi societatem, et conversationem hominis cum Deo, et speret se ad hanc societatem pertinere. Quæ cum ita sint, quis non jure mirabitur, multos Scholasticorum amorem fictitium tradidisse tanquam verum Dei amorem, quibus tamen impugnandis Princeps, et Magister eorum S. Thomas sufficere debet? Nec mirandum est minus, quod Monachus ille Benedictinus, qui sic recte de amore senserat, ut exposuimus, scribat plane insequenter cap. 7. Non debemus desiderare (Beatitudinem) præcise nobis, sed per respectum ad Deum.

R E S P O N S I O.

2. **U**t hæc conclusio Bolgeniana, qua pronuntiat non certe modestissime amorem benevolentiae Theologorum esse fictitium, atque chimæricum, esset vera, legitima, atque probanda, duo illa necessaria esse nemo non videt, ut nimirum præmissæ ab Auctore stabilitæ veræ sint, et ut ad sanæ Logicæ rationes conformatæ rem evincant,

cant, de qua gloriatur, unde et intellectum quodammodo cogant ad assentiendum conclusioni. Si vel ex duobus unum desit, conficiet nihil; si vero duo ipsa deficiant integra, vanus erit, ultra quam dici potest, triumphus. Atqui multæ sunt Auctoris ratiocinationes, in quibus duo illa desiderantur, et nulla certe, in qua alterum non desit, ut illius rationes minutissime discutientes demonstrabimus. Nihilominus sic scribit initio capitis: *Ex dictis hactenus legitima prorsus, et inevitabili consequentia deducitur veritas, quæ sæpe supra indicata est, et quam modo expresse accingimur demonstrare. Nimirum amorem benevolentia erga Deum, qui a multis Theologorum traditur tanquam unicus amor verus ad Charitatem spectans, esse amorem chimericum, et quem nemo habere potest. Verum nec amor benevolentia chimericus demonstratus est ex Bolgenij præmissis, nec ex ijs, quæ hoc in capite producit, quidquam patitur detrimenti amor benevolentia erga Deum. Quin potius in ea sum firma sententia, ut existimem, multas Bolgenij præmissas a Lectoribus oculatis rejiciendas esse protinus tanquam falsas ex sola Theologica terminorum penetratione, et quod denuo hic producit ab Auctore, non magni pendendum illis esse, qui in S. Thomæ doctrina, et scriptis mediocriter versati sint. Nec enim felicior est Auctor Cl. in ijs, quæ nobis hic objicit ex S. Doctore, quam in ejus fuerat indaganda mente in capite 3. Incipiamus a primo, varias colligentes præmissas, et propositiones, quæ in Dissertatione, ac Declarationibus emicant.*

S. I.

Amor benevolentia Theologorum est ita certus, et inexpugnabilis, ut Auctor eum impugnare non potuerit, quin insiderit in propositiones, quæ vel ex sola terminorum penetratione Theologica falsæ sunt.

3. **P**lacet hic Lectorum oculis subjicere aliquas Bolgenij propositiones, quas non dubito rejiciendas protinus a Theologo, qui vel levissime intendat animum in notiones rerum, quæ per illas significantur.

4. Prima Auctoris propositio: *Fa specie grande a chiunque ben considera questa cosa il vedere, che i Theologi Scolastici abbiano messo fuora questo amor di benevolenza, del quale non vi è alcuno esempio, alcuna traccia in tutta la parola di Dio scritta.* pag. 25. Dissert. Legantur demonstrationes, quas dedi ab Scriptura Sacra, et an hæc Auctoris propositio sit falsa ex terminis, dijudicet Lector, cui forsitan non multum probabitur levitas in scribendo.

5. Secunda: *E qui siami lecito il ripetere cio, che ho detto anche disopra, cioè essere cosa da fare grandissima specie, come mai molti Teologi*

logj abbiano messo fuora, e insegnao l' amor di benevolenza, amore onninamente immaginario, e chimerico . . . e del quale non si trova fondamento nella parola di Dio nè scritta, nè tradita p. 67. Dissert. Hæc item propositio elapsa est Auctori parum caute, ne terminos modestiæ prætergrediar.

6. Tertia: L' amore di Dio nella sua sostanza, e nel suo fondo è un vero amore di concupiscenza. E verissimo che oltre all' amore noi dobbiamo avere la benevolenza verso Dio . . . noi dobbiamo desiderare, e godere, che Dio sia in se stesso quel sommo Bene, che è, e che da tutti gli uomini sia conosciuto. p. 129. Dissert. et sæpe alias. Comparationem cum prima petitione Orationis Dominicæ ex interpretatione Sanctorum, et vide, quam recte sit dictum, ad Charitatis substantiam non pertinere, et velle, et desiderare, ut Nomen Domini sanctificetur in universo Mundo. Præterea qui fieri potest, ut amor concupiscentiæ per actum benevolentæ ad Religionem pertinentis evadat major in ratione amoris, et Deum, quem ex concupiscentia non amo magis, quam me, posito actu, qui amor non est, amem supra me, et super omnia?

7. Quarta: La Carità attuale non consiste in altro, che nell' amore di concupiscenza . . . questa Carità è vera Carità Teologica, perfetta, giustificante anche prima dell' actual ricevimento dei Sacramenti. p. 15. Dissertat. Res hæc est, Vir Clarissime, momenti maximi, unde et magnum conscientijs obvenire potest detrimentum. An hæc tua doctrina tuta sit, atque segura, viderint Sapientiores; illud certe ex tua doctrina descendit, quod hic amor concupiscentiæ non sit per se amor Dei super omnia. Unde vel hoc solo ex capite sic ratiocinationem instituo. Nemo potest extra Sacramentum justificari nisi per amorem Dei super omnia; atqui tuus hic amor non est per se se, ut fateris, super omnia, nisi accedat actus Religionis, qui non est amor, per quem quis velit Deum esse talem, qualis est revera infinitus: igitur tuus ille amor per se se non justificat extra Sacramentum. Quod dico de amore, ob eandem rationem intelligo de odio peccati ex illo amore proveniente; non enim odium illud erit odium peccati super omne malum, atque ideo esse non potest vera, et perfecta Contritio.

8. Ut magis hoc punctum imprimatur animo, namque versamur in re gravissima, placet proponere duos conscientiæ casus, quorum resolutionem desidero. Sit primus: Theologus recens ad Doctoratum assumptus legit Dissertationem tuam, eamque miris effert laudibus, et in amicorum congressibus non sine quadam specie pertinaciæ defendit. Forte accidit, ut ei apoplexiæ morbo correpto, ex quo jam jam se mori videt, in mentem venerit obligatio satis recepta eliciendi pro articulo mortis actum Charitatis. Quæro ex te, cl. Bolgeni, quid ei pro momento temporis brevissimo agendum esse conscientia dictaret, an ut eliceret actum Charitatis ad systema tuum per desiderium habendi

in Deo æternam suam fœlicitatem, an potius, ut illum eliceret secundum communem Ecclesiæ consensionem, et praxim a Fidelibus receptam? Sit alter: Berta una ex illis animabus, quas invenisti delusas præ amore benevolentiae, et vix non judicantes versari se in statu perditionis, in idem vitæ extremum, et eadem occasione perducta est. Tum illa sibi conscia peccati mortalis cognoscit obire se mortem sine copia Confessarij; sola jam restat contritio perfecta pro remedio salutis æternæ. Quam illa contritionem elicere conabitur? An eam, quam vel legit forsitan in Dissertatione tua, vel tuis illi dictasti monitis, an illam, quam cum lacte suscepit, didicit ex Catechismo, audivit a Parocho, et confirmatam sensit ab Episcopo Ecclesiam visitante? Resolutionem expecto, sed prudentem, sed Theologicam, sed Ecclesiasticam, non sane illi similem, quæ desinit in *vinum aquæ, vel ex aqua*.

9. Quinta: *In tanto l' uomo gode, e desidera, che Dio sia quell' sommo Bene, che in fatti è, in quanto questo sommo Bene è bene godibile dall' uomo stesso.* p. 59. Dissert. Apprime profecto consonum Sanctissimæ Ecclesiæ doctrinæ, et praxi Fidelium! Sed quis, Deus Optime, hæc audiat sine animi intima commotione tuam considerans bonitatem, et dignitatem infinitam? Quem sonum referent verba ista Bolgenii in auribus Sanctarum Animarum, quibus et in ore, et in corde est aspiratio illa fervens, ex qua identidem renovant intentionem rectissimam, *Amem te, Deus infinite amande, ex toto corde meo, quia ipse es, qui es, quia mille nominibus dignus es, ut nihil agam, nisi tibi, propter te, propter gloriam tuam. Nova, et vetera, Dilecte mi, servavi tibi.* Cant. cap. 7. v. 12.

10. Sexta: *Quell' amore di benevolenza verso Dio... che riguarda Dio come un sommo Bene in se stesso, ma senza alcun rapporto di questo Bene sommo coll' interesse, e colla felicità dell' uomo... è un amore chimerico, ed impossibile... Un Bene anche sommo concepito così non tocca punto quella molla, che è l' unico movente di tutte le operazioni dell' uomo, cioè l' amor proprio.* pag. 119. Dissert. Quam alte, quam digne sentit Auctor de excellentia Charitatis? Videor audire Philosophos hujus sæculi omnia ex proprio sensu, usuque metientes.

11. Septima: *Dio considerato come nostro sommo Bene, e felicità è l' oggetto sì della virtù della Speranza, si ancora della Carità... La Carità dunque (giustificante) tende nel bene comè gustoso, e dilettevole: la Speranza tende nel medesimo bene come possibile ad ottenerci.* pag. 135. Dissert. Enuntiatio plane arbitraria, et quæ nullum in Theologia fundamentum habet. Quasi Spes non esset boni prosecutiva, et non tenderet vi sua in bonum, in delectabile, in jucundum, in id, quod placet. Appetitur (Spei) inquit S. Thomas 1. 2. q. 25. art. 3. ad 3. *movetur in bonum, sicut in proprium objectum, et ex hoc causatur, quod recedat a malo.*

12. Octava: *L' amore di Dio sopra ogni cosa e sopra noi stessi non importa dunque altro, se non che noi preferiamo l' ultimo nostro fine, la felicità nostra nel godere Dio a qualunque altro bene diverso, e distinto da questo ultimo fine.* pag. 141. Dissert. *Requiritur ne actus benevolentiae ad hanc praelationem, an sine illo dari potest? Si primum: ergo addendus ille erat, ut scilicet quis plus Deum eo diligeret, quam se. Si alterum; ergo non diligitur Deus super omnia, cum non tam Deus, quam formalis felicitas diligatur. Propositio Bolgenii est ambigua nimis, et æquivoca. Præferre nostrum ultimum finem, et nostram felicitatem, in eo sitam, quod Deo gaudeamus (nel godere Dio) cuicumque alteri bono, seu fini; si bene inspiciatur, quod innuere Auctor intendit, implicat in terminis. Nam ex una parte præfertur Deus omni bono, et ex altera parte non præfertur gaudium, seu fructio Dei. Si enim huic gaudium præferretur Deus, plane diceretur, Deum præferri gaudio nostro in Deo, qui est amor benevolentiae, per quem volumus gaudium nostrum propter Deum, ad quem illud referimus.*

13. Nona: *L' amar Dio per se stesso importa un vero amore di concupiscenza . . . Questa spiegazione dell' amor di Dio per se stesso l' abbiamo veduta insegnarsi dai Santi Padri, e Dottori della Chiesa . . . L' amar Dio per se stesso gratuitamente è un cercar Dio come oggetto di nostro piacere.* p. 144. Dissert. *Neque id vidimus, neque ulli unquam videre dabitur, quod in terminis, ut dicunt, implicat. Id ipsum, repetam cum Augustino, quomodo dicam, nisi id ipsum? Quidquid aliud dixerò, non dico id ipsum.*

14. Decima: *L' unica molla di tutte le operazioni grandi, o piccole, esterne, o interne è l' amor del suo bene essere . . . in una parola l' amor di se stesso. Ciò posto bisogna negare ai sedicenti Filosofi la proposizione dell' amor di benevolenza desinteressato, e puro.* n. 5. Declarat. *Timeo ego Clarissime Domine, ne morem ut geras hominibus nonnisi carnalia sapientibus, Ecclesiae Pastores tradere videare, et Institutionibus Christianis ubique terrarum receptis cum detrimento laudis, quam alias pro Ecclesiae decertans causa comparasti, turpiter refrageris.*

15. Undecima: *L' amor di benevolenza non è punto necessario per verun titolo a la pratica de' Christiani. Lasciamolo dunque per esercizio de' sottili ingegni delle Scuole.* n. 65. Declar. *Ecclesia certe per Orbem dispersa necessitatem premit, et inculcat, cui praxi Fideles se se prudentissime accomodant juxta communem Scholarum sensum.*

16. Duodécima: *Ho detto apertamente, e assolutamente, e torno a confermarlo . . . che un tal amore . . . che prescinde dal considerare Dio come bene proprio dell' amante (in quanto bene godibile) non è atto di amore . . . è impossibile, è chimerico.* n. 74. Declarat. *Sed vero dicere, repetere, et confirmare contra reliquos omnes verba sunt animi plus*

plus æquo sibi fidentis, nisi probetur firmiter, quod enuntiatur facillime. Id quod Auctor minime præstitit, et ante tantam asseverationem præstare debuisset invicte, scilicet ex sensu potissimum Ecclesiæ, *Verbi scripti fidelissimæ Interpretis, quæ, ut ajebat Augustinus, ea, quæ sunt contra Fidem Sanctam, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.*

17. Decima tertia: *Gli Scolastici di prima Classe . . . per nostro bene intendono il solo godimento di Dio . . . Dunque nel fondo, e nella sostanza della dottrina io sono perfettamente d' accordo colla parte massima degli Scolastici.* Unde concludit, convenire se in re ipsa cum Principibus Theologorum. Ita in Præfat. ad Declarat. Adeo scilicet acutum cernis, ut in Magistro Sententiarum, Alberto, Thoma, Bonaventura, Scoto, atque Suario illud videas, quod non modo unquam nemo vidit, sed quod ne ipsi quidem excogitaverunt! Et vero unum e duobus fieri necesse est, vel ut Theologorum Principes tecum in re sentientes, et simul dilucide tradentes amandum esse ex Charitate Deum, ut *Bonum summum in se, et ex merito intrinseco infinite dignum amore nostro*, turpissime sibi contradicant inextricabilibus conclusi labyrinthis; vel ut a tuo dicendi modo extreme dissentiant, et sibi per omnia consentientes amorem doceant verissimum, quem chimericum esse contendis. Primum illud aperte falsum est, nec audire patienter potest animus non male omnino comparatus. Reliquum est igitur, ut alterum sit manifeste verum. Namque non solum amorem benevolentia apertissime tradunt, sed pro ejus objecto formali motivo depugnant acerrime. Nec delectatio, seu gaudium est apud illos ratio motiva Charitatis, sed illud ipsum Bonum infinitum, quod ad se, et propter se rapit, trahit, et convertit amantem. Lege, precor, Cl. Domine, quam alias edixi tibi, partem illam Theologiæ Scholasticæ, quæ agit de honestate objectiva, quam videbis ita tractari a Principibus Theologorum, ut in eo conveniant omnes, quod objectum honestum per se, et independenter a delectatione ad amorem immediate moveat. Quod cum in cæteris objectis honestis verum sit, in supremo Bono honesto verissimum esse supponunt.

18. Mitto varias Auctoris propositiones, quæ parum mihi concordare videntur cum illis Scripturæ locis, in quibus Charitas nobis commendatur tanquam vera ad Deum amicitia. Alia etiam enuntiata Bolgenii prætereo, quæ locum dare non videntur distinctioni, quæ fide certa est, inter Spem, et Charitatem, et quæ hujus principatum supra cæteras omnes virtutes non bene tuentur. Nam si Charitas amicitia est hominis ad Deum; ergo datur actus aliquis illius virtutis, qui sit amor amicabile. Hic autem quinam est in Bolgenij systemate? Erit sine dubio amor actualis concupiscentiæ, namque hic solus elicitur juxta illum a Charitate habituali. Atqui actus concupiscentiæ, ut vel ipse testatur per Dissertationem totam, non est se solo amor ami-

cabilis, nec amor super omnia, nisi accedat actus benevolentiae, qui non est amor, quique pertinet ad virtutem Religionis, a qua elicitur. Igitur in Bolgenij systemate vel Charitas non est amicitia, vel si amicitia sit, non elicit per sese actum amicabilem. Similiter inter Spem, et Charitatem non statuitur satis solide in Dissertatione distinctio ab omnibus agnoscenda, et multo minus primatus Charitatis. Nam sine amore, et desiderio aeternae Beatitudinis esse non potest Spes Theologica, ut multis in locis ait S. Thomas, sic etiam scribens 1. 2. q. 66. art. 6. *Spes praesupponit amorem ejus, quod quis adipisci se sperat, qui est amor concupiscentiae.* Amor igitur concupiscentiae Bolgenianus ad Spem pertinet. Tollitur ergo de medio distinctio inter illas virtutes, et Charitas Spe non potest esse nobilior.

19. Propter haec, aliaque multa, quae supra indicavi, timeo ego, ne novum hoc, et inauditum Auctoris systema periculis obnoxium videatur. Scio probe, quod et aperte profiteor, mentem Dissertatoris in conscribendo hoc suo opere sanctissimam esse, et apprime catholicam. Video item intentionem rectissimam, qua totis nervis contundere satagit rigorismum illum, ex quo tot Ecclesiae obvenerunt damna. Praeterea observo, illum sollicitum esse quam maxime pro difficultatibus complanandis, quae incredulos deterrere videntur a vera Religione suscipienda. Tandem libentissime animadverto, eo se laborem in scribendo suum contulisse, ut viam ostenderet expeditam pro sufficientia Attritionis in Sacramento Pœnitentiae. Sed vero ut haec mihi laudantur, finemque in scribendo susceptum rectissimum demonstrant, ita ratio, et medium pro obtinendo illo magnopere mihi improbat, quia novum, et singulare, quia incongruens, et quia non videtur vacare periculo, utpote contrarium praxi in Ecclesia receptae. Quare consilium est optimum, quod praestat Auctori Insignis Theologus Vallisoletanus, ut nimirum legat, expendat, atque intime consideret verba Vincentii Lirinensis sapienter scribentis. *Quidquid vero ab aliquo deinceps uno praeter omnes, vel contra omnes novum, et inauditum subinduci senserit, id non ad Religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere.* Novum certe, et inauditum est, nec solum praeter omnes (quod unum sufficeret ex Lirinensi), sed etiam contra omnes asserere indubitanter, amorem benevolentiae esse fictitium, et chimericum, idque ipsum et firmare, et repetere, et inculcare contra eruditum Comitem Muzzarellum, qui condemnatur erroris in Declarationibus, eo quod, ut homo est urbanus, et modestiae notissimae, unice scripserit in sua *Sophia*, non deesse, cui amor benevolentiae ita difficilis videatur, ut eum dicat *ferme impossibilem*. Non erat profecto dignus tanta censura, qui pro errore, ut sibi videbatur, gravi elevando illud scripsit modestissime, unde gratias potius ab illius Auctore reportare debuisset.

Quid sit sentiendum de Conclusionē Bolgenii?

20. **J**udicat ille satis, superque ex dictis ab ipso constare, amorem benevolentiae esse fictitium, et chimæricum. Præclare scilicet! Scriptura demonstrat, Patres consentiunt, praxis Ecclesiae commendat, Theologorum sensus dubitare non sinit, aliorum incohærentia depromit, et ratio ipsa naturalis rem ipsam usque ad evidentiam declarat; et tamen . . . Sed quid facias homini in re suscepta obfirmato, et ita fidenter loquenti? Aliud profecto nihil, quam monere, ne sic abundet intemperanter in sensu proprio. Nam quæ profert in novem capitibus jam expensis, nullius sunt ponderis, ut vidimus singula perscrutantes; quæ vero addit in præsentī, non sunt illa majoris momenti. Docet S. Thomas: *Deum esse totam rationem diligendi*: docet esse *totum hominis bonum*: docet, *Deum non fore homini rationem diligendi, si non esset hominis bonum*: docet item, non posse movere voluntatem nisi bonum, quod proponatur *in ratione convenientis*. Verum hæc discussa sunt centies, et vel in ipsis Prolegomenis jactum est tanquam principium, vel fere principium in Theologia, Ontologia, et Ethica receptum, non posse nimirum voluntatem amare nisi bonum convenientis, et in hoc sensu bonum suum. Unde autem repetenda sit convenientia isthæc, jam alias diximus explicantes diversas rationes boni utilis, honesti, et delectabilis. Estne unice convenientis rationali creaturæ delectatio ipsa, an id etiam, quod ejus decet dignitatem? Solum gaudium, sola voluptas supernaturalis convenit homini elevato per gratiam ad statum supernaturalem, an id etiam omne, quod naturæ supernaturali consentaneum est, decens, et proportionatum? Quid, quæso magis est decens naturæ hominis quasi supernaturali, aut elevatæ, quam intime conjungi per amorem, quam affective uniri substantiæ illi infinitæ propter ipsam? Multa de his hactenus, veniamus ad aliud.

21. Charitas, inquit S. Thomas, sine Fide, et sine Spe esse non potest. Eccur autem? *Quia Charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuam amationem cum quadam communicatione mutua*. Ergo Charitas respicere Deum debet ut objectum beatitudinis: alioquin non esset ulla ratio, propter quam illæ virtutes ad Charitatem deberent præsupponi. Nam benevolentia præscindit ab eo, quod Deus sit objectum beatitudinis. Hæc est summa Bolgenianæ doctrinæ, quæ, licet alias explosa, hic tamen exigit ulteriorem declarationem. Igitur perpetua est S. Thomæ sententia, sine Fide, et sine Spe Charitatem esse non posse, non quod Charitas sit desiderium æternæ beatitudinis, nec quod ex illa moveatur propter ipsum ad amandum Deum immediate. Id enim omne jam habetur per Spem ipsam, quæ sine amore, et desiderio ejus, quod

speratur, nec esse, nec ulla ratione concipi potest. Unde August. in Enchirid. cap. 7. præter hunc amorem, et desiderium æternæ beatitudinis alium requirit amorem perfectiorem pro Charitate dicens: *quavis enim homo sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad id, quod sperat, non potest pervenire. Tamquam si speret vitam æternam, quam quis non amat? et non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit.* Potest igitur ex mente S. Doctoris amari, et desiderari vita æterna; quin tamen ametur justitia ipsa, et ea desiderentur, ac executioni mandentur, quæ ad vitam obtinendam æternam necessaria sunt. Id quod in homine peccatore contingere sæpe negarit nemo. Cum possit ille ex virtute Spei etiam efficaciter vel- le, et desiderare æternam beatitudinem non ex meritis jam habitis, ut notat S. Thomas, sed ex habendis ex gratia Dei.

22. Fides igitur, et Spes præcedere debent ordine naturæ Charitatem, quia hæc non movetur præcise ex Supremi Entis Bonitate, ut cognita per naturalem cognitionem, sed ut ostensa per cognitionem altiorem, et supernaturalem proponentem Summam Dei Bonitatem, omnem naturam creatam transcendentem, et nullam cum ea connexionem habentem. Qua ratione dicebat S. Thomas, Charitatem in Deum tendere, ut objectum Beatitudinis, *to ut* significante eminentiam Divinæ Bonitatis, et excellentiam Dei, non præcise ut est principium, et finis naturæ, sed ut est principium, et auctor gratiæ, et gloriæ. Nisi enim hæc cognitio Fidei supernaturalis præcedat, fieri minime potest, ut voluntas per amorem supernaturalem elevetur ad Deum Authorem gratiæ, et gloriæ amandum propter ipsum. Neque id est unice verum de Charitate Théologica, sed etiam de Spe supernaturali, quæ non nisi actu Fidei præcedente, et regulante haberi potest, tum quia Fides fundamentum est omnium supernaturalium donorum, ut habemus ex Tridentino Ses. 6. cap. 6. et 8., tum quia intellectus prior est potentia, quam voluntas; hæc igitur ut operetur, supponere debet cognitionem proportionatam; tum quia S. Paulus ad Hebr. 11. expresse docet, fidem esse substantiam, et fundamentum rerum sperandarum: et ad Rom. 10. absolute pronuntiat: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Unde dixit August. in Enchir. cap. 8. *Quid autem sperari potest, quod non creditur?* Quasi dicat: omnino nihil.

23. Cur vero Spes ordine naturæ præcedere debeat Charitatem, ex subjecti potissimum imperfectione, et ex modo connaturali divinæ gratiæ repetenda ratio est. Divina enim gratia se se accommodat subjecto, idque sublevat ad supernaturalia modo illi consentaneo, atque adeo paulatim procedendo ab imperfecto ad perfectum. Cum igitur actus Charitatis perfectissimus sit, prius homo per gratiam inducitur ad amandum Deum ut sibi bonum, et ad sperandum ab illo maxima bona, ut inde perveniat ad amandum illum propter ipsum. Quo in sensu verum est illud: *amicabilia ad alterum ex amicabilibus ad se.*

Præterea intentio finis, et beatitudinis comparandæ nobis est prior ordine naturæ in hoc statu, quam alius quicumque actus amoris etiam perfectior: illa autem intentio est actus elicited ab Spe. Hinc per actum Spei disponimur, et manuducimur ad amandum Deum. Et id est, quod agebat S. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. *Ex hoc ipso quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum.* Eundem ordinem insinuat Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. ultimo dicens: *nullus veram pœnitentiam agit, nisi qui sperat.* Unde Tridentinum Ses. 6. cap. 6. describens ordinem Justificationis secundo loco ponit Spem, et tertio Charitatem; et idem ordo significatur ab Scriptura, et Patribus.

24. S. Thomas loco a Bolgenio laudato repetit prioritatem Spei, ejusque necessitatem ex communicatione mutua, super qua fundatur Charitas, et ex eo, quod nemo potest (scilicet in via) Deum ex Charitate amare, nisi speret se ad societatem cum ipso pervenire. Sed aliud est, Charitatem fundari in communicatione mutua, et aliud, istam eandem communicationem esse motivum ipsum Charitatis. Primum est verum, ut jam alias diximus, et id præsupponitur ad Charitatem, quæ requirit unitatem quandam inter amantem et amatum, et ea sublata; amor esse non potest. Alterum est omnino falsum; nam motivum amoris non est communicatio nec *incobata in hac vita per gratiam nec perfecta in futuro per gloriam, quorum utrumque Fide, et Spe tenetur*, sed Bonitas ipsa Dei, qui hic se incipit communicare per gratiam, et in futuro se se per gloriam communicabit. Recte inquit P. Suarez disp. 1. de Charit. Sect. 2. n. 6.: *licet ita amem patrem, vel amicum, ut velim illis bonum propter se, tamen hic amor non esset, nisi illos apprehenderem, ut unum mecum, et mihi conjunctos.* Sicut igitur hic, et in omni altero amore requiritur conjunctio, quin tamen ea sit motivum amoris, sed res ipsa amata propter se, ita et conjunctio, societas, et communicatio cum Deo ad amorem quidem requiruntur, sed non sunt amoris motivum.

25. At communicatio, inquis, perfecta cum Deo nisi speretur, Charitas esse non potest; Charitas igitur præscindere non debet a Deo communicando, vel a Deo ut *objecto beatitudinis.* Audio id ego, et ambiguitatem observo. Non præscindit Charitas a communicatione perfecta per hominem sperata, tanquam amoris fundamento, ab ea tamen præscindit ut immediate movente ad amorem. Ratio hujus desumitur ex S. Thoma, causam reddente quæstione proxime laudata, cur Spes ad Charitatem requiratur. Sic enim disserit: *Ex hoc homo aliquid amat, quod apprehendit illud ut bonum suum. Per hoc autem quod homo ab aliquo sperat, se bonum consequi posse, reputat ipsum, in quo spem habet, quoddam bonum suum. Unde ex hoc ipso, quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum. Et sic ordine generationis secundum actus Spes præcedit Charitatem.* En tibi S. Thomam agentem, Spem requiri ad Charitatem, quia nullus amare potest nisi bonum su-

um, et is, qui sperat in aliquo, reputat eum, in quo sperat, quoddam bonum suum: ex quo fit, ut procedat ad amandum ipsum, non ob bonum, quod speratur, quia Charitas non retorquet bonum ad amantem, sed propter ipsum. Et hoc est, quod toties repetit S. Doctor, Spem introducere ad Charitatem. Si enim hæc loca in sensu intelligas a Bolgenio intento, Spes non disponet, nec introducet ad Charitatem, sed se ipsa contenta erit, ut quæ Deum respicit ut sibi communicandum, et ex ipsa communicatione immediate movetur, eritque Regina ipsa virtutum contra illud Apostoli: *Major autem horum est Charitas*. Propterea ipse S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 8. ubi quærit, *an Charitas sit prior Spe*, respondet, esse quidem priorem ordine perfectionis, et formæ, secundum quem perfectum naturaliter prius est imperfecto; at Spem docet esse priorem Charitate *secundum viam generationis, et naturæ, secundum quem ordinem imperfectum prius est perfecto*.

26. Atque hæc satis ostendunt, quam sit vera, firmaque ratio illa, quam supra tetigimus, Spem nempe præcedere ordine naturæ Charitatem ex sola imperfectione subjecti, et ex modo suavi, et conaturali divinæ gratiæ ab imperfecto moventis ad perfectum. Nulla quippe hujusce rei ratio reddi potest, ut observat P. Suarez disp. I. de Spe Sect. 7., desumpta ex actibus Spei, et Charitatis inter se consideratis. Itaque ubi non est hæc imperfectio ex parte subjecti, non requiritur ad amorem amicabilem actus sperandi, ut in Christo Domino, in quo sine actu sperandi fuit verus Dei amor non modo necessarius ex visione beatifica, sed etiam liber, et regulatus per scientiam infusam. Similiter in Sanctis jam Deo fruentibus sine actu sperandi æternam beatitudinem datur verus amor ex sola visione beatifica detegente Divinam Bonitatem per se amabilem. Igitur nullus est ordo inter illos actus secundum se consideratos, et multo minus verum est, quod Charitas ideo Spem supponat, quia movetur ex communicatione gloriæ, quæ speratur. Nam Charitas in patria est eadem numero juxta S. Thomam, et idem omnino respicit objectum motivum, atque Charitas in via. Sicut ergo amor in patria unice movetur ex Bonitate Divina secundum se considerata, unde et resultat gaudium de bonis divinis secundum se consideratis, ita similiter in via et amatur Deus propter suam solam Bonitatem, unde etiam existit gaudium de bonis divinis secundum se consideratis. Hoc tamen interest discrimen inter cognitiones regulantes amorem viæ, et amorem patriæ, quod visio beatifica regulans, immo inferens necessario amorem patriæ haberi potest, et habetur de facto sine actu sperandi; at cognitio proximæ regulans amorem viæ haberi non potest nisi ab eo, qui speret, se posse pervenire ad perfectam cum Deo conversationem, et familiaritatem. Quia ex hac spe disponitur homo ad Infinitam Dei Bonitatem in se cognoscendam, et amandam propter se; reputat e-

nim eum, in quo sperat, ut unum secum, et inde procedit, ut aiebat S. Thomas, ad amandum ipsum, propter suam scilicet amabilitatem intrinsicam. Primo igitur Deum amat ut *bonum sibi*, et deinde ascendit ad gradum alium, perfectiorem amandi Deum *propter ipsum*.

47. Præterea amor in via quamvis intensus nondum est in illo statu, in quo inamissibilis sit, indissolubilis, atque continuus, et sine ulla interruptione, sicut in patria; quia non habet adhuc maximam illam unionem cum amato, ad quam aspirat Charitas, et amicitia: ergo haberi non potest nisi ab eo, qui speret pervenire se posse ad maximam illam unionem: igitur attendenda imperfectio subjecti amantis, et nondum videntis, et possidentis amatum, elici non potest amor perfectus Charitatis sine Spe perveniendi ad comprehensionem perfectam. Atque hæc est vera ratio, propter quam amor in via supponere debet actum sperandi communicationem perfectam, et societatem cum Deo; non quod communicatio illa sit motivum amoris, sed quia communicatio imperfecta per gratiam est fundamentum amoris, et communicatio perfecta per gloriam est unio maxima, ad quam aspirat Charitas mota ex Bonitate Divina secundum se considerata.

C A P U T X.

Synopsis doctrinæ Auctoris, ex qua judicat satis omnino fieri contrariis argumentis.

X. *Videbitur forsitan Lectori superfluum respondere difficultatibus, quæ contra doctrinam traditam excitari possunt. Nam propositio ab Scriptura, Patribus, Ecclesiæ Doctoribus, et naturali ratione ad evidentiam usque demonstrata nullam contra se momenti alicujus difficultatem habere potest, quæ ex probationibus ipsis soluta non sit. Sed quia eorum rerum examen, quæ opponi solent, occasionem dare potest ampliori Patrum doctrinæ pro unico amore concupiscentiæ, illud in hoc extremo capite instituendum est. Prima difficultas est: Homo debet Deum amare, quoad fieri potest, amore et puro, et perfecto, Dei gloriam quærendo, et ad ejus gloriam operando. In gloriam meam, dicitur Isai. 43. creavi eum. Et sanctificetur Nomen tuum, apud Math. 6. Id. autem uni ce peragi potest amore benevolentis. Respondetur, chimericum esse amorem istum, unde hæc expressio amor benevolentis ableganda est ab Scholis, ut quæ importat confusionem rerum, et idearum inter se pugnantium. Quamvis autem ratione naturali probaretur, possibilem esse amorem benevolentis, atque inde magis purum, perfectumque, quam amorem concupiscentis, non esset tamen admittendus a Theologo, cum Verbo Dei et Scripto, et Tradito sit manifeste contrarius. Unde Chrysosto-*

mus hom. 13. in 2. Corinth. Quomodo non absurdum, inquit... pro rebus amplioribus sententiam sequi, præsertim cum habeamus exactissimam trutinam, et regulam, divinarum, inquam, legum assertionem. Debemus quidem Dei gloriam extrinsecam quærere, sed et quærendo salutem nostram spiritualem, et ultimum finem. Sic Cyprianus explicans petitionem objectam: non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus a Deo, ut Nomen ejus sanctificetur in nobis. Secunda difficultas: ad amorem amicitiae pertinet ex S. Thoma benevolentia. Ita quidem, nec ego nego, sed requiritur ut actus ab amore distinctus, per quem ex virtute Religionis desideremus, et gaudeamus, Deum esse id Summum Bonum, quod est, et bona eidem extrinseca optemus. Qui actus oritur ex amore concupiscentiæ, et in eundem recidit. Volo enim amico bonum, quia hoc cedit in meam utilitatem, et commodum. Sic expresse August. rationem reddens lib. 50. Homil. hom. 38. cur uxor ex amicitia velit maritum incolumem: Ad hoc amat, inquit, quia ipsa vult, quod sibi vult, et illi hoc vult. Tertia difficultas: Si amicitia fundatur super communicatione beatitudinis, illud fieri necesse est, ut non possimus amare Deum amore amicitiae propter bona naturalia, quæ a Deo accepimus, imo nec propter supernaturalia distincta a beatitudine essentiali. Fit etiam, ut non detur locus amoris gratitudinis. Respondeo, beneficia tum naturalia, tum supernaturalia considerari bifariam posse, vel ut media ad finem ultimum consequendum, vel ut finem ultimum, in quo voluntas nostra quiescat. Si hoc ultimo modo considerentur beneficia naturalia; planum est, ea sic amare, maximum esse peccatum. Et si voluntas sic ferretur (quod tamen judicio difficillimum) in beneficia supernaturalia, idem esset ferendum iudicium de amore illo perverso, et inordinato. At si primo modo spectentur beneficia, amari profecto possunt ordinate, ut media ad finem consequendum. Namque amor specificatur a fine, quod est principale bonum. Atque hæc est S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 23. art. 7. et 27. art. 3. dicentis: quarto modo potest diligere (Deus) propter aliud, quia scilicet ex aliquibus aliis disponimur ad hoc, quod in Dei dilectione proficiamus etc. Ex quo existit, ut amor gratitudinis duos includat actus; nam ex cognitione beneficiorum oritur gratitudo consistens in recognitione Auctoris beneficiorum, et in protestatione, quod ab eo accepta sint. Cumque Auctor beneficiorum consideretur ut causa nostræ felicitatis, nascitur item amor. Amor igitur gratitudinis duos actus includit; unde claritatis, præcisionis, et distinctionis gratia desiderandum esset, ne duo illi termini amor gratitudinis unirentur. Quarta difficultas: Systema nostrum confundere videtur Charitatem cum Spe Theologica. Nam idem statuit utriusque virtutis objectum, Deum nempe bonum nobis, et delectabilem, et eundem exhibet amorem concupiscentiæ sine ullo prorsus discrimine ab utraque virtute proficiscentem. Respondeo; Deum in se ipso consideratum, et sine respectu ad nos esse non posse objectum voluntatis, sed

unius intellectus. Idem est igitur objectum Charitatis, atque Spei, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 6. per hæc verba clarissima: dicendum, quod idem bonum est objectum Charitatis, et Spei. In quo ergo differunt actus illi? In diverso tendendi modo, vel quod magis placet, in diverso aspectu, sub quo homo sibi proponit idem objectum. *Æterna Beatitudo considerata ut jucunda, dulcis, et delectabilis accendit subito desiderium eam habendi: En actus Charitatis Theologica. Eadem Beatitudo ut futura, distans, ardua, et possibilis haberi excitat certam quandam persuasionem, seu fiduciam (lusinga) obtinendi talem felicitatem: En actus Spei Theologica. Quare S. Thomas loco laudato sic pergit: Sed Charitas importat unionem ad illud bonum, Spes autem distantiam quandam ab eo. Et inde est, quod Charitas non respicit illud bonum ut arduum. Idem repetit q. 17. art. 7. et 1. 2. q. 20. art. 1. statuens discrimen inter amorem, et spem, quod nempe amor pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Quid ergo dicere volunt Scholastici, dum passim scribunt amor spei? An quod spes sit amoris objectum? Hoc in sensu vera esse non potest expressio pugnans. An quod amor sit idem, atque spes? Nec hoc item, ut vidimus, sustineri potest. An tandem quod amor, et spes idem habeant objectum? Id sane verum esse iudico, sed vero expressio illa duas sine dubio rationes inter se diversas plane confundit. Est igitur ableganda a vera Theologia, ut ambigua, et æquivoca, cum clarior alia substitui facile possit. Quinta difficultas: Homo ex Charitate Theologica magis debet amare Deum, quam se ipsum. Item: ex amore concupiscentiæ non tam Deum diligit, quam se ipsum. Tandem, Deus diligendus est ex Charitate propter ipsum. Tria hæc quo explicari possunt modo in Systemate unius amoris concupiscentiæ? Respondeo, expediri quam facillime objecta tria. Quod enim homo Deum amans ex Charitate se ipsam quoque amet, docuere nos supra Bernardus, et Hugo. Docet etiam S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 4. et 5. . Docet S. Prosper in lib. sentent. ex Operib. S. August. except. ita scribens sent. 355.: amator enim Dei amator est sui, et non diligens Deum non diligit se ipsum. Docet August. mille in locis, lib. 8. de Trinit. Epist. 95. conc. 27. in Psalm. 118. lib. 10. de Civit. Dei cap. 4., conc. 8. in Psalm. 118. Quomodo autem amore concupiscentiæ amemus magis Deum, quam nos ipsos explicuit optime Antoninus ex Doctore Angelico ad amorem amicitiae requirente actus benevolentiæ. Amor itaque Dei super omnia, et super nos ipsos non importat renuntiationem æternæ beatitudinis, id enim esset stultum, ut scribebat Hugo Victorinus; sed significat, præferre nos ultimum nostrum finem, et felicitatem æternam cuicumque alteri fini, seu felicitati ab ultimo sine distinctis. Denique Deum diligere propter ipsum, quod a Patribus toties inculcatur, id tantum significat, debere Deum diligi, quia ipse est objectum, et fons æternæ nostræ felicitatis, non quia daturus est nobis aliquid a se distinctum, sed quia nobis se videndum daturus est. Id*

insinuatur verbis illis propter ipsum, ut vidimus ex PP. Gregorio Nazianzeno, Leone, Juliano Pomerio, Bernardo, Hugone, Thoma, et aliis. Hoc est amare Deum amore casto, et gratuito, atque ideo propter se ipsum. Id quod apertissime tradit Augustinus contraponens amorem terrenarum rerum amori Creatoris. Deus noster, inquit lib. 50. Homil. homil. 38. laudetur voluntate, ametur Charitate. Gratuitum sit, quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, et non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Idem repetit in Psalm. 4. 15. 26. 34. 35. et 72. et in Enarrat in Ps. 34. et 53. Concione I. dicens peccare illum, qui res creatas proponit sibi ut finem ultimum. Si alia, inquit, petieris, injuriam facies illi, et damnum tibi, præponendo illi, quod fecit, cum velit se ipsum tibi dare qui fecit. Sexta difficultas: Charitas pura, et perfecta amat Deum sine intuitu præmii, mercedis, recompensationis, utilitatis, et commodi, sed potius caste, gratuito, propter Deum. Respondeo, duplicem esse mercedis speciem, aliam essentialem in Dei unione, et fruitione consistentem, alteram a beatitudine essentiali distinctam. Facit hæc altera amorem mercenarium; at illa prima intendi necessario debet ab amore casto, et gratuito. Qua super re præter ea quæ supra dedi, audi Bernardum Serm. 7. in Cant. ita disserentem. Amat profecto caste (anima) quæ ipsum, quem amat, quærit, non aliud quidquam ipsius. Audi August. Enarrat. in Psalm. 52. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est caste anari: non propterea se amari quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Non aliter loquitur Tract. 51. in Joan. n. 11. Gratis amatur, ait, ut operis, quo ministratur illi, prætium sit esse cum illo. . . Sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas. Idem invenies in Enarrat. in Psalm. 72. sub finem. Qui aliud præmium petit a Deo, et propterea vult servire Deo, carius facit, quod vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus. Tandem, omis- sis pluribus alijs ejus Sancti Doctoris locis, concludo doctrinam afferens, quam tradit ijs verbis in Enarrat. in Psalm. 55. sub finem. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo, mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum, quem colimus: ipse nobis merces erit, quia videbimus eum, sicuti est.

R E S P O N S I O .

2. **I**d ultimum caput Bolgeniani conatus non tam est difficultatum solutio, ut præferre videtur, quam ostentatio quædam eruditionis pro sua opinione collectæ, et artificiosa peroratio eorum ferme omnium, quæ ex Patribus colligit in Dissertatione, et in unum quasi fascem accumulatur. Credit ille, (nec sane temere, si res veritate constaret) propositionem ab Scriptura, Patribus, Ecclesiæ præ-

xi, et ratione evidenter, ut quidem ipsi videtur, demonstratam, nullam contra se habere posse difficultatem. Unde hac ex parte remissius sibi agendum esse judicavit, sex tantum delibatis scrupulis, quibus implicari forsitan poterat parum solers, et cautus auditor. Sed cum sua cuique proponere sub aliqua probabilitatis specie non sit ita difficile, ea vero ab objectis, vel objiciendis perspicue, solide, et Theologice vindicare, summa sit rei totius, et difficultatis caput; non ita negligentem in re præcipua se se ille Lectori probare debuisset. Nihilne ex Scriptura Sacra, nihil ex Patribus, nihil ex praxi Ecclesiæ, nihil ex gestis Martyrum, nihil tandem ex Theologicis regulis, et ex principiis Philosophiæ proponi potest, o Bolgeni, contra Systema tuum, quod ullius sit ponderis, aut momenti, dignamque Theologo discussionem mereatur? Profecto ut argumenta illa pauca, seu sex, quas levi brachio moves, difficultates minime solvis, sed multo te implicas magis, mira miris supperaddens, et novis Systema novum incohærentiis illustrans; ita relinquis prorsus intacta innumera ex omni fonte argumenta, quæ opinionem tuam singularem, et plane improbabilem certo demonstrant. Id ego summam conficiam hoc in paragrapho, illud autem in altero.

S. I.

Indicatur breviter summa Difficultatum, quas non prævidit Bolgenius.

3. **M**ultas ego, et magnas proposui difficultates; ne dicam, demonstrationes contra Systema Bolgenij vel in ipso Prodro-mo Velitari, ubi pessum ire necesse esse probavi principia certa, vel recepta in Theologia, Metaphysica, Psychologia, et Ethica, si semel fictitius dicatur amor benevolentix. Nullum cognoscit amorem Bolgenius, qui desiderium non sit proprii commodi, nullum item gaudium, quod non sit de bono amanti delectabili; unde ordo passionum appetitus sensitivi, et affectionum appetitus intellectivi omnino est perturbandus, aut evertendus contra Philosophos, et Theologos, Augustinum, et Thomam. Notio boni non satis expenditur ab Auctore, et divisio illa celebris in honestum, utile, et delectabile, quæ ab omnibus citra contentionem supponitur, salvari nequaquam potest in novo Systemate. Ex quo existit, omnem tolli de medio honestatem objectivam, seu naturalem, seu supernaturalem omnino necessariam ad explicandas honestates formales singulorum actuum. Objectum formale, seu motivum non raro confunditur cum objecto materiali, et pure terminativo, finis qui cum fine quo, et finis integer, et completus cum fine partiali, seu parte finis absolute dicti. Nullus datur locus diversis amicitiarum generibus, omnis quippe amicitia de-

le.

lectabilis erit, non modo hominis ad hominem, civis ad Rempublicam, sed etiam justis erga Deum. Uno exploditur verbo, et sine congrua probatione, quidquid Philosophi, natura ipsa dictante, conscribere circa amicitiam honestam, quam per *mutuam duorum benevolentiam* descripserunt. Erravit Plato, deceptus est Aristoteles, hallucinatus est Tullius, et, qui eos secuti sunt, Sancti Patres amoris naturam non videntur intellexisse. Pars illa Philosophica, et Theologica de intentione finis, et electione mediorum, de actu imperante, et imperato non satis conciliari videtur cum ijs, quæ in Dissertatione traduntur. Quid dicam de virtute Religionis, quam ignorare se, vel non satis percipere ostendit Auctor? Qui tamen suos ut posset sustinere conatus singulares, debuisset eam Lectori, ex parte saltem, explicare, siquidem actum benevolentiae, quem negare non valet, ad Religionem pertinere contendebat. Quid item delectatio sit, quidve fructus, et objectum utriusque, et quomodo a desiderio distinguantur, paulo accuratius expendendum illi fuisset, nam quæ vix obiter nobis tradit, argumentum relinquunt obscurum, implexum, præpeditum. Atque hæc quidem a Disciplinis severioribus necessario mutuanda pro novi Systematis erectione, et soliditate omittenda non erant. Verum hæc sunt peccata minuta, ad graviora multo veniamus.

4. Quoniam Theologos omnes impugnare, et quidem excepto nemine, ut ex tuis, Bolgeni, verbis eruitur, animo insederat, eorum erat doctrina accurate consideranda, et quid de amore tradiderint concupiscentiae, et benevolentiae, quid de Spe senserint Theologica, et quid de Charitate, omnino diligenter inspiciendum. Namque mentem illorum in Dissertatione non apparere, multis in locis demonstravi. Et ut alias dixi, si doctrinam illorum Theologicam assecutus fuisses, non tot in Opere tuo Scripturae textus, nec tot Patrum sententias allegasses. Edissere nunc, precor, mihi, quæ illi ab Scriptura contra tuum unicum amorem concupiscentiae facile possunt intorquere, quæ ego ipse eorum nomine proposui a capite secundo. Quid nimirum sit diligere ex *toto corde Deum*, ut est in præcepto? An totum cor ponatur in Deo, cum ex eo quæro meam propriam felicitatem? An hoc nomine *Deus* veniat nec ne bonum infinite amabile, et per se dignissimum amore nostro? Quid sit amor Dei spontaneus, confessio laudis, et gaudium de bonis Dei in se consideratis, qui quidem affectus tantopere commendantur ab Scriptura Sacra? Quid porro sit amicitia illa supernaturalis, quam Charitati congruere Sacrae Paginae abundantissime tradunt? Nec minoris habenda sunt, quæ desumuntur argumenta ex infinitis Dei perfectionibus, quas Scriptura commendat, mentibusque Fidelium proponit contemplandas, nisi velis, præter Asceticæ potioris partem, Mysticae item, et Contemplativæ principia diruere. Oratio saltem Dominica maximo in pretio, ut æquum est, habetur omnibus. Quid sibi vult prima illa petitio, *Sanctificetur*

Nomen tuum ex communi Sanctorum doctrina? Quid verbum illud primum *Pater Noster*? Namque amor syncerus filij erga patrem non est præcise ad hæreditatem adipiscendam. Quid dicam de amore sponsæ, cujus nomine donatur verissime in Scripturâ anima justa? Amor ille descriptus in Canticis Canticorum est ne amor sponsæ quærentis utilitatem ejus, et commodum, an amor obsequens, deferens, curans, quæ sunt sponsi propria?

5. Veniamus ad Deum nostrum, ad eum Salvatorem omnium. Quo Deus nos amavit amore ab æterno? An sui quidquam quæsit illa *voluntas benevolentissima nos formans ad benevolentiam*, an potius nos ipsos salvos vult, desiderat, et gaudet? Qualis amor Salvatoris nostri Jesu Christi erga Æternum Patrem? Profecto non illum amavit propter hæreditatem æternam, seu beatitudinem essentialem, quam jam habuit a primo conceptionis instanti, sed ob infinitam ejus bonitatem. Amavit item nos, at quomodo nos amavit? Amore verissimo, et syncerissimo benevolentiae, nobis bonum volens, nobis bonum desiderans, de bono nostro gaudens, dolens de malo, flens super nos, et nihil non mali poenæ suscipiens propter nos. Magistrum omnium imitatus est Paulus, ex cujus litteris ad benevolentiam informamur, et ex cujus gestis in amorem benevolentiae confirmamur. Lege, quæso, Bolgeni, animo tranquillo Chrysostomum, lege cæteros Patres, atque Doctores super scriptis, et gestis Doctoris Gentium, et luce clarius meridiana videbis, scripsisse te parum considerate, etiamsi solæ extarent Epistolæ Pauli, *nullum extare in Sacris Litteris vestigium amoris benevolentiae*. Amavit igitur Paulus Christum, sicut amatus est ab eo, ei reddidit amorem talem, qualem suscepit, quærens ea, quæ Christi erant, sicut et Christus quæsierat, quæ erant Pauli. Ad hoc amoris genus Scriptura Fideles hortatur, ut ita diligant imitatores Christi, sicut dilecti a Christo sunt.

6. Hæc si clarissima Scripturæ loca, quæ fusè transcripsimus, et in sensu potissimum litterali proposuimus, congrue, decenter, et Theologicè explanaveris, negato scilicet amore benevolentiae, cum Patribus tamen et Græcis, et Latinis agendum est tibi calamo fusiori. Nam a primo Ecclesiæ Sæculo ad nostra usque tempora vix quidquam ex ijs, quæ in Ecclesia traduntur communiter, magis efficaciter ex Patribus demonstrari potest, quam ille ipse amor benevolentiae, quem ex ore Fidelium excludendum esse pronuntias. Multi Sanctorum Patrum amorem illum gratuitum etiam per verba illa, quæ in Scholasticis immisericorditer carpis, scilicet *bene velle; amare Deum in se*, nobis in scriptis suis tradiderunt. Alij Dei Pulchritudinem infinitam per se se amabilem nobis proponunt ut excellentissimum motivum amoris. Alij Bonitatem illam universalem, in qua omnes particulares continentur bonitates, totam esse debere rationem amandi, supponunt. Alij amorem explicant per affectum ei placendi propter

se. Alij intentos nos volunt ad Dei ut amici nostri gloriam, quoad fieri possit, in omnibus quærendam. Quid de Bernardo dicam tum in Canticis, tum in Tractatu de diligendo Deo? An, qui neget, fictitumve contendat amorem benevolentiae, non protinus convincetur, aut non legisse Bernardum, aut opinione jam propria correptus ad illum legendum accessisse? Quid item de S. Thoma, in quo vix leges articulum de præsentem tractantem argumento, ubi non emittet amor benevolentiae, gaudium benevolentiae, et non proponatur ut objectum motivum *Bonum divinum in se, Deus in se, secundum se, propter se*? Sed quæ majori etiam in lumine mentem ponunt satis per se claram D. Thomæ, sunt peregrinæ illæ tuæ interpretationes. Vellem et ego, ut aliquam expositionem tradidisses pro actu illo primario Charitatis, quem tradit Bonaventura: *Volo, Deum esse ipsum Summum Bonum, quod est*. Esset illa profecto ita similis interpretationibus Angelici, ut ovum ovo non sit similis.

7. Acta Sanctorum Martyrum mire commendant amorem benevolentiae; nam quæ Sancti Patres verbo, et litteris verissime tradiderunt, exemplis illi cumulatissime confirmarunt, animas tradentes suas pro amore dilecti, ob gloriam illi placendi, se ipsos sacrificantes pro Nominis Dei sancti clarificatione. Nec tamen dubium, quin et alios aliarum virtutum actus in perpeccionibus exercuerint. Quam enim non moveret virtutem donum fortitudinis ipsis collatum? Sed Charitas in Deum sincera præ cæteris elucebat, omnesque actus timoris, constantiae, fortitudinis, et Spei æternæ vitæ informabat. Sanctorum gestis non minus demonstratur amor benevolus: plena est historia, plenæ sunt vitæ Beatorum, qui se se frequenter exercebant in actibus amoris, desiderii, et gaudii benevolentiae, ad praxim deducentes cum maximo sui fructu exercitationes illas, quas non sine utilitate docent Scholastici, et quas irritò prorsus conatu audet Auctor appellare chimæricas.

8. Frustra idem implorat Theologorum sensum, qui omnes Scholasticos, qui de Charitate tractaverunt, contrarios habet, nullumque potuit a numero Sapientum ferme infinito producere, qui amorem benevolentiae negarit. Nec est item quod ad eorum confugiat, quas vocat, incohærentias: hoc enim effugium indirectum apprime demonstrat præoccupationem Auctoris, cui offendiculo videtur esse, quidquid ex suo sensu, et palato non omnino conditum deprehenderit. Si argumentum Charitatis Theologicæ, et amoris benevolentiae ex Theologis primi, aut secundi ordinis, sedata mente, et ab opinionibus præjudicatis libera, perlegisset, verba meditans accurate, et actus, atque motiva sublata confusione inter se invicem discernens, non ea negasset a nemine quæsitus Judex, quæ carpit liberaliter causa haud satis cognita. Ex eodem fonte manasse fere dicam tot, et tantas, et tam veras, et non umbratiles incohærentias, quibus quasi contextam video

Dissertationem Auctoris. Quod enim asserit, id ipse negat: quod primo statuit, secundo disjicit: quodque condemnat, sui immemor deinceps admittit. Id vero fieri nequaquam posse videtur, quin scribantur propositiones singulares, extravagantes, improbables, et ex ipsa terminorum penetratione falsæ. Quod sane in homine vere sapiente, et erudito, et animi dotibus mire præstanti me tenuit omnino suspensum, et admiratione affectum, cum Dissertationem non sine ingrato animi sensu perlegerem. Namque non Homerum dormitantem legere mihi videbar, sed Bolgenium alte dormientem, quem sic impigre vigilantem in cæteris ejus Operibus expertus, ac demiratus fueram.

9. Jam vero si amoris naturam consideres, ejusque velis descriptionem, seu definitionem per omnia retro sæcula a Sapientibus receptam exacte considerare, illud statim invenies, verum, syncerumque amorem erga personam nec mente quidem concipi posse, nisi ei bonum velis. Qui enim fieri potest, ut voluntas tua intime affective jungatur cum altero, eique adhæreat, quin ex virtute ejusdem conjunctionis velis illum esse, illum existere, illumque habere sibi bona illa, quæ insunt ipsi? Rationem si consulas naturalem, multa profecto invenies bona ei consentanea, ipsamque decencia; atque per sese amabilia, etiamsi inde nullum tibi accidat commodum, et nulla proveniat utilitas. Quis enim hæc interdum a se amari non cognoscat experimento proprio? Porro si hæc bonitas, honestas, et convenientia cum ratione ad Deum transferatur; quis est, qui non videat, amabilem esse præ cæteris omnibus amabilibus Bonitatem illam infinitam tum ob convenientiam cum natura hominis rationali, tum ob proportionem cum natura elevata per gratiam?

10. Amor autem proximi propter Deum evertit funditus opinionem Auctoris, unde pisce mutior est in hac parte Dissertator, qui nec obiter quidem verbum facit amoris proximi in toto Opere de amore erga Deum, cum tamen idem omnino sit objectum motivum dilectionis proximi propter Deum, atque ratio motiva dilectionis Dei propter se. Diligimus proximum propter Deum, non propter nostram beatitudinem; diligimus proximum, quia res est Dei, non quia res nostra; diligimus proximum, quia capax est æternæ beatitudinis, sic scilicet ut sua illi respondeat, et nobis nostra; diligimus proximum ei volendo beatitudinem, vel bona ad beatitudinem referibilia, non autem volendo nobis ex virtute hujus amoris beatitudinem nostram. Quod si amor erga proximum in genere explicari a Bolgenio minime potest, quo pacto explicabit ille amorem inimicorum ad Scripturæ, et Sanctorum Patrum sensum omnibus manifestum? Quid ego dicam de correctione fraterna? Quid de peccatis directe oppositis Charitati, de odio Dei, atque accidia? Annon eo tendit fraternæ correctio, ut opem ferat proximo, eum a malo subtrahens, et ad bo-

bonum provehens? Odium, vel malevolentia nonne vult malum personæ odio habitæ, et accidia nonne est tristitia quædam de bonis Dei extrinsecis? Hæc autem quis expediet, nisi animo teneat firmiter notionem amoris, quæ occurrit ultro cogitanti?

11. Cum hæc omnia, Charissime Bolgeni, accuratissime expendis, Scripturæ Sacræ sensum congruenter explanaveris, Patrum sententias, germanum intendens sensum, foeliciter exposueris, cum Theologos, et Philosophos a tua dicendi ratione communiter non discedere demonstraveris, cum rationes has meas Theologicas, ac Philosophicas nullius esse momenti probaveris, cum novam in puncto præcæteris potissimo Ethicam, Metaphysicam, Theologiam, Asceticam, et Mysticam ausu fortunatissimo erexeris, atque firmaveris, uno verbo, cum circulum esse triangulum, et curvam esse rectam, novis adductis rationibus novisque testimonijs tibi evidentissimis foelicissime confeceris, egisti adhuc omnino nihil, Cl. Domine, etsi multo plura invenias, congeras, et adornes. Ecclesia omnium Magistra audienda nobis est. Ejus est doctrina segura, tuta docendi ratio, nec quæ in agendi ratione via recta non est, permittere ipsa potest. Huc erant oculi intendendi tui, ut demonstrares nimirum, Ecclesiam amorem benevolentia non docere, et hanc Fidelibus doctrinam universim non tradere. Nemo profecto de nobis unus Judex idoneus, et certus est in exponenda Scriptura, aut in declarandis Patribus clavem veræ intelligentiæ jure suo possidet. Id uni Ecclesiæ competit, quæ nobis verum intimat sensum per Pastores, Rectores, Ministros, Catechistas, Missionarios, Directores animarum, et Tractatus spirituales non modo permissos, sed et ab omnibus commendatos. Hac in re conveniunt omnes, actuum Fidei, Spei, et Charitatis formula est eadem ubique gentium, nec ubi Nomen Dei laudatur, celebratur, et prædicatur, natio est aliqua, quæ non ad amorem benevolentia erga Deum per Catechistas informetur, atque erudiatur.

§. I I.

*Quam solide solvat Auctor, quæ sibi objicit
argumenta?*

12. Ad primam ille difficultatem sic respondet: chimæricum esse amorem benevolentia, qui etsi ratione naturali probaretur, eum Verbo Scripto, et Tradito contrarius sit manifeste, admittendus non est. Gloriam quidem Dei extrinsecam quærere debemus, sed tamen quærendo salutem nostram, quod unice fieri potest per amorem concupiscentia, quo nullus esse potest amor nec purior, nec perfectior, si beatitudinem essentialem respiciat. Hinc ab Scholis ableganda est expressio illa *amor benevolentia*, utpote ambigua, et æqui-

voca, pariensque confusionem non modicam. Hæc Auctor ad primam difficultatem. Verum responsio ista debilis est, et sæpius impugnata tum ex iis, quæ ab Scriptura, Patrumque traditione produximus, tum ex germano, quem eduximus, sensu eorum omnium, quæ ex his fontibus a Bolgenio producuntur. Nec placet mihi propositio illa, admitendum non esse amorem benevolentiae, etiamsi ratione naturali probaretur possibilis, et unice admittendum amorem concupiscentiae, ut qui expresse docetur in Scriptura, Patribus, et Ecclesiae Doctoribus. Non placet, inquam, nec ob id solum, quod falso supponit in hac extrema propositionis parte, sed quia etiam prima illius pars correctione indiget, et dicere forsitan voluit, certe debuit ita scribere: *etsi rationes naturales probantes amorem benevolentiae solvi a nobis positive non possent* etc. Quis id non videat, verum vero contrarium esse non posse? Sed tamen fieri potest, ut rationes fidem nostram impugnantes unice dissolvantur *negative*, quatenus oppositum fidei non demonstrant. Sic ille loqui debuisset, quoniam se se ita Theologum ostendit, ut legem in Scholis contra communem omnium sensum ferre præsumat verbis illis memorandis: *Tollatur ab Scholis expressio illa, AMOR BENEVOLENTIÆ. Desiderandum esset in gratiam claritatis, ut non fieret unio terminorum illorum AMOR GRATITUDINIS. Hinc expressio adeo Scholasticis familiaris AMOR SPEI fallax est, et sensu vacua.* Sic hoc in capite Bolgenius noster, cui nec placet amor benevolentiae, nec amor gratitudinis, nec amor spei. At placet Theologis, qui non modo illis utuntur formulis, sed earum etiam sensum definiunt, probant, demonstrant.

13. Ut nihil modo dicamus de formula prima, quæ jam satis a nobis firmata est, de duplici altera dicamus aliquid. Quid igitur significant Theologi nomine *amoris gratitudinis*? Aliud profecto nihil, quam amorem, qui a virtute gratitudinis quodammodo oritur. Cum enim gratitudo, ut virtus est moralis, sub justitia in aliquo sensu contenta, inclinatur ad recognoscendum beneficium, ad gratias agendas benefactori, et recompensationem aliquam exhibendam, natura sua ducit ad amorem ejusdem benefactoris, qua recompensatione nulla major esse potest. Ut enim scribit Ambrosius in Apocal. de Vision. 3. *Quod enim servitium tam acceptabile Deo, quam ut diligatur ex toto corde, totaque virtute?* Unde amor gratitudinis non est actus immediate elicitus a gratitudine, cujus est *velle* recompensationem tribuere, sed actus imperatus a gratitudine, et immediate elicitus a charitate. Hinc sua cuique virtuti respondet ratio motiva in actibus elicitis. Gratitudini *bonestas* retributionis in amore respiciens, et charitati *Divina Bonitas*, propter quam elicitur amor. Hæc intelligunt sine ulla difficultate, qui tenent, et naturam observant utriusque virtutis; quin et Auctor in Declarationibus optime intellexit, corrigens id ipsum, quod in Dissertatione docuerat, et addens rationem illam

bonam quidem, et efficacem, quæ in promptu est cuique: *non esse recedendum a recepto loquendi usu*, maxime in præsentī, cum amor oriatur sponte sua ex gratitudine ipsa. Id quod negat esse verum de amore benevolentia, ex qua non sequitur amor, sed ipsa potius, nec tamen semper, amorem consequitur.

14. Clarius est etiam altera formula *amor spei*, quæ tamen magis facit stomachum Auctori nostro. Cum enim Theologi ad Spem Theologicam pertinere doceant, et demonstrent tres illos actus *amorem nimirum, desiderium, et spem, seu actum sperandi*, dum scribunt *amor spei*, de illo primo hujus virtutis actu loquuntur, in quo cæteri duo innituntur. An non in Augustino legitur, quod lumine ipso naturali notum est cuique, sine amore spem esse non posse? Hic est igitur *amor spei*, cujus formula est quidem familiaris in Scholis, sed nec falax est, nec sensu vacua nisi ei, qui de nihilo questum ciens velit rei clarissimæ pugnaciter contradicere. Et ut hic etiam contrectes manu Auctoris incohærentiam, audi, quod scribit ipse, et non alius p. 123. Declarationum. *Quisque jus habet exprimendi sensa sua, ut ipsi placet, dummodo sensum definiat expressionum, quibus uiitur. Quisque jus habet; sed Schola jus non habet. Quisque jus habet; sed Theologi jus non habent. Jus habet Bolgenius; at non habent jus cæteri præter ipsum. Nonne Theologi definiunt, quid sit illis intelligendum terminis amor spei? Nonne tradunt clarissime amorem æternæ beatitudinis debere præcedere actum sperandi? Hic est igitur amor spei, de quo Theologi. Hic est amor spei, de quo S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 6. Spes præsupponit amorem ejus, quod quis adipisci se sperat, qui est amor concupiscentiæ.* Similia tradit aliis in locis, in quibus repetit, sperari non posse, nisi quod amatur, et desideratur.

15. At debemus, pergit Auctor, gloriam Dei extrinsecam quærere, quærendo tamen salutem nostram. Ita quidem, negavit nemo; sed res certa ad ambiguitatem refertur. Dum quis quærit Dei gloriam, quærit etiam in effectu, vel effective salutem suam; præmium enim, ut habemus ex Bernardo, mercatur in dies, et spiritus augetur gratia, et novo vigore reficitur; sed opus non est, ut semper operemur propter nostram æternam salutem tanquam propter motivum operationis nostræ. *Plerumque, inquit S. Thomas in 3. distinct. 29. q. 1. art. 4. aliquis mercedem ex opere non quærit, cui merces datur. Operatur anima justa ex motivo virtutis Obedientiæ, Religionis, Justitiæ, Fortitudinis, et Temperantiæ, ac reliquarum virtutum ab Spe Theologica distinctarum, qua in re suam salutem effective quærit, et mercatur præmium; nec tamen operandi motivum est merces ipsa. Operatur etiam sæpe ex motivo proprio virtutis Spei amando, desiderando, et expectando æternam Beatitudinem, qua in re ex mercede ipsi promissa immediate movetur. Sed interdum operatur ex altiori motivo, placendi scilicet Deo propter ipsum, gloriam Dei quærens, et*

bonum procurans Dilecti sui, atque desiderans, ut Nomen ejus Sanctum ubique dignoscatur, colatur, et clarificetur.

16. Et id ultimum est, ad quod in prima Orationis Dominicæ petitione instruimur, et quæ propterea ex communi Patrum sententia, ut nos docuit Suarius, ad virtutem Charitatis spectat. Nec ordo institutus a Christo servaretur, ut bene probat ex Augustino S. Thomas, si primæ illa petitio ad aliam virtutem pertineret. Nec nobis obest Cyprianus insinuans, nos debere petere perseverantiam finalem volentes, ut *Nomen Dei sanctificetur in nobis*; Ut enim notavimus ex Suario, sententia illa Cypriani commendatur a S. Augustino magis propter *veritatem doctrinæ*, quam propter *interpretationem propriam hujus petitionis*. Accedit, petitionem perseverantiæ finalis, quam hic indicat S. Cyprianus, facillime referri posse ad Charitatem, ut si quis petat a Deo perseverantiam finalem, quemadmodum Sanctorum multi petiverunt, ad laudandum nempe Deum in æternum. Cujus rei illustre nobis reliquit exemplum inclita Virgo, et Martyr Leocadia, quæ (ut legimus in officio apud Hispanos ad diem 9. Decembris) gaudens, quod habita fuerit digna pro Nomine Jesu contumeliam pati, flexis humi genibus in tetro, in quo jacebat, carcere, *precata est Deum, ut se (si ita expediret) è custodia corporis educeret, ad confitendum Nomini ejus*. Qua in Oratione ex vera in Deum Charitate profecta, exaudita est. Potest igitur perseverantiæ finalis a Deo postulari ex verissimo amore benevolentis erga Deum, ut dicebat David: *Educ de carcere animam meam, ad confitendum Nomini tuo*. Cui consonat, quod etiam legimus in Psalm. 83. *Beati, qui habitant in Domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te*.

17. Ad difficultatem alteram ex S. Thoma desumptam, quod ad amorem amicitis benevolentia pertinet, illud respondet Bolgenius, quod jam alias audivimus: pertinere quidem benevolentiam ad amorem amicitis, sed tanquam actum ab amore distinctum: nam ex virtute Religionis volumus Deo omnia bona sua et intrinseca, et extrinseca. Hic actus Religionis et ex amore nascitur concupiscentis, et in eundem recidit. Volo enim amico bona, quia me ipsum amo. Verum hæc responsio profligata jam est, et ad exitum usque non sine nausea perducta. Nunc autem unice dico, S. Thomam non scribere solum benevolentiam ad amorem amicitis pertinere, sed *in actu etiam dilectionis includi*, neque fieri posse, ut quis amet aliquem, quin ei velit bonum, *quia hoc est proprie amare, velle alicui bonum, et in hoc quod quis amat aliquem, ei vult necessario bonum*. Illa autem propositio, *quia me ipsum amo, volo bonum amico*, æquivoca est, et in sensu Bolgenij aperte falsa, dum sermo est de amicitia honesta, ex qua non amo me ipsum, sed amicum amo *toto pectore*, ut ajebat Tullius, propter ipsum. Est igitur vera, si *tò quia* significet, amorem sui præcedere debere, et esse quodammodo radicem, et formam amicitis

tiæ vulgaris, ubi intenditur bonum tantum particulare, ut nos docuit S. Thomas.

18 Quod addit Auctor de uxore volente incolumitatem mariti (ut est in Augustino) et volente quod sibi vult, est manifeste contra ipsum. Nam primum Augustinus hic explicat amorem *per bene velle*. Ponit enim rationem amandi in eo *quod vult* (uxor nimirum) *illum habere incolumem, vult illum habere felicem*. An hæc verissima benevolentia non est? Deinde sensum Augustini non assequitur, qui non ait, uxorem velle sibi incolumitatem mariti, sed velle marito, quod vult sibi; ut enim sibi vult incolumitatem suam, ita vult et marito incolumitatem ejusdem. Unde concludit S. Doctor: *incipit (amans) illam (salutem) amare in se, et ipsam cogitur veram amare in amico*. Denique etsi scriberet Augustinus, *uxorem velle sibi incolumitatem mariti*, non ideo formula vel tantillum moveret Auctores amoris benevolentia, apud quos in eo differunt amor concupiscentia, et amor benevolentia, quod primus intendit sibi bonum ut personæ a cæteris physice distinctæ, at secundus excludit hanc ad se reflexionem, et conversionem, cum bonum intendat alteri, qui unice est persona affective, et moraliter una cum ipso appetente. Patet utriusque discrimen apertissime in amicitia politica, ut alias insinuavimus. Si enim Civis velit bonum sibi ut personæ physice distinctæ a cæteris, non est ideo politicus verus, nec habet amicitiam politicam, sed seipsum tantum amat amore concupiscentia; at si Reipublicæ, vel Civitati bonum velit, veram habet amicitiam, verumque amorem benevolentia erga Rempublicam, et cum ipse sit pars Reipublicæ, eique unitus affective, bonum quod illi vult, sibi quoque vult ut uni moraliter cum Republica. Et hoc ipsum est, quod toties repetit Auctor, nec tamen sensum tenet: *amans reputat suum bonum amici: bonum amici recidit in bonum amantis*, et ejus generis alia, quæ quidem in exposito nuper sensu maxime vera sunt de Charitate Theologica; *nam qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo*.

19. In tertia difficultate explicare conatur Auctor, quomodo Deum amare possimus, non modo propter beatitudinem essentialem, sed etiam propter cætera beneficia tum naturalia, tum supernaturalia. Qua in re tria observo notatu dignissima. Primum est notabilis incohærentia doctrinae. Alterum explicatio parum congrua virtutis gratitudinis. Tertium singularis doctrinae Angelici interpretatio. Primum ut constet, ejus verba propono ita scribentis: *Considerando i benefizj di Dio (naturali, e soprannaturali) nella prima maniera (cioè come fini ultimi) è chiaro, che non si ama Dio per se stesso con amore di Carità Teologica: anzi si commete un disordine, e si pecca, poichè si fissa l'ultimo fine in cose, che non sono Dio*. Ex hac vera doctrina cuique perspicuum est, esse peccatum, Auctore Bolgenio, Deum amare propter aliquid tanquam finem ultimum, quod non sit Deus. Hæc

tamen est ipsa eadem propositio, quam in P. Dominico Corradi, Antoine, Filiucio, Layman, Anacleto, et in alijs Theologiæ Moralis Professoribus carpit, suggillat, reprehendit. Annon eorum ratio clara est, plana, et ineluctabilis? Qui Deum amat principaliter propter aliud tanquam finem ultimum, quod Deus non sit, ille profecto peccat, nefas admittit, damnatione dignus est; sed amans Deum principaliter propter beatitudinem suam tanquam finem ultimum, Deum amat principaliter propter id, quod Deus non est, cum beatitudo cuiusque sit quid creatum, et limitatum: ergo peccat, admittit nefas, dignus est damnatione. Quid ad hæc Bolgeni mi? Est ne in hoc syllogismo quidquam, quod jure reprehendas? Ingenij bonitas te ducit ad verum, sed te traxit ad manifestam falsitatem præoccupatio. Hæc de primo dicta sint, nunc ad alterum.

20. Virtus gratitudinis non satis explicatur a Bolgenio per duos illos actus: *recognosco fontem, unde derivantur beneficia*, et *protestor, me ab eo fonte illa recepisse*: addere item debuisset, *et volo recompensationem, quæ penes me sit, exhibere*. Ubi *recognitio, protestatio, recompensatio* actus sunt a gratitudine imperati, et *volitiones* recognoscendi, protestandi, et recompensandi eliciuntur immediate a virtute gratitudinis respicientis pro objecto motivo honestatem resplendentem in recognitione, protestatione, et recompensatione. Et hi sunt tres gradus, quos nobis reliquit ex Patribus S. Thomas, ut vidimus Cap. 2. Hac doctrina præmissa, explicare debuisset Bolgenius, quomodo amor enascatur ex gratitudine, tum quia ex beneficijs cognoscimus bonitatem, et affectum benefactoris, tum quia amor erga benefactorem propter se, quia bonus est, maxima est recompensatio ex parte nostra, ut aiebat Ambrosius, et scripsit Athanasius. Sicut enim benefactor gratuito, et sine utilitate, vel commodo suo nos amavit; ita æquum est, ut nos benefactorem gratuito amemus propter ipsum, nullam in recompensatione intendentes utilitatem, aut commodum nostrum. Et hoc est, ut dicebat S. Bernardus, *amorem reddere talem, qualem suscepimus*.

21. Vult autem Bolgenius, ut beneficium amemus tanquam medium ad æternam beatitudinem propter ipsam tanquam finem, et sic, inquit, amor erit Charitatis Theologiæ. Sed in primis necesse non est, ut ego sic amem beneficium expresse referens ad beatitudinem, nam possem illud honeste amare sine tali relatione. Deinde beatitudo satis non est ad constituendum amorem illum in specie Charitatis Theologiæ, quæ specificatur ab ipsa Dei Bonitate secundum se considerata. Tandem cum beneficium amatur propter Deum, non amem Deum propter beneficium. Nam id propter beneficia, ut dicamus aliquid de mala interpretatione S. Thomæ, significat ex S. Doctore, *causam materiale, causam dispositivam*, non autem medium amatum propter Deum. In quo autem sita sit ratio *causæ materialis, seu dispositivæ*

jam alias explicatum est . Quare mala est illa Auctoris argumentatio : beneficia tum naturalia , tum supernaturalia sunt medium ad cognoscendum Deum , et ad eum amandum : ergo amamus beneficia ut medium propter Deum ut finem ultimum . Quo enim filo id ultimum sequi possit ex primo , ego certe non capio . Namque potest aliquid me disponere , et ducere ad cognitionem , et amorem alicujus objecti , quin eo ipso amem illud , quod me ducit , atque disponit , propter objectum ipsum .

22. Quarta difficultas de discrimine Charitatis ab Spe Theologica , et de illius excellentia supra omnes virtutes adeo non solvitur ab Auctore , ut magis , et magis se implicet contra dictum Apostoli : *nunc autem manent Fides , Spes , Charitas , tria hæc : major autem horum est Charitas* . Ait enim primo , idem esse objectum Charitatis , et Spei , ut habetur ex S. Thoma 2. 2. q. 23. art. 6. ita scribentem : *dicendum , quod idem bonum est objectum Charitatis , et Spei* . Verum sic laudans S. Thomam non ejus verba attente considerat . Non inquit S. Doctor , *idem esse objectum Charitatis , et Spei ; sed idem bonum esse objectum utriusque virtutis , aliter tamen , et aliter* . Idem bonum , quod Deus est ipse , amatur per Charitatem , et per virtutem Spei desideratur , et speratur ; sed cum hoc notando discrimine , quod per Charitatem sistam in illo bono , quod Deus est , et per Spem velim mihi bonum idem regrediens ad me . Quod idem facile quisque videre poterit in naturalibus , ubi Ens v. g. sub una ratione est objectum voluntatis , et sub altera intellectus . Sic Deus est objectum Fidei , Spei , et Charitatis , alioquin non essent Theologicæ virtutes , nec tamen idem est objectum trium virtutum ; sed Deus ut in se bonus est objectum Charitatis , Deus ut habendus , et possidendus est objectum Spei , et Deus ut mysteria nobis revelans per testimonium externum est objectum Fidei . Bonum igitur Divinum secundum se , ut toties nobis tradit S. Thomas , est objectum motivum Charitatis ; et bonum divinum , *ut habeatur , et possideatur , est objectum Spei* .

23. Idem insinuat per alia verba *bonum futurum , arduum , possibile haberi* , significans Spei objectum esse bonum ut obtinendum , ut consequendum , vel adipiscendum . *Bonum divinum , inquit quæst. 7. de Spe , secundum se est objectum Charitatis , sed sicut adipiscendum est objectum Spei* . Et 2. 2. q. 17. art. 6. *Spes facit tendere in Deum , sicut in quoddam bonum finale adipiscendum Sed Charitas proprie facit tendere in Deum uniendo affectum hominis Deo , ut scilicet homo non sibi vivat , sed Deo* . Similia repetit alijs in locis non solum in Summa , sed etiam in 3. Sent. dist. 26. q. 2. art. 3. Ex quibus plane intelligitur , objectum Spei esse *futurum , arduum , possibile* , ratione consecutionis , cui verba illa propiissime conveniunt ; est enim consecutio Dei verissime *ardua , futura , et possibilis* , et ex illa denominationem accipit bonum assequendum , quod proinde dicitur *possibile* ,

futurum, arduum. Non quod arduitas sit ratio motiva, nam arduum ex D. Thoma non est ratio accedendi, vel appetendi.

24. Ait secundo Auctor, amorem ad concupiscibilem pertinere, spem autem ad irascibilem; est igitur inter hos actus ingens discrimen. Pro Antecedentis probatione nos remittit ad S. Thomam 1. 2. q. 40. art. 1. illam actuum distributionem statuentem. Sed vero hic primum illud observo, Auctorem nostrum p. 110. Dissertationis suæ tanquam certum, et indubitabile statuisse, ad concupiscibilem pertinere amorem, et actus, quibus voluntas tendit ad bonum, et ad irascibilem pertinere odium, et actus, quibus refugit malum. Cur igitur hic ad irascibilem revocat spem? An voluntas per illum actum refugit malum, illud arcet, et a se avertit, an potius ingenti conatu fertur in bonum, quod prosequitur? Profecto S. Augustinus 14. de Civit. Dei cap. 7. et 9. ponit cupiditatem loco spei, ut observat S. Thomas 1. 2. q. 40. art. 1. qui et spem supponit versari circa bonum dicens; *Non enim proprie loquendo est spes nisi de bono, et per hoc differt spes a timore, qui est de malo.*

25. Deinde lego S. Thomam loco ab Auctore laudato, et video distributionem illam actuum tributam S. Doctori non fuisse a Bolgenio intellectam. Non enim loquitur S. Doctor de Amore, et Spe Theologicis, vel spiritualibus, sed de passionibus materialibus amoris, et spei, pro quibus unice admittit divisionem *concupiscibilis, et irascibilis*. Audi eum sic loquentem 2. 2. q. 18. art. 1. corp. *Cum sit duplex appetitus in homine, scilicet appetitus sensitivus, qui dividitur per irascibilem, et concupiscibilem, et appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas... illi motus, qui sunt in appetitu inferiori sunt cum passione, in superiori autem sine passione.* Et ad primum ut ostendat objectum Spei Theologicæ non esse objectum irascibilis, sic ait: *Dicendum, quod irascibilis objectum est arduum, sensibile; objectum autem virtutis Spei est arduum intelligibile, vel potius supra intellectum existens.* Clarius tamen, et fusius doctrinam eandem tradit S. Doctor in 1. p. q. 82. art. 5. ubi ex professo probat, irascibilem, et concupiscibilem non esse partes appetitus intellectivi. Ex hoc ergo capite nihil omnino adjumenti pro se invenire potest Auctor in S. Thoma, sed unice detegit errata duo, scilicet non levem incohærentiam doctrinæ, et S. Doctoris allegationem non rectam.

26. Nec ideo tamen volo dissimulare, S. Thomam in hoc ultimo loco ad 2. permittere, ut *voluntas possit dici irascibilis, prout vult impugnare malum, non ex impetu passionis, sed ex judicio rationis, et eodem modo potest dici concupiscibilis propter desiderium boni.* Id vero Auctori prodesse non potest pro assignando discrimine Charitatis ab Spe in opinione sua. Nam Spes ut tendens in bonum promissum adipiscendum erit Charitas, et participabit rationem *concupiscibilis, et ut innititur auxilio divino ad impugnandum malum, erit*
Spes,

Spes, et participabit rationem *irascibilis*. Erit igitur a Charitate indistincta: quod affirmari non potest.

27. Ait tertio, magnum esse discrimen inter amorem et spem, quia hæc sine amore esse non potest, potest autem sine spe reperiri amor. Quid ita? An quia Charitas esse potest sine Spe, cum tamen sine Charitate non possit consistere actus Spei? Sed vero hæc falsa sunt plane, nec id dicere potest Bolgenius. Nisi tamen hoc dicere intendat, nullum est effugium. Nam id in præsentem versamus, an amor beatitudinis speratæ prærequiratur ad actum sperandi? Si affirmet, jam actus Charitatis ad beatitudinem tendentis præcedit actum sperandi. Si neget; ergo potest sine amore consistere Spes Theologica. Præterea amor, et desiderium beatitudinis est actus elicited ab Spe Theologica; ut enim inquit S. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. *nunquam speratur aliquod bonum, nisi desideratum, et amatum*. Sed amor, seu desiderium beatitudinis speratæ est juxta Bolgenium actus Theologicæ Charitatis: Spes igitur se sola satis est ad eliciendum actus Charitatis. Hæc igitur vel est nulla, vel ab Spe non distinguitur.

28. Propter hæc ait quarto: Charitatem, et Spem duas esse virtutes, et differre in diverso modo tendendi in suum objectum. Hac tamen diversitate subtimide insinuata, rem illico transfert ad diversitatem objecti addens: *vel ut clarius loquar in diverso aspectu, in quo idem objectum ab homine consideratur*. Nam si *felicitas hominis consideretur ut dulcis, et jucunda homini, excitat desiderium felicitatis*. Et hoc desiderium est Charitas. Si vero *felicitas consideretur, ut possibilis obtineri, excitat quandam dulcem persuasionem, seu fiduciam* (id enim credo, eum significare velle illis verbis, *una certa lusinga*) *illam obtinendi*. Mira lego, Bolgeni, in tua Dissertatione, nec crediderim a sapiente homine adoptandam eam rationem scribendi, ut se posset a difficultate quoquo modo propere. Primum itaque, si idem est objectum Charitatis, et Spei, discrimen actus Charitatis ab actu Spei non potest facile repeti ex modo diverso tendendi. Nam actus voluntatis penes tendentiam primariam, seu prosecutivam sunt *amor, desiderium, et gaudium*, et penes aversivam, seu secundariam *odium, fuga, et tristitia*, et ad has affectiones referuntur cæteræ affectiones *spei, desperationis, audaciæ, timoris, et iræ*, de quibus Prolegomeno primo. Actus igitur sperandi vel est amor, vel desiderium, vel gaudium, nisi falso dicatur, pertinere spem ad tendentiam aversivam voluntatis; sed actus sperandi non est per te amor, nec item esse potest gaudium: est igitur desiderium. Atqui Charitas præter actus amoris, et gaudii elicit etiam desiderium circa suum objectum, imo in hoc ipso desiderio collocas tu ipse actum amoris Charitatis in via: ab hoc ergo desiderio non poterit distingui ex modo tendendi actus sperandi, si semel statuatur idem esse objectum utriusque.

29. Deinde quid sibi vult dicere, *objectum ut possibile ad obtinendum excitat actum sperandi*? Hæc ratio loquendi, nisi aliud addatur, videtur mihi parum, aut nihil significare pro assignanda ratione motiva Spei Theologicæ, præsertim cum video, actum sperandi designari nomine illo *una certa lusinga*. Quot enim bona possible Bolgenio sunt, quæ tamen nec sperat ille, nec sperare prudenter potest? Igitur locutio illa, vera ut sit, unice significare debet, possibilitatem adeptionis boni esse conditionem unam ex necessariis ad sperandum, sicut est necessaria divina promissio tum beatitudinis, tum auxilii a Deo præstandi, id quod Fides regulans actum Spei proponere debet, priusquam eliciatur actus sperandi. Sed spes cum sit prosecutiva boni, quod sibi quisque sperat, tendere necessario debet, et moveri a bono dulci, jucundo, et delectabili, nam spes aliquid sibi obtinere intendit. Ex quo necessario conficitur, actum, quem nobis Auctor repræsentat ut veram Dei Charitatem, esse actum Spei tendentem in beatitudinem ut sibi bonam, jucundam, dulcem, et delectabilem. Quod si actum Spei velit realiter distinguere ab actu desiderii beatitudinis, huic sane desiderio elicitio ab Spe convenient omnia illa attributa, quæ dabat Auctor suo Charitatis desiderio. Nam sicut sine amore dari non potest spes, ita nec sine desiderio, ut nos docebat S. Thomas. Reliquum est igitur, ut in Bolgenii systemate nulla sit omnino distinctio inter Charitatem, et Spem, et ut Charitas major esse non possit Spe Theologica contra Apostoli verba sæpius, ut exigit argumenti dignitas, repetita.

30. Quintam difficultatem ut solvat Auctor, tria proponit. Primum: hominem amantem ex Charitate Deum et se ipsum etiam amare, ut docuere Bernardus, et Hugo Victorinus, quod item tradiderunt Augustinus, et Prosper. Alterum: diligere quoque Deum ex amore amicitie magis quam se ipsum auxilio actus benevolentie, ut explicat optime Antoninus ex D. Thoma. Tertium: hominem diligere Deum *propter ipsum* esse Deum diligere, quia ipse est fons, et objectum æternæ beatitudinis, non quia daturus est nobis aliquid a se distinctum, sed quia nobis se videndum daturus est, ut constat ex Patribus, et præsertim ex Augustino multis in locis. Quamquam hæc tria discussa sunt nobis in præcedentibus, et ostensum est abunde satis, Bolgenii conatus omnes hac in re non esse certe efficaces; quia tamen eos renovat in ultimo capite, ut magis percellat imperitorum animos; aliqua etiam hic addenda sunt nobis, quibus planius ostendatur falsitas opinionationis Bolgenianæ. Ut igitur incipiamus a primo, illud extra controversiam ponimus, hominem ex Charitate diligere non modo proximum propter Deum, sed etiam animam, et corpus suum propter eundem, imo et Charitatem ipsam, cæterasque virtutes; sed hoc in amore omnia, quæ ita amantur, non sunt objecta motiva, sed terminativa, non objecta formalia, sed materialia, unaque D-

bonitas secundum se considerata est objectum formale, et motivum amoris, qua de causa dicimus, omnia illa amari propter Deum.

31. Majus aliquid intendere tamen videtur Auctor, quod nimirum nullus sit amor Dei, qui creaturæ amor non sit. Verum hac in re egregie fallitur, dum Patrum subsidium implorat. Vidimus enim ex Augustino, Leone, et Bernardo, quo pacto amator Dei sit amator sui, et qua ratione qui Deum amat, se ipsum amet, et qui Deum non amat, seipsum non amet, nempe amore *salubri*, amore *in effectu*, amore, qui *nobis prodest*, amore, qui *præmium mercatur in dies*: quo eodem sensu loquuntur de odio. Unde S. Bernardus rem explicat partitione ipsa ad usum Scholæ tornata *in affectu* scilicet, et *in effectu*. Id quod notare quoque debuisset Auctor in verbis S. Prosperi, quæ pro se adducit. *Charitatem*, inquit S. Parens, *habens, quæ est de corde puro . . . diligit Deum, et proximum, sicut se ipsum. Amator enim Dei amator est sui, et non diligens Deum non diligit se ipsum*. Nunquid ille, qui Deum non diligit, amare non potest se ipsum? Non amabit quidem se ipsum salubriter, et effective in ordine ad præmium, sed se ipsum amare poterit non salubriter, et per amorem sui noxium sane, sed philosophice verissimum. Similiter notare debuisset veritatem istam in verbis, quæ ex Augustino describit: *Et quoniam nisi diligit Deum, nemo diligit se ipsum*. Quod est omnino conforme sententiæ, quam tradit 1. de Morib. Eccl. cap. 26. n. 44. *te autem ipsum salubriter amas, si plusquam te diligit Deum*. Quis non videat sermonem hic esse, sicut in pluribus aliis, de dilectione, seu amore eodem salubri, vel in effectu, non autem de amore in affectu?

32. Cum ad secundam venio responsionem Auctoris ex Antonino, ut ait, desumptam, illud clare video, quod jam alias insinuavi, valere plurimum pro mentis acie quantumvis perspicacissima obtundenda opinionem semel conceptam. Qua enim alia ratione fieri dicam, ut Auctor ille, qui sic præclare probavit ingenium suum eruditus ijs in Operibus, in quibus vere subtiliter, et strenue Ecclesiam Dei, rectamque de hominum moribus doctrinam tuetur, idem cum de Charitate disserit præ reliquis virtutibus potissima, hanc nobis traderet explicationem amoris Dei super omnia? *Idcirco Deum amamus super omnia, quia præter amorem concupiscentiæ, per quem diligimus nos fruitionem in Deo desiderantes, tenemur ex virtute Religionis elicere actus benevolentiae erga Deum, quibus de Deo gaudemus, et ejus gloriam augeri, et extendi desideramus*. Miror equidem, si mens acuta, et solida tanti Viri huic acquiescat Charitatis explicationi, cujus insufficientiam, et incongruitatem videbunt plane Theologi inferioris præ eo et meriti, et acuminis, et doctrinæ. Quodque majus est, hanc esse existimet explicationem S. Antonini, illius nempe Doctoris, qui tanto valuit ingenio, ut omnes ferme Scientias per se nullo usus Præceptore didicerit. Ut igitur ab hoc ultimo incipiam, nonne vidimus

ex S. Antonino fidei S. Thomæ interprete, ne dicam exscriptore, quod velle bonum alicui sit amor benevolentia: quod benevolentia importat solam amationem unius ad alterum: quod Creaturae clamant, Deum amandum, ostendendo Deum esse dignissimum amore nostro: quod una sola ratio diligendi attenditur in Charitate principaliter, scilicet Divina Bonitas: quod magis amamus Deum amore amicitia, quam amore concupiscentia, quia majus est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus ipso fruendo, et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex Charitate, quam se ipsum: quod hoc, quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentia? Considera, quæso, Bolgeni, rationem hanc loquendi S. Antonini: Creatura magis Deum amat, quam se ipsam, quia majus est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus, ipso fruendo. Quibus in verbis majoritatem amoris desumit ex majoritate objecti, et quia amor amicitia, et benevolentia tendit in Deum in se bonum, et amor concupiscentia solum in Deum a nobis participandum.

33. Præterea ratio ipsa per se ostendit a nemine probandam explanationem istam: Ex amore concupiscentia præcise considerato non diligimus Deum magis, quam nos, sed accedente actu Religionis, qualis est benevolentia, jam Deum diligimus magis, quam nos ipsos. Certe nemo potest Deum magis diligere nisi per dilectionem majorem, id quod per se notum esse videtur: atqui actus Religionis nec est amor, nec pars amoris, nec dilectio, nec pars dilectionis: ergo non potest facere dilectionem majorem in ratione dilectionis: ergo fieri nequaquam potest, ut accedente benevolentia actui amoris concupiscentia, magis ego Deum diligam, quam me ipsum, si amor ipse concupiscentia per se majorem illam dilectionem non præstat. Veritas hæc adeo est intima cuique, ut in omni disciplinarum genere tanquam certa teneatur vel ex sola notionum, verborumve penetratione. Quapropter illam Bolgenij expositionem rejiciet Logicæ Professor, qui consecutionem magis certam, magisve probabilem concipere non potest sine majore certitudine, vel probabilitate. Rejiciet Physicus, apud quem subjectum esse non potest magis calidum sine majori calore. Rejiciet Psychologus, qui majorem requirit cognitionem ad magis cognoscendum. Nec Ontologus admittet objectum magis bonum, aut verum sine bonitate, aut veritate majore. Idem dico de cæteris Facultatibus, ut de Theologia, Ethica, Mathematica. Nec enim persona esse potest magis sancta et grata, magisve temperans sine majore sanctitate, et gratia, aut temperantia; nec lineam magis extensam, aut figuram magis quantam concipies, nisi majorem concipias extensionem, et quantitatem. Neque enim in gratia certe, et Charitate locum habere potest paucorum in Philosophia Auctorum jam fere antiquata sententia de majori nescio qua ejusdem indivisibilis qualitatis radicatione: gratia quippe ipsa juxta Tridentinum augetur in justis adveniente nova gratia.

34. Quod si manus adhuc dare recusas urgentissima ratione pressus, est tamen etiam aliud, quod tibi propono. Celsum amoris amicitiae, ex quo Deum diligimus, in eo potissimum continetur, quod summum illud Bonum diligimus *super omnia*, atque ideo super nos. Sed hæc excellentia repetenda est in tuis principiis ex actu benevolentiae; nam solus amor concupiscentiae sine benevolentia non amat Deum magis, quam nos, accedente vero actu benevolentiae jam Deum super nos amamus. Illa igitur perfectio, et majoritas ab actu provenit Religionis, vel ipse est potius. Actus ergo Religionis perfectior erit, et major, quam actus Charitatis Theologicae. Quid autem dicemus Apostolo Fidelibus intimanti: *major autem horum est Charitas?* Et si Charitas major est cæteris virtutibus Theologicis, quantum illa relinquet post se virtutes omnes morales, quas inter virtus Religionis infusa, et supernaturalis numeratur?

35. Ponamus duos homines, quorum unus desideret efficaciter æternam beatitudinem, et simul eliciat actum benevolentiae erga Deum; alter vero desideret quidem efficaciter æternam felicitatem, at non eliciat actum benevolentiae. Profecto primus Deum amabit *super omnia* in principiis Auctoris, secus vero secundus. Quid, quæso, discriminis est inter eos amatores? Non aliud certe nisi quod ex actu Religionis repeti potest, cum æquales esse possint in desiderio beatitudinis. Ergo ex actu Religionis repetenda est excellentia amandi Deum super omnia. Erit igitur actus Religionis potior, ac excellentior, quam ipse actus diligendi. Dices forsitan, actum præfatum Religionis oriri ex amore tanquam ex radice. Verba sunt ista ad rem, de qua agimus, impertinentia. Oriatur, nascatur, et pullulet ex amore benevolentia. At benevolentia per te non est amor. Ergo nihil obtines. Deinde non est, unde probetur, ut alias evici, tanta connectio inter amorem, et tuum hunc actum Religionis, ut hic ex alio necessario nascatur. Tandem tu ipse, Bolgeni mi, quia tuæ intererat causæ, scripsisti in Declarationibus p. 77. *inoltre questi due atti non sempre si accoppiano insieme, potendosi fare atti di amore senza far atti di benevolenza*. Ergo, te ipso iudice, actus benevolentiae non necessario oritur ex amore.

36. Quod tertio loco respondetur, Deum esse diligendum propter ipsum idem esse apud Patres, et præsertim Augustinum, atque diligendum esse Deum, quia ipse dat se, quia eo fruendum est, sustineri minime potest in sensu ab Auctore præfixo, quasi nimirum Deum quærere propter Deum, ut ait ipse, *aliud sit nihil, quam desiderare visionem beatificam*. Nec enim visio beatifica, nec fruitio Dei, qui sunt actus vitales hominis, sunt Deus ipse, sed finis quo pervenitur ad Deum. Tamen expressiones illæ, quibus non semel utitur Augustinus, dedere aliquibus Theologis occasionem, aut fundamentum ad stabiliendum amorem quandam concupiscentiae perfectæ ad Charitatem.

tatem pertinentis, sic scilicet ut in loco suo primario maneat amor amicitiae, et benevolentiae. De hac opinione ininime disputo. Utrinam Bolgenius Cl. Magistrum suum Joannem Baptistam Faure in hac re imitatus esset, et hac ejus sententia probata, amorem benevolentiae non negasset. Non ille dedisset locum tot obscuris anfractibus, et reflexionibus, quibus systema suum stabilire contendit, nec me in praesenti cogeret, ut in memoriam revocarem ipsi monitum laudati Praeceptoris, quod habetur in notis, quibus S. Augustini Enchiridion illustravit. Cum enim duos actus Charitatis, alterum benevolentiae, et concupiscentiae alterum credat ille Theologus ab Augustino describi, advertit, caute legendum esse S. Doctorem, etiam cum loqui videtur de amore benevolentiae: *non est, inquit, quod mens nostra statim apprehendat, nisi ibi de amore Dei, quem nec dari negamus, nec negamus esse perfectum, quem optime distinxit S. Bonaventura verbis illis: qui vult, quod Deus ipse sit summum Bonum.* Si hos intra fines constitisset Auctor explicans Augustinum locis ab eo laudatis tum de actu benevolentiae erga Deum, tum de actu concupiscentiae fruitionis aeternae, quos insinuare videtur S. Doctor, in nostro nos otio reliquisset.

37. Namque hic opinandi modus, quem tenuit laudatus Bolgenij Magister, salvat ex una parte, Deum esse amandum *propter se ipsum* per amorem verissimum benevolentiae, et ex altera admittit actus concupiscentiae perfectae aeternae nostrae beatitudinis, quos ad ipsam refert Charitatem Theologicam. Et de his extremis actibus, non autem de perfecto illo benevolentiae intelligenda judicat, quae hinc, et inde congeruntur Augustini testimonia, ex quibus ad summum unum illud confici posse videtur. Sed vero nec id ipsum concedendum arbitror, posse nimirum ad Charitatem Theologicam pertinere elicitive actum alique in concupiscentiae. Nam in exponendo Augustino ad verum sensum unius amoris benevolentiae ducem habeo S. Thomam, ducem Suarium, ducem item communem Theologorum sensum. Nec ullum adducet cl. Dissertator testimonium Augustini, quod non praecipuè S. Thomas tribus illis animadversionibus, quas dedimus, et comprobavimus fuisse. Prima habetur 22. q. 27. art. 3., ubi notat S. Doctor, Deum *propter se, in se, et secundum se* amandum esse ex Charitate, et solum diligere propter aliud, ut causam dispositivam, puta, *per beneficia ab eo suscepta, vel per praemia sperata, vel etiam per poenas, quas per ipsum vitare intendimus.* Altera I. 2. q. 2. art. 6. ubi delectatio distinguitur accurate ab objecto, cui uni tribuitur ratio movendi, unde propter aliud objectum motivum appetatur delectatio, licet non appetatur propter alium finem adaequate distinctum. *Si vero dicat ly propter causam formalem, vel potius causam motivam, sic delectatio est appetibilis propter aliud, id est, propter bonum, quod est delectationis objectum.* Tertia tandem ex

1. 2. q. 28. art. 1. ubi nos docet Angelicus, amicitiam aspirare ad unionem realem, vel quasi realem cum amato: *Quædam vero unio est effectus amoris, et hæc est unio realis, quam amans querit de re amata.*

38. Ex his S. Thomæ principijs facile corrui, quod obijcitur ex Augustino, apud quem *Deum amare gratuito propter ipsum non est desiderare visionem beatam, seu fruitionem propter ipsas tanquam causam motivam amoris, sed propter Deum, ut verum, et unum motivum amoris.* Quod vel hic etiam indicat S. Doctor ita scribens: *Rectum itaque cor cum Deo est, quando propter Deum Deum querit.* Ergo motivum inquisitionis, seu desiderij serviendi Deo, videndi Deum, et fruendi Deo, est ipse Deus, non visio, vel fruitio. Item *quid est gratuitum? Ipse propter se, et non propter aliud.* Si igitur non propter aliud, ergo non propter visionem, vel fruitionem. Præterea *hoc colitur, quod diligitur, et gratuitum sit, quod amatur, et quod laudatur.* Ex quibus habemus, idem esse objectum, cui cultus exhibetur, ac objectum motivum amoris, et non aliud esse objectum motivum laudis, quam objectum motivum amandi. Sed nec visio, nec fruitio est objectum, cui exhibetur cultus, nec objectum, quod laudatur, sed Deus ipse omni cultu, omni laude dignissimus: ergo Deus ipse propter se, non visio, et fruitio propter se est objectum motivum amoris. Unde hic repetere possumus, quod alias ex Augustino exscripsimus: *Quare amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quam ille, a quo facta sunt? Ametur igitur visio beata, ametur essentialis beatitudo, nam pulchræ sunt istæ, rectæ, et honestæ; sed amentur etiam modo perfectissimo, nimirum propter Deum. Desiderandæ sunt illæ, sed modo etiam perfectiori desiderentur, ut sunt unio maxima cum amato, ad quas aspirat Charitas, ut amans in æternum fiat amati.*

39. Hæc est Augustini germana mens, quando statuto millies objecto amoris *propter ipsum, et non propter aliud*, ait, nec vero infrequenter, ut ipse fateor, Deum caste, et gratuito colendum, et amandum, non quia dat temporalia, sed *propterea quia dat se*, et non aliquid extra se. Item amorem esse castum, cum desiderat amans *videre Deum.* Nam illa verba, *quia dat se, quia desiderat videre Deum*, non signant *ditionem*, ut ita dicam, et *visionem* esse objectum motivum amoris, sed esse *consecutionem, comprehensionem, et unionem* amati propter ipsum. Id quod Theologi brevissime expediunt verbo dicentes, *visionem, et fruitionem esse finem quo pervenitur ad amatum, ut finem ad quem tendimus.*

40. Hæc autem res ut melius ponatur ante oculos, placet subijcere exemplum S. Ignatij a Loyola peritissimi certe in arte amandi Deum, quod nobis tradidit P. Ribadeneira in ejus vita lib. 5. cap. 1.; sic enim hic scribit ad rem nostram. *Judicabat, sicut olim Apo-*

stolus, melius sibi esse dissolvi, ac esse cum Christo, quam vitam in carne mortali vivere. Et hoc ardebat desiderio, non solum, ut summum Bonum sibi acquireret, et ut in eo per visionem beatam requiesceret, sed multo magis, ut videret felicissimam gloriam Sacratissimæ Humanitatis Domini sui, quem ardentem amabat; non aliter atque amicus solet gaudere de amico, et lætari videns eum, quem ex corde amat, constitutum in loco alto, et in honore supremo. Nunc autem ego quæro, hoc intensum desiderium Ignatij videndi Dominum, quem ardentem amabat, movebatur ne ex visione ipsa, an ex bonitate, dignitate, et excellentia amati? Quærebat ne Ignatius visionem in ea sistendo, an potius visionem propter amatum desiderabat? Intentus erat Ignatius suum in commodum, et utilitatem propriam, an in gloriam amati respiciebat, qua una contentus erat, et omnino satius? Atque hinc colligere quisque poterit, quam mercedem intendant Sancti in actibus purissimis amoris Dei, de qua in ultima difficultate loquemur, nempe illud præmium, illam mercedem intendunt, de qua Chrysostomus, Bernardus, et Pomerius, Deum esse eum, qui est, Deum esse gloria affectum, Deum esse Dominum in æternum cordis eorum.

41. At enim, inquit Bolgenius, negari non potest, Augustinum Fideles ad Charitatem hortantem, et ad amandum Deum amore casto, et gratuito, illam nobis rationem proponere, quia dat se, non temporalia, quia æterna daturus est, non terrena. Audio, quod dicis, et quod proponis libentissime fateor, illud adjungens frequentius apud S. Doctorem inveniri, Deum colendum gratis, et amandum gratuito propter ipsum, et non ut aliud ab ipso accipiatur: atqui visio beata, et fructio Dei est aliquid a Deo distinctum: qui ergo ob illam Deum coleret, amaretque, non eum amaret gratis, nec gratuito coleret. Illa igitur Augustini contrapositio, Deus amandus propter se ipsum, non propter temporalia, et terrena, non est adæquata, quasi nihil esset medium inter Deum, et temporale, atque terrenum, sed inadæquata, per quam intendit S. Doctor ex affectione ad extremum illud nobilius propter ipsum excludere affectionem ad aliud extremum propter temporale, et terrenum, quod sæpe solet esse vitiosum.

42. Id quod volenti, nolentive Auctori fatendum est; neque enim in suo Systemate contrapositio potest esse completa. Ratio est evidens, quia Bolgenius illis verbis propter ipsum intelligit beatitudinem essentialem. Sed inter beatitudinem essentialem, et bona terrena, temporalia datur aperte medium, ut nemo non videt. Nam præter dona supernaturalia, quæ Deus suis concedit abundantissime in hac vita, quæ terrena non sunt, dantur et alia multa in altera vita, quæ nec terrena sunt, nec temporalia, sed æterna, et cælestia. Pone, si placet, beatitudinem formalem in visione, pone illam in amore, pone, ut probabilius videtur, in complexo utriusque, nam positus his duo-

duobus actibus datur perfecta conjunctio cum ultimo fine, ultima in suo ordine; quot vero sunt alia in anima beata, quæ licet ad essentialem beatitudinem non pertineant, illum tamen statum perfectissimum beatitudinis comitantur? Hinc dona Spiritus Sancti, virtutes supernaturales, et acquisitæ, dotes, fructus, et laureolæ, aliaque multa sunt ultra beatitudinem essentialem, et tamen bona sunt cælestia, et æterna per se se expetibilia. Quod idem de corporis beatitudine certum est. Sicut igitur apud Augustinum non esset amor Dei gratuitus propter ipsum amor horum bonorum cælestium, et æternorum, licet non sit amor rei temporalis, atque terrenæ, ita qui propter se ipsam amaret beatitudinem essentialem, non ideo Deum amaret *propter ipsum*. Consulto itaque S. Doctor contraponit amorem Dei *propter ipsum* amori terreno, et vitioso rerum temporalium, quia cæteri amores honesti virtutum, et multo magis Spei supernaturalis virtute referuntur ad Charitatem, quæ omnium præceptorum est finis, et complementum. Accedit, Spem ad Charitatem gratuitam mire disponere, ut sæpe diximus: ergo cum Sancti Patres tractant de amore vitioso extirpando, et de peccatoribus ad Dei amorem revocandis non erat opus distincte proponere nisi duo extrema, et cum dicunt amandum esse gratis Deum propter se ipsum, *quia dat se, quia dat æterna*, unice significant per *to quia* causam dispositivam, ut Deus propter se ipsum ametur. Id quod plane vidimus ex Bernardo, et Pomerio.

43. Et vero quis dobitet, quin divina promissio æternæ beatitudinis mirifice nos disponat ad Dei Bonitatem amandam propter se ipsam. Primo, quia erigimur in Spem videndi Deum, eoque fruendi, quæ quidem Spes scala est ad amandum eum, in quo, et a quo speramus. Secundo, quia excitat in nobis gratitudinem, unde et amor erga benefactorem sponte sua resultat. Tertio, quia nobis ostendit magnitudinem Bonitatis infinitæ sic sponte, gratis, et voluntarie volentis se creaturæ communicare. Hinc hæc propositio, *ama Deum propter ipsum, quia dat se tibi videndum, et fruendum*, habet hunc verissimum sensum: Ama Deum propter ipsam Bonitatem infinitam tantam in se, ac talem, ut non dedignetur se tibi communicare. Ubi nemo non videt, communicationem non esse motivum amandi, sed medium me ducens ad cognitionem Divinæ Bonitatis, in qua plenarie residet motivum amoris.

44. Omnia mihi videntur esse perspicua in amicitia honesta unius hominis ad alterum. Profecto multa præcedere solent, quæ ad hoc genus amicitiaæ disponunt, nec sunt tamen objectum motivum amicitiaæ; multa item consequuntur amicitiam ipsam, quæ sunt fructus, qui ex amicitia relinquuntur. *Confirmatur amor, inquiebat Tullius, beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta, quibus rebus ad illum primum motum animi, et amoris adhibitis admirabilis quæ-*
dant

dam exardescit benevolentiae magnitudo. At quodnam est objectum motivum tam magnae benevolentiae? Non est ex Tullio beneficium acceptum, non adjuncta consuetudo, sed virtus, sed probitas, ex quibus perspectis etiam in hoste moventur animi hominum. Addit, utilitatem non quaesitam efflorescere ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. Tria haec in amicitia supernaturali, et honestissima cum Deo modo quodam eminentissimo reperiri, et ab Augustino frequentissime insinuari, nemo non videat. Deus amandus est propter se ipsum, id est, propter suam virtutem, bonitatem, et probitatem. En objectum immediate motivum amicitiae, et magnitudinis benevolentiae erga Deum. Amandus est Deus propter ipsum, non quia dat terrena, et temporalia, sed quia dat se videndum, et fruendum. En causam mire disponentem ad amorem. Quis enim non amet Deum propter summam illam Bonitatem, quam talem, ac tantam in se esse considerat, ut velit se gratis vilissimae creaturae communicare? Amandus est Deus propter ipsum, ut ejus sis in aeternum, in quo nihil non habebis. En fructus ex amicitia efflorescentes, etsi in ipso amoris actu minus secutus sis utilitatem tuam, et in bonum amati procurandum totus incumbas.

45. Ex dictis constat, quam sit caute exponenda in opinione Bolgenij propositio illa, quam nobis exhibet p. 141. Dissertat. *Amare Deum propter se ipsum est amare Deum, quia ipse in Essentia sua, et in Attributis suis est objectum, et fons aeternae nostrae felicitatis.* Porro si haec propositio specificative sumatur, ut inquit Theologi, et sensus sit, *est amare Deum, qui revera in Essentia sua, et Attributis est objectum, et fons aeternae felicitatis*, nemo eam negabit Theologorum; at si reduplicative sumatur, ut eam sumit Auctor, et sensus sit, ipsam nostram felicitatem influere etiam partialiter in amorem Dei propter ipsum solum, adeo non est vera, ut implicet in terminis peraperte, cum visio, fruitio, felicitas sint aliud a Deo, Et tamen in hoc secundo sensu nobis illam representat Cl. Auctor tum hic p. 144. scribens, *amare Deum propter se ipsum est Deum querere ut objectum nostrae delectationis . . . Querere Deum propter Deum est desiderare visionem beatam Dei in Paradyso* Et p. 147. S. *Augustinus loquitur de motivo propter quod amandus est Deus, cum dicit, propterea quia dat se. tum. p. 52. ubi dicit, nos amamus (ex Charitate propter Deum solum) ut obtineamus possessionem aeternam Dei.* Tandem tota illius Dissertatio eo tendit, ut objectum motivum amoris sit fruitio, sit delectatio in Deo (*il godimento*), et hunc in finem Patrum sententias collegit, disposuit, et ornavit. Falsa est igitur, et implicans in terminis haec explicatio Bolgenij, qui ex una parte vult Deum propter se ipsum solum diligendum, (qua in re admittit plane amorem benevolentiae) et ex altera parte, ut statuatur amorem concupiscentiae, dat locum alteri motivo, delectationi scilicet, et felicitati, seu visioni a Deo distinctis.

46. Ad extremum præ doctrinæ traditæ complemento, tria hic aduerto, quæ velim tandem a Bolgenio rite intellecta. Primum, quærere visionem Dei, desiderare fruitionem in Deo, aspirare ad felicitàtem æternam sed propter Deum tanquam rationem motivam inquisitionis, desiderij, et aspirationis esse verum actum Charitatis Theologicæ, qui sine benevolentia stare non potest. Unde si hoc tantum Bolgenius intenderet, unum nobis traderet amorem benevolentiæ. Secundum, amorem concupiscentiæ erga Deum, de quo Theologi, talem esse debere, ut non respiciat Deum tanquam unicum motivum amoris, cum sua etiam vis partialis movendi competat visioni, aut fruitioni: sic enim recte concipitur, quo pacto Deum velim mihi, et me amem hoc ex amore, bonum mihi quærens. Si ergo Bolgenius Theologos imitatur in *notione* ipsa amoris concupiscentiæ, et a *nomine* ipso non discedit, dicere necessario debet, amorem concupiscentiæ non concipi propter Deum solum. Alioquin Dissertatio ejus erit de subjecto non supponente, nec impugnabit Theologos, cum non conveniat in *notione* amoris concupiscentiæ, quæ traditur in Scholis; sed aliam sibi præfigat notionem, ideam, et naturam. Tertium, quod amor sit benevolentæ, seu concupiscentiæ, non in eo consistere, quod cognitio regulativa amorum nobis Deum proponat vel in se, vel sub aspectu, vel respectu ad nos. Potest enim cognitio supernaturalis, ut alias notavi, proponere nobis Deum, non solum ut bonum conveniens, sed etiam ut bonum nos beatificans, et voluntas gratia Dei præventa sese determinare ad amorem infinitæ Bonitatis propter ipsam. Vera igitur ratio discriminis inter illos amores in eo sita est, quod amor benevolentæ sistit in Divina Bonitate, quin ad amantem reflectat, aut regrediatur; et amor concupiscentiæ sic tendit in Deum, ut non sistat in eo, sed regrediatur ad amantem, qui ex vi amoris quærit sibi aliquid habere. Ex quo fit, ut primus velit bonum amato, et secundus velit bonum amanti.

47. In ultima difficultate nihil addit Auctor, nisi quod sæpissime dixerat, Charitatem scilicet puram, et perfectam amare Deum sine intuitu præmij, et mercedis accidentalis, sed non sine intuitu beatitudinis essentialis, pro qua responsione adducit multa ex Augustino, aliqua ex Bernardo, et commemoraverat locum Hugonis Victorini vocantis *stultos*, qui negant, amorem ad Beatitudinem tendere. Verum hac de re multa dedimus cap. 3. declarantes mentem S. Bonaventuræ, et Hugonis de S. Victore, ubi ex rationibus Theologicis, quas hanc in rem affert Angelicus Doctor, demonstravimus, primo, Deum unice dici posse mercedem in sensu improprio, nempe causaliter, et objective, quatenus est objectum, et causa mercedis. Secundo, mercedem proprie talem esse id, quod quis ex labore, vel aliquo opere meretur. Tertio, amorem amicitæ non respicere mercedem formalem, sed amare amicum sui gratia, et propter ipsum. Hæc omnia tra-

tradit S. Thomas in 3. dist. 29. art. 1. ad 4. doctrinam nobis relinquens claram, atque perspicuam pro intelligentia Patrum. In eodem ipso loco mentionem fecimus multiplicis generis mercenariorum, et quo sensu Charitas utcumque mercenaria dici possit ostendimus, tum *imperative*, quatenus imperat frequenter actus Spei, qui quodammodo illi tribuuntur; tum *causaliter*, quatenus Deum respicit, qui causa est, fons, et origo omnis mercedis, et præmij; tum *materialiter*, quia ad Charitatem Theologicam pertinet maxime desiderium fructuonis, seu maximæ conjunctionis cum amato. Sed cum motivum hujus desiderij sit idem amatus propter ipsum, illa fructio, vel conjunctio, quæ est proprie merces, unice desideratur materialiter propter Deum. Non aliter ac si quis sumat potionem dulcissimam præcise propter sanitatem recuperandam, dulcedinem illam attingeret pure materialiter, vel ut objectum materiale propter sanitatem, quæ sola est potionis obiectum formale, seu motivum.

48. Et hoc ultimum est, quod intendit Hugo Victorinus, ut explicuimus, dum appellat *stultos* illos, qui sic mercedem a Charitate excludebant, ut aperte dicerent, *se non curare de Deo, seu non quærere Deum*. Acute itaque subjicit ingeniosus Pater: *Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me sic diligeretis, et de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem*. Quam ego rationem contra te ipsum, o Bolgeni, ita propono. Siquis te sic amaret, ut ex illo suo amore non aliud quæreret, quam propriam sui utilitatem, quam *delectationes illas subtiles*, quas ex sua tecum colloctione perciperet, velles ne ab illo sic diligi, et curares multum de illius amore? Si tibi respondendum sincere sit, non aliud dicturum te credo, nisi quod amorem similem, qui quantus est, totus est versus in utilitatem amantis, non multum curas, parvifacis, nihili æstimas. Cur igitur ex verbis Hugonis ita triumphas, nec solum in Dissertatione, sed ut mihi renuntiatum est, in familiaribus cum ijs, qui te audiunt, colloctionibus? Ego sane te diligo amore sincerissimo non solum ob naturam, quæ mihi tecum communis est, sed ob ingenium præclarum, ob doctes, quibus polles, animi præstantes, id omne tibi volo, de eoque congaudeo, et omnia tibi fausta desidero. Neque enim amare te possem ob ingenium præstans, quin id tibi boni ex affectu vellem. Crediderim te, si bonus sis in causa Judex, et in mentis reflectas perspicaciam tuæ, æstimaturum magis, magisque te curaturum amorem hunc meum, quam ejus amorem, qui te quæreret ex affectu delectationis habendæ ex tua præsentia, vel colloquio. Atqui meus hic amor verissimus est amor benevolentiae. Certe Hugo tuus Victorinus ita existimat, dum amorem declarat per *bene velle, vel bonum velle*, ut supra vidimus, dum amorem ait cum Tullio *esse bonam erga aliorum voluntatem propter ipsum*: dum scribit: *dilige Deum, quia Bonitas est*: dum amorem Filiorum Dei explicat cum Bernardo per verba illa:

illa: *Confitemini Domino, quoniam bonus*; dum primam Orat. Dominipetitionem ad *Charitatem* refert: dum Deum, ait, esse diligendum propter *Bonitatem suam*, et propter id, quod habet a se, et non habet ab alio: dum inquit, nos diligere in homine sapientiam, vel quia habet sapientiam, et nos diligere hominem propter Deum, quia habet Deum, vel ut habeat Deum.

49. Jam vero te rogo, Dilectissime Bolgeni, diligere hominem propter sapientiam, vel quia habet sapientiam, diligere hominem propter Deum, vel quia habet Deum, diligere bonum propter bonitatem, diligere proximum in bonitate sua, diligere Deum propter se, quia ab alio non est etc. sunt characteres, et proprietates amoris concupiscentiæ desiderantis unice delectationem, et foelicitatem amantis, an attributa verissima, et clarissimæ notæ amoris benevolentiae, qui rem amatam non refert ad amantem, sed fertur potius in bonitatem, propter quam diligit, eamque vult existere in persona, quam amat? Considera item ultima verba, quæ retulimus ex lib. 2. de Sacram. part. 13. cap. 6. cum Deus diligitur propter se, diligitur, quia ab alio non est; et dic mihi mente sincera, an *Independentia Dei*, quam in tua illa validissima probatione tanquam exemplum adducebas rerum, quæ movere non possunt ad amorem, sit, nec ne, apud Victorinum vera ratio Deum amandi? Profecto si Deus amatur propter se, quia ab alio non est, amatur propter summam illam, et perfectissimam Independentiam, ex qua sibi summe bonus est, summeque beatus. Noli jam Bolgeni mi, triumphare, quod fecisse te video intemperanter in Dissertatione, dum toties laudas, citas, et profers Hugonem, ut opinionis tuæ Patronum exploratissimum. Nam tibi certe non favet in loco, quem producis ex lib. 2. de Sacram. pro amore unico concupiscentiæ. Cætera saltem loca sole clarius amorem exprimunt benevolentiae.

50. Denique, ut nihil omittamus eorum, quæ ab Auctore proponuntur contra amorem benevolentiae, addendum est argumentum, quod sibi objicit in 2. part. Dissert. num. 208. et 209 qui per Editoris incuriam, vel per Auctoris defectum facile condonandum in extremum secundæ partis rejecti sunt, cum tamen ad primam pertinere videantur. Objicit sibi eo loci Bolgenius quosdam amoris actus sublimissimos, qui leguntur interdum in Sanctorum Vitis, et in omnium Mysticorum libris inveniuntur. Protendantur aliqui velle se Deo servire gratis, et Deum amare, etiamsi essent in Infernum detruendi, vel Deus eorum amorem, et obsequia non videret. Respondet primo Cl. Auctor ex Illustrissimo Bossueto, ejusmodi actus sanctas esse insanias (*sante follie*). Quibus verbis illud addit Bolgenius, jam ante Bossuetum Hugonem Victorinum scripsisse de præfatis actibus: *Dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti, ut seipsos non intelligant.* Et eo non contentus rem firmat hoc exemplo. Etiam amicus ait, a

amare se amicum amore gratuito, et non interessato, nec quidquam ex illo intendere, aut desiderare. Quod tamen unice verum esse potest de commodo, utilitate, vel quæstu vili, et rudi, puta, pecuniis, honoribus, dignitatibus, secus autem de delectatione nobili, et subtili, quam conversans cum amico percipit de amabili ejus genio, et dotibus amati. Sed longum, latumque discrimen inest inter eos, quos Victorinus reprehendit, et inter Sanctos, qui amore Dei æstuantibus ob Infinitam ejus Bonitatem verbis interdum emphaticis dilectionis ardorem exprimebant. Illi, ut vidimus, amorem Dei pure affectivum inspiciebant, de effectivo nihil curantes: *Nec Deum quarimus etc.* Sancti vero in amorem Dei effectivum potissimum intendebant, et unice declarabant motivum serviendi Deo purum, et quoad fieri poterat, non mixtum ex utilitate propria, scilicet Bonum illud summum, et infinite dignum, ut pro omni hypothesis ametur, et honoretur. Illi procedebant in sensu absoluto, et nulla facta suppositione. Hi autem loquebantur hypothetice, et sub conditione impossibili, unde nunquam habuere actum absolutum efficacem renuntiationis æternæ Beatitudinis, ut ex Suario notavimus cap. 2.

§1. Ex quo infero, non debere probari, si æquitatis habenda sit ratio, modum loquendi Illustrissimi Præsulis decretorie scribentis *sante follie*, nisi forsitan hæc verba scripta esse contendat quisquam modo quodam laudativo, approbativo, et admirativo, quo in sensu de illis actibus loquitur Bernardus, haud certe minor Bossueto, sive doctrinam consideres, sive pietatem spectes. Tractans igitur Mellifluus Doctor de natura, et dignitate amoris divini, et finem imponens capiti 2. verbis illis: *eos, qui in veritate sunt amoris . . . suo licet modo insanire*: sic incipit caput tertium. *Audi sanctam insaniam: sive mente, inquit Apostolus, excedimus Deo, sive sobrii sumus nobis. Vis ad hæc audire insaniam? Si dimittis, inquit, eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ. Vis aliam? Ipsum audi Apostolum: Optabam, inquit, anathema esse a Christo pro fratribus meis. Nonne mentis bene affectæ sana quædam videtur insaniam, cum impossibile sit effectum habere fixum in affectu pro Christo velle anathema esse a Christo? Hæc sunt profecto Sanctorum insaniam, quas nobis depingit Bernardus sapienter, et reverenter, *sanae mentis affectiones, eorum insanias, qui in veritate sunt amoris* ab illa profecti Charitate, quam Deus ordinavit. Simili etiam modo loquebatur Chrysostomus, ubi supra, dum *amore insanire Paulum* ajebat, *eosque rem intelligere, qui amore insaniant*. Quod subjungit Auctor de amicitia, locum habere non potest in amicitia honesta, ubi non est motivum amoris, ut toties demonstravimus, delectatio, quæ consequitur ex conversatione cum amico, sed ipsa est fructus et effectus amicitiae.*

§2. Respondet secundo Bolgenius non jam ex Bossueto, sed ex suo sensu, ut mihi videtur, æquiori, et veriori, illas Sanctorum ex-
pres-

pressiones non esse ad litteram accipiendas, sed in sensu quodam excipiendas congruentiori. Placet mihi generica hæc Auctoris responsio, at displicet maxime, quod addit, unice excludi per illos actus bona extrinseca distincta a possessione Dei. Namque actus isti unice excludentes bona similia faciles sunt omnibus, ut per se patet. Sed actus, de quibus sermo est, sublimes sunt, et heroici, qui ut magnam habent difficultatem, ut aiebat Suarius, sic etiam aliud significant. Et sane manifeste præferunt Dei gloriam, et honorem æternæ cujusque beatitudini propriæ, ut supra nos docebat tuus ipse Hugo Victorinus. Legantur, quæ in hanc rem dedimus Cap. 2. Pauli, et Mosis actus difficillimos exponentes. Qui sane tales sunt, ut majorem in explicando contineant difficultatem, quam illi ipsi, qui in libris Mysticorum communiter recenseri solent.

53. Cum tuam illam, Bolgeni, propositionem legi: *qui in libris Mysticorum omnium inveniuntur*, venit mihi in mentem, sit ne profecta ex animi candore, et vera synceritate propositio illa, an potius ex quadam quasi suggillandi levitate? Namque in Dissertatione observo, te, non jam palam, sed ex ratione quadam indirecta loquendi non tanti facere Mysticos, quanti mihi habendi esse videntur. Quod si ita sit, ut conjicio, consilium minime laudo. Ego sane legi multos ejus generis homines, et studiorum partem consumpsi in addiscenda Theologia Mystica, non illa *experimental*, quæ donum est Dei gratuitum, et ope humana comparari non valet, sed *speculativa*, quæque potest adquiri labore, et ingenio ex attenta consideratione illorum, quæ nobis Patres reliquerunt, et animæ cælesti lumine conspicuæ ex proprio earum experimento conscripserunt. Et dicere illud aperte possum, invenisse me Doctores Mysticos Scholasticis omnino conformes, nec facile adducendum a Bolgenio esse actum aliquem sublimem, et singularem in libris Mysticorum probati coloris contentum circa Dei amorem purum, et omni depuratum utilitate propria, qui sensum non habeat congruentissimum, et explicari apte non possit ad rigorem Theologiæ Scholasticæ ex sola Doctrina S. Thomæ, et ex principijs solidissimis P. Francisci Suarj. Fateor ego, quibusdam videri actus aliquos ita sinuosos, intricatos, et difficiles, ut de eorum expositione desperent; sed enim hi memores esse deberent, sensum efficacem, exclusivum, et absolutum non esse confundendum cum sensu præcisivo, inefficaci, conditionato, et prælativo.

*Quid tandem emolumentum Bolgenius afferat pro Attritionis
sufficiencia ex novi Systematis inventione?*

54. Clarissimus Dissertationis Auctor omni opera, et studio conatus est primam ejus partem firmare auctoritate, et ratione. Namque statuta possibilitate unius amoris concupiscentiæ, et amore negato benevolentia, viam credit sterni munitissimam pro Attritionis sufficiencia in Sacramento Poenitentia. Quæ res cum semper intricatissima fuerit, et ad explicandum difficillima admissio amoris benevolentia, facilis evadit, et pervia statuta necessitate unius amoris concupiscentia. Hinc se filum existimat invenisse omnino securum pro hac expedienda controversia, quod frustra quæsiere Theologi ad amorem benevolentia suis in commentarijs conversi. Id ut persuadeat, en ejus summam doctrina, quam nobis proponit in secunda, et tertia parte Dissertationis. Charitas esse potest perfecta quoad naturam, et gradum; perfecta quoad naturam, et imperfecta quoad gradum: et perfecta quoad gradum, et imperfecta quoad naturam. Charitas perfecta quoad naturam, et gradum ea est, quæ tendit per modum desiderij in beatitudinem essentialem, et ad gradum ascendit amandi Deum super omnia. Charitas perfecta quoad naturam, et imperfecta quoad gradum desiderat quidem beatitudinem essentialem, sed non eo usque se extendit, ut Deum amet super omnia. Charitas perfecta quoad gradum, sed imperfecta quoad naturam præfert Deum omnibus; at non movetur ex sola essentiali beatitudine, sed ex alijs motivis inferioribus, puta, bonis supernaturalibus a beatitudine distinctis. Rursus cum timor ex amore nascatur, triplex est admittenda timoris species. Primus est timor filialis, qui habere debet pro objecto amissionem æternæ beatitudinis. Alter est timor servilis, qui pro objecto habet amissionem bonorum, vel incursum malorum terrenorum, aut amissionem bonorum, vel incursum bonorum æternorum, a beatitudine tamen essentiali distinctorum. Tertius tandem timor dicitur initialis, qui duplex habet objectum, scilicet amissionem beatitudinis, et bona, vel mala distincta tum a beatitudine, tum ab ejusdem amissione. Ita Bolgenius, qui timorem hunc ultimum obscure proponit; non enim bona possunt esse timoris immediatum objectum.

55. His ab Auctore præmissis, statuit primo, discrimen Contritionis ab Attritione non esse repetendum ex gradu, nam detestatio peccatorum necessaria in Sacramento debet esse omnino efficax, et debet homo ex virtute illius paratus esse ad omnia potius perdenda, quam ut peccatum admittat. Secundo, desumendum esse discrimen ex diversa natura motivorum; ex quibus dolor peccatorum excitatur. Si enim dolor excitetur ex motivo proprio Charitatis perfectæ quoad na-

turam, et timoris filialis, erit perfecta Contritio justificans extra Sacramentum. Si vero excitetur non solum ex motivo proprio Charitatis perfectæ quoad naturam, seu timoris filialis, sed etiam ex motivis proprijs Charitatis imperfectæ quoad naturam, aut etiam ex motivis timoris servilis, erit Attritio non statim sanctificans, sed in Sacramento sufficiens. Hæc est summa doctrinæ Bolgenij. Sed quid est, cur sibi uni blandiatur Bolgenius, quod filium, et viam hæc ratione invenerit in labyrintho inextricabili Attritionis? Quia nimirum optime, ut ait, intelligitur ex expositione doctrinæ suæ, quod attritus *Deum diligere incipit*, et quod universa docet Ecclesia, neminem sine amore Dei ad ejus amicitiam redire posse.

56. Verum hæc extensio Systematis Bolgeniani videtur omnino pugnare cum principijs ab eo præjactis in prima parte Dissertationis, notiones rerum confundere, et Ecclesiæ communi doctrinæ refragari; multaque continet ex una parte falsa, et improbabilia, et ex altera inutilia, et non necessaria. Et primo quidem male nobis explicat Charitatem perfectam quoad naturam, et gradum dicens, esse desiderium *æternæ beatitudinis* ita efficax, ut Deum amet super omnia, non solum ob objectum, quod Charitati præfigit, ut satis clare demonstratum est nobis, sed propter ultima verba, *ut Deum amet super omnia*. Quod est enim desiderium Charitatis in Bolgenij principijs, quod Deum amet super omnia? Profecto ipse testatur hoc esse desiderium *æternæ beatitudinis* non esse amorem amicitiae, nec Deum amare magis, quam nos, atque ideo super omnia, nisi accedente actu benevolentiae, seu Religionis a tali desiderio, et re, et gradu, et perfectione distincto. Ergo nulla est Charitas in principijs Auctoris, cujus actus pertingat ad gradum diligendi Deum super omnia: ergo nullus est actus Charitatis, qui justificet extra Sacramentum. Quin potius cum vis justificandi non præcise proveniat a dilectione, ut ipse inquit, sed a dilectione Dei super omnia, et hic excessus a virtute proveniat Religionis, potiori titulo dicenda est justificare Religio, quam Charitas. Fac enim hominem se ad confessionem præparantem elicere detestationem efficacem peccati commissi ex motivo proprio amoris concupiscentiæ æternæ beatitudinis, vel ex motivo timoris filialis, quod est in tuis principijs amissio æternæ beatitudinis. Quæro ex te, cl. Domine, hic homo justificatur extra Sacramentum ex efficaci illa detestatione, an in peccato perseverat usque ad Sacramenti receptionem? Si primum: ergo justus fit extra Sacramentum, quin Deum diligit super omnia; nam timor amissionis æternæ beatitudinis non fert secum necessario actum Religionis, per quem quis velit *Deum esse ipsum illum, qui est*, cum ex amore Dei non oriatur necessario benevolentia, ut ais p. 77. Declarat. Quare vel prima est delenda Dissertationis pars, vel secunda, et tertia. Si alterum eligas; ergo male explicas Contritionem perfectam, quæ absque

que Sacramento justificat. De incohærentia satis clara venio jam ad inversionem notionum.

57. Quid Charitatis nomine significatur non apud Theologos solum, et in arte peritos, sed apud Ecclesiæ Ministros, Catechistas, atque Fideles? Omnes ad unum intelligunt vel habitum Charitatis cum gratia conjunctum, et ab ea fortasse non distinctum, vel actum, ex quo diligitur Deus super omnia. Cur igitur illam dividis in tot membra, quæ naturam divini non participant? Loquamur unice de Charitate, quam vocas perfectam quoad naturam, et imperfectam quoad gradum. Hic actus esse poterit, dicive aliqualis Dei amor; sed vero Charitas minime dicenda est. An non ait S. Thomas, quod tu ipse ex S. Doctore transcribis part. 4. Dissert. n. 375. *minima Charitas justificat, neque pertingit ad speciem Charitatis Charitas illa, quæ non diligit Deum super omnia?* An non dicit, quod *amor potest esse adeo remissus, quod non pertingat ad rationem Charitatis?* Cur igitur confundis, o Bolgeni, amorem cum Charitate, et quos gradus, immo etiam naturas posses non incongrue in amore discernere, eos applicas contra sensum communem Charitati? Porro Charitatis gradus apud S. Thomam hic 2. 2. q. 24. a. 9. sunt tres illi: *Studium principale recedendi a peccato, et resistendi concupiscentijs, quæ in contrarium movent Charitatis, quod pertinet ad incipientes, in quibus est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Huic autem succedit studium, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat: et hoc studium pertinet ad proficientes. Tertium studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhereat, et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos.* Sed tres hi Charitatis gradus intra latitudinem veræ Charitatis continentur, ex qua Deus diligitur super omnia. Unde Charitas incipiens vera est Charitas, quæ inveniri non potest in peccatore nec quoad habitum, nec quoad actum diligendi. Id quod vel ex Augustino ipso, quem mirum quam in alienum sensum transfers, probat Angelicus Doctor in eodem articulo ab argum. Sed contra dicens: *quod Augustinus dicit super primam Canonicam Joannis; Charitas cum fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes; cum fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes; cum fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos.* Quod Idem egregie confirmat in argumentorum solutione in id intentus, ut ostendat, Charitatem incipientem, et natam veram esse Charitatem, et ideo dici *incipientem*, quia principalior ejus cura est, ut incipientes *resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur.* Unde in Corp. art. proponit exemplum hominis, qui vere talis est pro triplici *statu ætatis infantilis, usus rationis, et pubertatis.* Cautè igitur loquendum est nobis de Charitate, nec eam debemus extendere ad actus, quibus Deus non diligitur super omnia. Nec enim Ecclesiæ usus aliud intelligit Charitatis nomine, dum nobis vim explicat, et efficaciam Charitatis per Ministros,

Parochos, atque Pastores, qui certe non nisi terminis propriis, minimeque translatis in re omnibus necessaria loquuntur. Et hæc ipsa mens est Augustini, et Thomæ, quorum primus tract. 9. in cap. 2. Joan. *Charitatem, inquit, cum habere cœperis homo, Spiritum Sanctum habebit.* Et minima *Charitas, inquit alter 3. p. q. 70. a. 4. plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, et argenti.*

58. In idem fere recidunt locutiones illæ indefinitæ, quibus S. Doctor Augustinum laudans docet, ac probat 1. 2. q. 65. art. 3. haberi non posse Charitatem sine cæteris virtutibus moralibus; et quod tradit 2. 2. q. 24. art. 12. inquit: *quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur Charitati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia.* Igitur si propria ratio Charitatis consistit in eo, quod Deus diligatur super omnia, quænam est illa Charitas, quæ non habet propriam rationem, et naturam Charitatis?

59. Tene igitur arcte locutionem Suarij lib. 2. de Grat. cap. 15. n. 9., qui concedens peccatoribus actus quosdam amoris Dei debiles, et imperfectos ex gratia Dei faciendos, tamen ut vitetur occasio confundendi similes actus cum Charitate illa, quam nos docet Ecclesia per Catechismos, Pastores, et Ministros. caute subjungit: *Neque propterea dicendum est, peccatorem posse Charitatem habere, quia Charitas absolute dicta vel significat habitum, vel absolutam conversionem animæ in Deum gratiæ Authorem per amorem perfectum. Potest autem dici peccator habere interdum quandam inchoationem vel initium Charitatis per Spiritus Sancti motionem, ut Augustinus loquitur.* Per quæ ultima verba quandam inchoationem, Spiritus Sancti motionem ea omnia præcidit, quæ ex S. Doctore congerit Auctor in 4. Dissert. part. ad persuadendum debiles illos amoris actus debere dici absolute Charitatem. Quin et Concilium ipsum Tridentinum idem satis significat, dum Sess. 14. cap. 4. loquens de Contritione perfecta, hoc in sensu Charitatem proponit: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat. . . .* Est igitur sine dubio perpetuus Ecclesiæ sensus de verbo Charitatis absolute dicto, quem Suarius insinuat juxta illud Joan. 1. 2. *Qui diligit mundum, non manet Charitas Dei in eo;* et illud aliud 1. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ex quibus colligit idem Doctor Disp. 3. de Charit. Sect. 3. n. 3. quod omnis Charitas viæ etiam minima illam habet perfectionem essentialem, quæ in eo consistit, ut totum hominis affectum ponat in Deum tanquam in finem ultimum, et consequenter excludat omnem affectum peccati mortalis. En quo jure, qua ratione, et fundamento nobis proponat Ecclesia per Catechismos, ut supra vidimus, et per ejus Ministros viva voce Populum edocentes Charitatem tanquam virtutem, vel actum Deum super omnia diligentem. Et licet Augustinus, et Leo, quos optime interpretabatur Suarius in eorum

lectione versatissimus, *Charitatem* extenderent ad actus debiles, et imperfectos, quos nobis Auctor proponit, non ideo locutio illa usurpanda esset, sed quam religiose servat hodieum Ecclesia Dei. Audi virum Doctum Martinum Steyaert Opusc. 9. in Addition. ad proposit XV. et XVI. damnatas ab Alexandro VIII., qui occasione aliquarum sententiarum Augustini, et Leonis, quos nobis objicit Auctor in 4. part. Dissert., ita prudenter scribit: *At, quid igitur, dicit quis? Nullane in posterum ex antiquitate habebitur firmitas ad probandum aliquid, vel improbandum quod apud eam probatum, aut improbatum legimus? Omnino: sed cum respectu ad sensum Ecclesiae, cujus est per praesidentem sibi Spiritum judicare, quo sensu quo jure veteres aliquid jussum, aut vetitum dixerint. Si sola alioqui consulatur antiquitas, sprete Ecclesia hodierna, omnia sursum deorsum verti oportet in Theologia. Multa apud Veteres dicta non intelliguntur: multa etiam recte intellecta jam apud nos recte dici non possunt. Soli proinde hi ab erroribus semper manserunt, et manebunt immunes, qui Ecclesiae sui temporis indivulse adhæserunt: quæ tam hodie, quam heri est Columna, et firmamentum veritatis, et erit in sæcula.* Hæc vir ille prudentissimus, cujus verba eo hic libentius exscripsi, quo non præsens modo punctum aptissime declarant, sed totam etiam evertunt dissertationem Bolgenij, qui nobis obtrudens *antiquitatem*, ad Ecclesiae sensum, et praxim sui temporis respicere non videtur, scribens: *docentur pueri, docetur populus rudis... traditur eis falsa doctrina &c.* Cum tamen Ecclesiae nostri temporis sensus, et praxis rem ipsam dirimere potius debeat, omni cuicumque refragandi potestate sublata.

60 Nec minus displicet Auctor in triplici specie timoris explicanda. Namque primum docet, timorem filialem esse, versarive circa amissionem æternæ beatitudinis, quæ sane propositio contraria esse videtur Patribus, præsertim Augustino, et Thomæ, Theologis, et Ecclesiae communi sensui. Non equidem legi Theologum, qui timorem Dei filialem explicuerit per ordinem ad amissionem beatitudinis secundum se consideratam, et non potius per ordinem ad offensam Patris. Jam vero Sancti Patres, ut recte Suarez disp. de Spe. Sect. 4. de timore hoc offensæ Dei, vel aversionis ab eo intelligunt timorem illum filialem, de quo in Ps. 18. *Timor Domini sanctus*, ubi Augustinus inquit: *timor castus est, quo filii timent offensam Patris, servilis, quo timent pœnam.* S. Thomas 2. 2. q. 18. art. 1. universim docet, timore servili timeri Deum, ut ab ipso aliquod malum evenire potest; filialem autem sumi per comparisonem ad Deum, et esse de offensione ejus, vel de ejus aversione. Et art. 5. *differunt*, inquit, *specie malum pœnæ, quod refugit timor servilis, et malum culpæ, quod refugit timor filialis.* Hoc quidem in corpore articuli, sed in responsione ad 2. idem ipsum magis declarat dicens: *ad secundum dicendum, quod timor servilis, ac timor filialis non habent eandem habitudinem ad Deum.* Nam timor ser-

vilis respicit Deum, sicut principium inflictiuum pœnarum. Timor autem filialis respicit Deum, non sicut principium actiuum culpæ, sed potius sicut terminum, a quo refugit separari per culpam.

61. Hæc si verba ultima *separari per culpam* notasset Auctor, multas ille profecto æquiuocationes vitasset, quas patitur in explanatione S. Thomæ. Nam ex illis planum est cuique, duas esse *separationes* a Deo; altera est separatio pœnalis, per quam Deus creaturam peccantem à se separat, eam excludens ab ultimi finis consecutione, vel gloria. Altera est separatio auersiva a Deo, quæ per offensam Dei fit a creatura libere se auertente a Creatore. Prima separatio pœna est, et objectum timoris seruilis; altera autem est offensa, et objectum timoris filialis. Certum est tamen, Charitatem refugere etiam primam illam separationem pœnalem, at non præcise quia pœna est, sed quia est exclusio maximæ illius unionis, ad quam, ut toties diximus, aspirat Charitas, unde non enascitur ex amore proprii commodi, sed ex vero amore Dei propter se. Perspicue, ut solet, Suarius loco laudato: *timor filialis timet pœnam, quatenus obstat amicitie Dei, et ejus honori, sicut et timor seruilis timet culpam, quatenus esse potest causa proprii incommodi.* Hæc attente consideranda erant ab Auctore, qui mille irretitur modis, dum S. Thomam in suum sentiendi modum totis, ut ajunt, nervis trahere conatur. Nec ita se palam opposuisset in explicando timore filiali Institutionibus Christianis, quibus nihil antiquius, quam timorem Dei filialem declarare Fidelibus, eo in sensu, quo a nobis definitus est. Et ratio explanationis perspicua est. Quia si justus amat Deum super omnia: ergo Dei offensam, quæ est malum oppositum Bonitati diuinæ, timet super omnia. Quod totidem fere verbis tradit S. Thomas in Sup. q. 3. art. 1. dicens: *Quia homo debet magis Deum, quam se ipsum diligere, ideo plus debet odire culpam, in quantum est offensa Dei, quam in quantum est nociva sibi. Est autem nociva sibi principaliter, in quantum separat ipsum a Deo* (En tibi motivum Bolgenianum).

62. Restat tamen scrupulus de timore filiali, qui mihi minime dissimulandus est, unde Auctor agnoscat, veritatem me syncerissime quærere, cum difficultatem propono ab illo minime tactam. S. Thomas 1. 2. q. 42. art. 3. plane docet, culpam esse non posse objectum timoris, quia et est voluntaria, et nostræ subjacet voluntati, et solum est terribile, quod habet causam extrinsecam. Tamen nihilominus hæc ratio non est ad solvendum difficilis. Duo sunt in culpa consideranda; libera nempe transgressio legis, et ratio offensæ diuinæ. Si primum illud consideres, non est culpa ut sic considerata objectum timoris, id quod persuadere videntur rationes, quas hic adhibet S. Thomas. Si vero rationem offensæ consideres, quæ necessario quasi resultat contra Deum, est objectum timoris, et quidem præ cæteris omnibus malis formidandum, cum sit Dei malum omnibus malis longe præponderans. Ut id recte intelligatur, revocanda

sunt in memoriam, quæ tradunt Sancti Patres de natura peccati, et offensæ Dei, eo tendentis, ut Deum destrueret, si possibile esset. Id quod optime expressit clarus doctrina, et pietate insignis P. Pinamontius de vera Sapientia Consid. I. Peccatum mortale, inquit, talis est naturæ, ut si possibile esset, destrueret Deum ipsum, eoquod causa esset tristitiæ in Deo, et tristitia esset infinita, ut ait Medina de Pœnitentia, et Cajetanus part. 1. q. 19. art. 9. Malum culpæ quantum est in se, est privativum Boni Divini, si esset privabile, sicut amor amicitia erga Deum est positivum Boni Divini, si esset possibile. Hoc igitur malum est objectum verissimum timoris filialis, quia est malum amici, non aliter ac bonum ejusdem est objectum Charitatis. Unde rectissime, et opportune scribebat Chrysostomus Charitatem eximiam S. Pauli commendans: *Unum enim illi formidandum erat, atque metuendum, offensa nimirum Dei, nec quidquam aliud omnino.* Hæc est perpetua Sanctorum Patrum sententia, ut dicebamus ex Augustino, et Thoma, timorem filialem exprimentibus per ordinem ad offensam, quæ malum est Patris, quodque proinde est causa timoris extrinsecæ; sicut malum amici est causa extrinseca timoris in amante, qui ut desiderat bonum accidere amico, sic timet eidem evenire malum. Hæc est etiam constans Ecclesiæ doctrina, quæ nos docet mediis Institutionibus Sacris offensam Dei majus esse malum a Charitate fugiendum, et nos ex amore in Deum filiali sic animo comparatos esse debere, ut mala omnia subire potius velimus, quam Deum offendere.

63. Deinde eadem notionum inversio notatur in Auctore circa timorem *initialem*, quem contendit non esse appellandum *initialem*, sed *mixtum* nempe ex filiali, et servili. Verum in sua ejusdem correctione satis demonstrat, nec se Augustinum sequi, nec Thomam, nec Theologos. Nam idcirco adhibet correctionem illam, quia iudicat timorem *initialem* moveri quoad actum suum proprium ex motivo duplici; scilicet ex motivo timoris filialis, et ex motivo timoris servilis. Id autem alienum est ab Augustino, contrarium Thomæ, et communissimo oppositum Theologorum sensui. Explicandus est igitur *initialis* timor, quo sensu explicata est Charitas *incipiens*, seu *inchoata*. Sic illum explicat Augustinus lib. 83. quæst. q. 36. in fine dicens: *timor inchoat, et perficit Sapientem; hic autem est, qui summe diligit.* S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 8. clarius idem ipsum affirmat dicens: *timor initialis non differt secundum essentiam a filiali.* Item: *accipitur secundum quod competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem Charitatis . . . se habet ad filialem, sicut Charitas imperfecta ad perfectam.* Ex quibus infert S. Doctor, *timorem initialem esse initium dilectionis non absolute, sed quantum ad statum Charitatis perfectæ.* Ideo autem dicitur *timor initialis* quasi medius inter filialem, et servilem, non quia utriusque motivum formaliter respiciat in suo actu, qui est de malo culpæ, sed quia utitur in-

ter operandum timore servili vel imperando, vel etiam concomitanter admittendo, ut ab ipso adjuvetur. Et hoc est, quod ait S. Thomas, *eum, qui habet timorem initialem, moveri ad bene agendum non solum ex amore justitiæ, sed etiam ex timore pœnæ. Quia nimirum timor servilis secundum substantiam manet cum Charitate servilitate remota.*

64. Cl. Auctor corrigit hic etiam pag. 228. not. 54. hoc S. Thomæ temperamentum *servilitate remota*, addens etiam *non remota servilitate*, ut est evidens ex iis, quæ subjungit S. Doctor. At quæ sunt ea, quæ subjungit S. Doctor, ut mihi persuadeas, observandissime Domine, tam turpem incoherentiam S. Thomæ in eodem ipso ratiocinio? *Quod, nimirum (inquit S. Doctor) actus timoris servilis manet cum Charitate imperfecta, secus cum perfecta.* Sed hæc ratio ut firmat optime dictum S. Thomæ, ita detegit apertissime correctionem tuam ex eo descendere, quod non satis assecutus sis, quid sit apud S. Thomam *servilitas*. Eam exposuerat in articulis præcedentibus, ubi probaverat primo, timorem servilem ex parte servilitatis esse malum: secundo, servilitatem non esse de ratione timoris servilis, nec ad speciem timoris servilis pertinere, sicut nec informitas ad speciem Fidei informis: tertio, servilitatem in eo consistere, quod *bonum, cui contrariatur pœna*, ametur tanquam ultimus finis, et per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente Charitatem. Hinc qui hunc actum positivum voluntatis eliceret, *si non esset Infernus, peccarem*, actum peccaminosum efficeret timoris serviliter servilis, vel cum servilitate conjuncti. Recte igitur procedit S. Thomas docens, timorem servilem manere cum Charitate *servilitate remota*, et evidentiâ Bolgenii corrigentis, *etiam non remota servilitate*, est ejusdem præoccupatio minime laudanda. Eodem prorsus pacto explicant timorem *initialem*, et servilem cæteri Theologi cum Bonaventura in 3. dist. 34. Sed Bolgenius rem per se claram, miris versat, et obscurat modis, ut suo possit deservire systemati.

65. Multa præterea ex Patribus congerit Auctor, ut probet distinctionem inter beatitudinem essentialem, et accidentalem, quæ distinctio cum nota sit per se, et a nemine neganda, non tanta, tamque diffusa indigebat probatione. Sed quod mireris, eas hanc in rem affert Patrum sententias Ambrosii, Chrysostomi, et Nazianzeni, quæ rem minime conficiunt, cum non loquantur de præmio formali, sed de causali, et objectivo, quod Deus est. Deinde *Cœlum, cœleste Regnum*, et hujus generis alia refert male Bolgenius ad Beatitudinem accidentalem; et cum sua interest, intelligit ad arbitrium de Beatitudine essentiali. Similiter Infernus pro materia, quam tractat, significat pœnam non solum sensus, sed etiam damni. Scilicet statuit propositionem, et ad ejus sensum expendit, applicat, et accommodat, quæ sibi videntur opportuna, parum sollicitus de rerum coherentiâ. Atque hæc quidem de idearum inversione, et de confusione notionum; graviora nunc quæro.

66. Systema Bolgenii contendit Contritionem perfectam consistere in efficaci detestatione peccati ex timore amissionis beatitudinis essentialis, vel ex amore æternæ beatitudinis essentialis, videtur mihi oppositum iis, quæ universim traduntur ab Ecclesia, per totum terrarum orbem edocente præfatam detestationem non esse dolorem perfectum extra Sacramentum justificantem. Vidimus id toto cap. 4. Hic autem unice placet repetere Instructionem ultimi Concilii Romani publicatam a Benedicto XIII. tum de Contritione perfecta, tum de actu Charitatis. De Contritione perfecta. *Quinam est dolor perfectus, qui dicitur Contritio? Confess. Dolor perfectus, seu Contritio est dolor Charitate perfectus, ex quo propter solum amorem Dei ut Summi Boni nobis displicet super omne malum commisisse peccatum.* De actu Charitatis: *Deus meus, quia es Summum, Infinitum, et Perfectum Bonum, ego te amo super omnia.* Nullus hic cavilationi locus esse potest. Verba ipsa per se clara sunt, et perspicua, quæ de amore Dei in se, per se, et secundum se boni, et omni amore dignissimi intellexere Patres, intellexit Summus Pontifex, intellexere Fideles, intelligunt hodièdum omnes, et intelligent in sæculum sæculi.

67. Id ipsum insinuat etiam a Concilio Tridentino, quod Sess. 14. can. 5. satis indicat amissionem æternæ beatitudinis non ad dolorem perfectum, sed ad imperfectum Attritionis pertinere. *Siquis, inquit, dixerit, eam Contritionem (imperfectam) quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ non esse verum, et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium, anathema sit.* Respondet Canon capiti 4. ejusdem Sessionis, in quo agitur de Contritione perfecta primum, et de imperfecta deinceps: et declaratur, hanc imperfectam Contritionem non modo non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, sed disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam. Quod idem dicitur in hoc Canone de dolore ex amissione æternæ beatitudinis, ut patet a simili ex aliis motivis, quæ hic inseruntur. Si ergo dolor elicitus ex amissione æternæ beatitudinis præparat, et disponit ad gratiam in Sacramento recipiendam, planum est, non statim extra Sacramentum justificare. Præterea notum est, Concilium agere contra Lutherum negantem Attritionem ex sola Spe, vel metu factam esse honestam, et supernaturalem, id quod non negabat de detestatione proveniente ex actu, qui saltem partialiter respiceret motivum Charitatis, ut collatis Lutheri verbis ostendit Le Drout cap. 1.

68. Procul sit omnis contentio. Omnes (ut negari non posse videtur) Fideles in ea sunt firma sententia, ut credant, solam illam

Contritionem justificare extra Sacramentum, quæ fundatur in amore Dei ut summi Boni, illam Contritionem, quæ odio habet offensam commissam contra Deum ut infinite bonum, illam Contritionem, quæ odio habet malum factum contra Deum. Hic est Ecclesiæ communis sensus, hæc praxis; quam optime expressit S. Thomas in suppl. verbis supra relatis: *quia homo debet magis Deum, quam se ipsum diligere, ideo plus debet odire culpam, in quantum est offensiva Dei, quam in quantum est nociva sui*. Quis autem non videat, dolorem conceptum ex amissione propriæ beatitudinis in hominis nocumentum esse potissimum intentum? At qui dolet de offensa contra Deum facta, malum Dei detestatur directe oppositum Divinæ Bonitati. Et hæc est causa, cur S. Petrus, S. Maria Magdalena, aliique Sanctorum toto vitæ suæ tempore detestati sunt peccata semel commissa, quamvis omnino certi de condonatione divina, quia nimirum offensam contra Deum factam considerabant, et cum Regio Psalte ex animi dolore intimo dicebant: *tibi soli peccavi, et malum coram te feci*. Quin potius ex certitudine de remissione divina in majorem, et acriorem animi dolorem erigebantur, ponderantes ex illustratione superna tantam Dei Bonitatem, et tantam in condonando facilitatem. Quod dictum est nobis de dolore offensæ contra Deum, perspicere quisque potest in dolore offensæ, ex qua duos inter amicos dissoluta sit amicitia honesta. Nam si offensor veniam deprecatur ab offenso ex synchero animi sensu volens ad amicitiam redire, non dolet præcipue de culpa, ut ipsi proprium affert nocumentum, id enim est proprium amicitiae *utilis, vel delectabilis*, sed de culpa dolet, ut amici offensa est, ut est malum amici, cui vult ex corde bonum, et cui jam ulterius non displicere proponit.

69. At enim, inquit Bolgenius, saltem Attritio ad Sacramentum disponens esse non potest sine aliquo Dei amore, cum is, qui non diligit, maneat in morte, ut ait S. Joannes, nec Deum diligere incipiat, ut Tridentinum requirit ad dispositionem Sacramenti. Id autem perspicue explicatur, si ad Attritionem pertineat Charitas perfecta quoad naturam, et imperfecta quoad gradum. Verum ommissa notione *Charitatis* a Bolgenio inventa, quam tamen minime probandam demonstravimus, inutile est etiam, nec necessarium ex hac parte Auctoris Systema. Nam Theologi docentes Attritionem sufficere pro Sacramento Pœnitentiæ suscipiendo, inchoationem dilectionis Dei manifeste supponunt, eamque probant et clarius, et solidius, quam ipse Bolgenius. Hic enim illam refert ad desiderium imperfectum, et inefficax æternæ beatitudinis, quod ipso fatente non est amor Dei super omnia, neque hunc gradum per se se attingit, unde et amorem illum vocat imperfectum *quoad gradum*. Quia amor Dei efficax, si semel efficax statuatur, ex vi motivi omnia motiva excedentis, debet esse super omnia bona, sicut dolor efficax de malo Dei, si semel sta-

tua-

tuatur efficax, ex vi motivi debet esse super omnia mala, cum malum Dei, ut optime argumentatur Suarius, omnia cætera mala superexcedat: efficacia igitur Attritionis in opinione Bolgenij ex alio motivo repetenda est. Quodnam autem illud? Motivum, inquit, timoris servilis, ex quo fit, ut timor *initialis* hoc etiam respiciens motivum evadat efficax. Verum, eo permissio, nihil tamen inde elicere potest Auctor pro re sua Theologis persuadenda. Nam semper penes ipsum est verum, dilectionem Dei, ex qua oritur timor ille *initialis*, quem vocat *mixtum*, non esse efficacem. Nam timor respiciens pro objecto motivo duplex malum oritur ex amore duplicis boni oppositi: sed amor boni duplicis oppositi, sive unus sit actus, sive duplex, non est efficax quoad gradum dilectionis, de qua loquitur S. Joannes. Neque enim dubium est, quin S. Apostolus loquatur de vera Dei dilectione super omnia, si verba illa intelligenda veniunt de actu dilectionis, et non potius de habitu. Qua igitur ratione salvare poterit illud Joannis: *qui non diligit, manet in morte*, nisi si contra clarissimum Apostoli sensum velit verba illa de dilectione Dei inefficaci intelligere?

70. Clarius igitur quam Bolgenius (an etiam verius quam alij diversa via incedentes nihil nostra modo interest) Theologorum plurimi *initium dilectionis* ad Attritionem requisitum explicant dicentes: Attritionem ex metu gehennæ esse non posse sine timore efficaci ad Spei virtutem pertinente, et ex amore concupiscentiæ proveniente. Ut enim optime Augustinus lib. 83. quæst. q. 33. *Nulli dubium est, nullam aliam esse metuendi causam, nisi id quod amamus*. Hinc timor servilis efficax, quo debite, et recte timetur æterna pœna, vel aliud, quod ad illam ducit, ut est malum, et incommodum naturæ, est actus elicited a virtute Spei, quod idem intelligendum est de odio, et tristitia illi respondentibus. Quia eodem pondere, quo terra verbi gratia tendit deorsum, locum fugit contrarium: eodem illo habitu, quo alicui propositioni intellectus assentitur, negat plane contrariam; et eadem Charitas, quæ bonum amat divinum, fugit malum Deo contrarium. Sic etiam eadem Spei virtus, quæ beatitudinem amat ut bonum proprium, ejusdem privationem odio habet, et quæ tale bonum sperat, timet contrarium malum; nam hi actus tendunt in objectum sub ratione proprii commodi, et ita sunt inter se subordinati, ut unus ex altero intime oriatur, sicut Augustinus agebat. Quod quidem a deo est verum, ut dari nulla ratione possit habitus per se primo intentus ad fugiendum malum, sed debet esse quilibet primo ordinatus ad amandum bonum, ex quo oriatur fuga mali contrarij. Ratio est, quia virtus per se primo tendit in bonum. Quare donum *timoris Dei* non tendit per se primo in malum, sed in bonum virtutis temperantiæ altiori tamen modo, quam virtus ipsa, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 4. Bonaventura, Scotus, et insinuat Augustinus lib. 1. de Serm.

Domini in monte. Unde recte inquit Suarius disp. 1. de Spe sect. 4. n. 4. proprium, et directum actum timoris Dei non esse *timere*, sed potius ex instinctu Spiritus Sancti quasi ex subiectione ad Deum separare hominem a delectationibus sensibilibus, vel humiliare illum Deo, quæ humilitas est præcipua temperantiæ pars. Actus igitur timoris servilis pertinet sine dubio ad virtutem aliquam, et hæc alia esse non potest, quam Spes Theologica, unde necesse est, ut oriatur similis timor ab amore concupiscentiæ Spei proprio.

71. Ex ijs manifeste colligitur, Attritionem ex metu gehennæ conceptam esse non posse sine amore, quo Deum incipimus diligere. Nec enim requiritur ad Attritionem actus, quo perfecte diligamus Deum, sed quo illum diligere incipiamus, et quidem tanquam omnis justitiæ fontem; id quod apprime convenit amori Spei Theologicæ, qui rectissime dicitur principium dilectionis. Convenit etiam timori, ut enim habemus Eccl. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus*. Quodque majus est, convenit etiam congruenter satis omni virtuti tendenti ad ultimum finem obtinendum mediâ amica conjunctione cum Deo: Quia *finis præcepti est Charitas*, ut nos docet Apost. 1. ad Timoth. 1. in quem sensum scripsit S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 3. *Charitas dicitur finis omnium virtutum*. Ex quo fit, ut si peccati detestatio fiat ex virtute Pœnitentiæ, Religionis, Gratiitudinis, Obedientiæ, fiat etiam ex aliqua Dei dilectione; nam illud odium, aut detestatio malitiæ peccati, ut oppositiæ honestati illarum virtutum, provenit, et enascitur ex amore honestatis, et rectitudinis virtutis contraria. Cum igitur Charitas finis sit omnium virtutum, quæ ad eam referuntur, amor illarum virtutum est principium dilectionis.

72. Præterea si recte inspiciatur Tridentini contextus, dum nobis proponit illam inceptionem, id erit clarum rem accurate perpendenti, Concilium nempe, cum Sess. 6. cap. 6. verbis utitur supra relatis, agere de Justificatione in genere, prout scilicet potest peragi intra, vel extra Sacramentum, et eos actus prævios recensere, per quos optime disponitur homo, etiam ad eam pœnitentiam, quæ requiritur ante Baptismum. Nec omnes illi actus, qui a Tridentino insinuantur, necessarij sunt ad pœnitentiam, cum possit detestatio peccati concipi sine *timore pœnæ*, scilicet ex Spe beatitudinis, vel etiam ex motivo perfectioni. Eo igitur tendit Concilium, ut Fidelibus exhibeat modum congruentissimum pœnitentiæ, et qui communiter satis contingere solet.

73. Tandem cum vera pœnitentia esse non possit sine spe veniæ, vel sine fiducia remissionis impetrandæ, haberi nunquam potest vera Attritio supernaturalis, ex quocumque tandem motivo concipiatur, sine aliquo Dei amore, quo pœnitens Deum amet ut sibi propitiabilem, et volentem remittere peccatum; hic autem actus est verus amor concupiscentiæ erga Deum, et rectissime dicitur principium

dilectionis. Audi Ludovicum a Ponte non jam ut Mysticum, aut Ascetam, sed ut Theologum S. Thomæ placitis, ubi ubi illum legas, semper insistentem. Cum enim tom. 2. in Cant. lib. 6. exhort. 8. verba Concilij proposuisset *Deum diligere incipiunt tanquam omnis justitiæ fontem*, sic ad rem nostram scribit: *Inspiratio igitur Spiritus Sancti, dum cor hominis tangit, et ad pœnitentiam excitat, simul lumen infundit, quo intelligat, se peccatorem esse, et aliquam amoris scintillam, per quam diligere incipiat Deum, quem offendit, et a quo offensæ remissionem expectat. Hic autem amor, si perfectus erit, parit Contritionem . . . si autem imperfectus, et quasi amor concupiscentiæ cupiens Deum non esse sibi iratum, sed Judicem propitium, generat Attritionem, quæ est dolor de peccatis ex gehennæ metu procedens: ipsa etiam Spes, quæ hunc timorem Dei concomitatur, hunc amorem quasi concupiscentiæ includit, ut D. Thomas testatur. Quare omnis, qui vere ad Deum conversus est, potest vere dicere: quasivi, quem diligit anima mea. Nihil clarius, nihil solidius, nihilque magis consonum principijs Theologicis produci potest, quod melius amorem exprimat in vera peccatorum Attritione intervenientem.*

74. Et vero quod amor concupiscentiæ, ut ab amore benevolentæ distinctus, dilectio quædam dici possit, nempe initialis, et imperfecta, testatur manifeste S. Thomas Opusc. de Dilect. Dei cap. 2. dicens: *duplex est dilectio: una concupiscentiæ, qua diligimus illud, quod nobis volumus, et desideramus, ut divitias, et honores. Alia amicitie, qua diligimus illud, cui bonum volumus, ut amicos. Utraque dilectione diliges Dominum Deum tuum. Et sane quod vera Charitas Theologica non sit necessaria pro pœnitentia intra Sacramentum, docet Augustinus Epist. 254. (alijs 104.), ad Nectarium dicens: Pœnitentia impetrat veniam, et purgat admissum, sed illa, quæ in vera Religione agitur, quæ futurum Dei judicium cogitat. Docet S. Isidorus apud S. Thom. in Supplem. q. 1. art. 1. ad 5. qui sic describit Contritionem, ut sit humilitas mentis cum lacrymis veniens de recordatione peccati, et timore judicij. Docet apud eundem S. Doctorem S. Gregorius Contritionem proponens ijs verbis: *humilitas Spiritus annihilans peccatum inter spem, et metum. Merito itaque S. Thomas in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad 5. ait: Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur Fides, sed non Charitas, quia sufficit Attritio præcedens, etsi non sit Contritio. Ubi est hic Charitas illa perfecta quoad naturam? Lego timorem judicij, judicium futurum, metum, sed non lego Charitatem.**

75. Hæc, et alia non contemnendi sane Doctores: vere ne, an secus nihil ad præsentem controversiam; certe perspicue, et sine ambagibus suam illos sententiam exponere, non est inficiandum. Quo loco vides ipse, Theologos illos pugnantes pro Attritionis sufficientia in Sacramento Pœnitentiæ minime excludere amorem omnem, seu prin-

principium dilectionis, sed unice propugnare necessarium non esse amorem perfectum, et dilectionem perfectam Charitatis, quam esse actum verissimæ benevolentiae alteri volentis bonum, firman, atque demonstrant. Et ex hoc eodem capite colligere poteris, quam sit inutile, quam superfluum, nec ulla rationis specie necessarium tum illud inventum de Attritione ad salvanda verba Concilij, et explicanda verba Joannis: *Qui non diligit, manet in morte*. Quasi nimirum Apostolus hic loqueretur de actuali Dei dilectione, et non potius de dilectione habituali, seu de habitu *Charitatis*. Alioquin homo dormiens, aut actu non diligens Deum maneret in morte. Eodem in sensu loquitur Paulus, *Si Charitatem non habuero, nihil sum*; nec tamen hic est sermo de actuali Charitate, sed de habituali. Nec ignorat Bolgenius homini vere attrito infundi in Sacramento Charitatem. Ex vi Charitatis jam infusæ de illo dici non potest, *quod maneat in morte, vel quod nihil sit*.

76. Concludo igitur sine hæsitatione pronuntians, Systema Bolgenianum, qua parte contendit detestationem peccati proveniente ex amore concupiscentiæ æternæ beatitudinis esse veram, perfectamque Contritionem hominem justificantem extra Sacramentum, esse improbabile, falsum, pugnant, ut videtur, cum Tridentino, et Ecclesiæ praxi minime conforme; qua vero parte docet, Charitatem perfectam quoad naturam, et imperfectam quoad gradum intervenire debere in Attritione, præter notionem denuo inventam *Charitatis* in Ecclesia non receptam, nihil adferre adjumenti pro expedienda controversia circa Attritionis sufficientiam in Sacramento Pœnitentiæ. Nam Joannis verba: *Qui non diligit, manet in morte*: si non de habitu dilectionis intelligenda essent, sed de actu, dilectionem Dei exprimere deberent super omnia, non autem debilem, inefficacem, et gradum diligendi Deum super omnia non attingentem.

77. Præterea quæ te ratio, Bolgeni, in eam mentem impulerit, ut a communi Scholasticorum sententia et verbis, et re discederes, non mihi satis apparet: nam major, ut ais, facilitas non sane derivatur a Systemate tuo pro justificatione definienda, qui videtur esse finis a te præfixus in tua Dissertatione. Non primum pro justificatione obtinenda extra Sacramentum; nam præter actum Charitatis perfectæ quoad naturam, et gradum opus erit actu benevolentiae, et Religionis, quo adjuncto, Deus diligatur super omnia, et quo sublato, non diligitur Deus magis, quam amans. Necesse est igitur, ut replicentur actus duarum virtutum, et quidem tales, ut inter se non dicant connexionem, cum actus benevolentiae, ut ex te vidimus, non necessario sequatur actum amoris. Non deinde pro justificatione obtinenda intra Sacramentum. Nam ipse requiris pro sufficientia Attritionis amorem perfectum quoad naturam, quamvis non pertingat ad perfectionem quoad gradum, et insuper efficacem detestationem peccati. Con-

tra vero Patroni pugnantes pro sufficientia Attritionis contenti efficaci detestatione supernaturali peccati cum Spe veniæ nullum requirunt amorem perfectum quoad naturam. Crescit igitur in tuo systemate difficultas justificandi se in homine peccatore.

§. U L T I M U S .

Extrema ad Bolgenium Allocutio .

78. **Q**uamquam te, Bolgeni Charissime, allocutus sum interdum in hoc meo tractatu verbis, ac expressionibus, quæ non illam magnam, quam erga te, tuasque animi præclaras dotes habere profiteor, præferre videantur æstimationem, id non meo adversus te genio, vel honoris diminutioni, sed rationum, quas impugnavi, minime ut arbitror, cohærentium insufficientiæ facile te esse daturum confido. Nunc vero ad operis extremum mei ad te, dilectissime, et mille nominibus observande Domine, me totum convertito, ut tecum amice loquar, et omnino familiariter de nonnullis rebus in Dissertatione a me notatis, quæ cum vim, et efficaciam non præsentent argumentationi, seu responsioni, periculum creare possunt in legente, et offensionem in audiente, ut mihi ipsi prima operis tui fronte pene accidisse profiteor.

79. Primo igitur loco certo scio, et video non probari multis amicorum tuorum vulgarem, qua usus es scribendi rationem in argumento abstruso, et perdifficili. Cur ego latine scripserim potius, quam vulgariter, rationes ab initio exhibui, quarum est hæc validissima, quæ quidem in te videtur esse multo etiam urgentior ex modo, quo materiam pertractas. An excusare te poterit quod ais n. 51. de animabus illis Christianis, quas invenisti, vix non se in statu perditionis considerantes, proptereaquod Deum amare non poterant amore benevolentia, quibus erat accurate providendum, et aliqua exhibenda misere afflictis consolatio? An item, ut occurreres periculosis impressionibus, quæ creari Lectoribus possent ex Philosophis Bayle, Rousseau, Voltaire, ejusdemque furfuris aliis Moralem Evangelicam impugnantibus, quia nos illa docet ad Dei Gloriam operari, et ex ejusdem amore puro, casto, et gratuito ut inquis n. 75.?

80. Equidem tuum, Cl. Domine, hac in re zelum commendo, laudo charitatem. Sed nec uni, nec alteri videtur mihi medium satis opportunum, et congruens vulgari scripsisse ratione, eo scilicet modo, quo rem pertractas. Quam enim, quæso, consolationem excipient ex Dissertatione tua, verum illis amorem ostendente, animæ illæ Christianæ, quæ in eadem ipsa (vel in limine) legunt, tuum hoc systema contrarium esse Theologis omnibus Scholasticis, et doctrinæ illi, quæ per eos, eorumque Discipulos, qui sunt ferme omnes.

nes Christianæ Religionis Magistri, docetur in omnibus Regnis, ac Provinciis, in quibus Nomen Dei sanctificatur, in Cathedralis, Pulpitis, Libris, et Catechismis? Idque per tot spatia sæculorum, in quibus tanti est habita Scholastica Theologia, a Summis Pontificibus mirifice commendata, et ab innumeris Literatorum, quos inter viri fuerunt non pauci notissimæ Sanctitatis, ubique culta, laudata, et ad revincendos hæreticos utiliter semper adhibita, præ quibus nihili sane erant habendi impii illi, et vecordes, quos commemoras, Philosophi.

81. At enim auctoritas, inquis n. 82., Theologorum Scholasticorum, amorem Dei benevolam sustinentium, debet omnino contemni, et pro nihilo haberi, si conferatur cum tot probationibus, et ita decisivis a nobis in contrarium adductis: *Non igitur multorum opiniones*, ait Chrysostomus, *habeamus, sed res ipsas, id est, rei veritatem teneamus*. Audio, quod dicis, Chare Bolgeni; sed animæ illæ Chrysostomi dictum non negantes, replicabunt, te ipsum eodem numero docere, Theologum Scholasticum debere semper firmare propositiones suas verbo scripto, vel tradito; et ipsæ animum inducere non possunt, ut credant, omnes Theologos Scholasticos, inter quos multi Sanctitatis eximie, huic suo muneri defuisse. Et eni animas, quibus providere curas, non minoribus afflictas angoribus, et anxietatibus post Dissertationem tuam, quam prius cruciabantur, et afflictabantur ex amore benevolentie. Pro iis igitur animabus sublevandis, et consolandis crediderim ego, consilium fore longe melius Dissertatione tua eas dirigere, et incendere ad quærendum Deum ut fontem æternæ felicitatis, qui plenitudine ubertatis suæ eas satiabit bonis omnibus in altera vita. Id quod per actus Spei, gratia Dei adjuvante, non difficile agere possunt, et debent.

82. Deinde illis proponenda beneficia divina tum naturalia, tum supernaturalia, tum generalia, tum particularia Creationis, Redemptionis, et Sanctificationis, unde possint attendere ad summam illam Bonitatem cognoscendam, ex qua tot in eas beneficia promanarunt. In memoriam revocanda Infinita Dei Patientia in illis sufferendis, Suavitas in attrahendis, Liberalitas in remunerandis, et ad summam Bonitas illa inenarrabilis, et Infinita Perfectio omnibus cumulata virtutibus, quæ nullo extra se indiget, et ex sola sua in nos inclinatione benevola vult se nobis communicare. His igitur propositis, quæ S. Ignatius præscribit in Exercitatione ad amorem divinum excitandum, et quæ nos etiam protulimus ex Chrysostomo, facile poterunt ex divina gratia se Deo tradere ad Domini tam Boni exequendam voluntatem in rebus saltem præceptis, et ex frequenti consideratione Bonitatis Infinitæ in Charitate crescere, et dilatari. Quis enim non sentiat accendi cor suum in amorem hominis justi, perfecti, misericordis, et erga omnes benefici? *Nihil est*, ajebat Tullius, *amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum*, unde ex illius con-

sideratione admirabilem quandam, dicebat, exardescere benevolentiae magnitudinem. Sic scribebat hic vere Philosophus magis sane doctrina laudandus, quam garrullus ille, et impurissimus Voltaire cum turba illa sua loquacissima Circulatorum, quos si ex Dissertatione tua, Cl. Domine, in bonam velis frugem redigere, rem inutilem aggrediare. Homines enim carnales sunt, sine proximo, ut ipsi dicunt, sine Fide, sine Spe delectationis aeternae, qua illos invitas. Quo igitur pacto se recipient in portum ea via, quam illis ostendis? Nequevero timendum nobis est, ne illorum inanum Philosophorum fallaces nugae benevolentiae amore aestuantes, aut etiam leviter affectos animos vel tantillum commoveant, qui ab illorum fraudibus multo sane facilius sese omnium Theologorum doctrina, quam unius Auctoris novis placitis tuebuntur.

83. Veniamus jam ad expostulationes amicas, quas amicorum nomine tibi exhibeo familiariter. Prima est exordium ipsum Dissertationis, quod sine controversia videtur omnibus paululum audax, et gloriosum. Sic enim nec sine admiratione legunt: *La Carità attuale si divide comunemente dai Theologi Scholastici . . . Si accordano tutti nel senso della distinzione, e divisione data da noi . . . Io dico, che la distinzione non ha luogo nella Carità attuale, poiche questa non consiste in altro, che nell' amore di concupiscenza.* n. 2. 3. 4. Dolent vehementer amici tui, quod haec scribens non habueris ante oculos terribile illud Pronuntiatum Melchioris Cani lib. 8. de loc. Theol. cap. 4. *Ex Auctorum omnium Scholasticorum . . .* Scis optime, Cl. Bolgeni, ab Schola Theologorum, qui dicuntur Scholastici, prodiisse omnes ferme Magistros Theologiae Polemicæ, qui adversus Hæreticos Fidei nostræ veritates tuentur; prodiisse Magistros Moralis Theologiae qui nos ad honestatem informant; prodiisse Doctores, et Catechistas, qui prima tradunt, et explicant Christianæ Doctrinae rudimenta. Cum igitur Theologos omnes Scholasticos contra te citas, omnes illos Magistros, Doctores, et Polemicos impetis, adoriris, oppugnans illo verbo *Io dico*. Video te in Declarationibus asperitatem emollire dicentem verbis, te a Theologis discedere, non re ipsa. Lætor ego mirum in modum, quod duritiam exordii Dissertationis leniveris; sed ut vere, et syncere loquar, prima citatio tua vera est, et, ut credo, vera tibi videbatur, cum Dissertationem scripsisti: tibi autem favere Theologorum neminem in negativo systematis, quo fictitium esse contendis amorem benevolentiae, satis, arbitror, demonstratum est.

84. Altera est amicorum expostulatio, quod non solum a cæterorum discesseris sententia in Ecclesia certe receptissima, sed quod ratione utaris scribendi nimis insolita, et parum temperata tum erga opinionem tuam singularem, tum adversus communem sententiam. A quarto Dissertationis numero id plane protestaris: *L' importanza estrema di questa materia richiede prove tali, che mettano la cosa fuori di ogni*

ogni dubbio. Præstare promittis rem tantam; et tandem n. 80. id a te præstitum cumulativissime, et fidem liberatam esse gloriaris ita scribens: *Le cose dette finora escludono onninamente questo amore (di benevolenza), stabiliscono con ogni certezza per vera Carità Teologica il solo amore di concupiscenza.* Multo sane vehementius scripseras n. 10. ubi post adducta aliqua Scripturæ testimonia, quorum pars ad Spem pertinet Theologicam, cætera autem exprimunt desideria, quæ amorem benevolentiae consequuntur, in quo una sola ratio principalis attenditur, nempe Divina Bonitas, quæ est Dei substantia, ut nos docent Thomas, et Antoninus, ita concludis: *Ora se l' amar Dio in questo aspetto, e sotto questo rapporto (da interessare il nostro ben essere, cioè il nostro piacere, e la nostra felicità ex n. 68.) non è un amarlo con vero amore di Carità Teologica, ardisco dire, che la parola di Dio scritta, anzi che servirci di lume e di istruzione per la nostra condotta, piuttosto ci getta nelle tenebre per farci smarrire la strada.* Clausula hæc tua, observandissime Domine, continet energeticum, nescio quid, quod ego verbis explicare non valeo. In auribus certe meis refert illa, non dico ingratum sonum, sed stridorem asperissimum, ut si dicam, me illam legentem, scribentemve totis artibus contremiscere. non plane mentiar.

85. Sed videamus, quibus verbis excipias contrariam sententiam: *Siami lecito (ais n. 39) il ripetere ciò, che ho detto anche di sopra (n. 10.) cioè essere cosa da fare una grandissima spezie, come molti Teologi (dixeras in linea vix non præcedenti moltissimi, et in Dissertationis Exordio tutti) abbiano messo fuori, e insegnato l' amor di benevolenza, amore onninamente imaginario, e chimerico, come conchiudentemente si proverà, e di quale non si trova fondamento (ne esempio, ne traccia in n. 10.) nella parola di Dio nè scritta, nè tradita.* Præterea amorem benevolentiae esse impossibile da farsi, doctrina falsa, false idee, idee ignote all' antichità tutta quanta (cum tamen per sex ferme sæcula floruerit Scholastica) attributa sunt, honores, et encomia, quibus sententiam contrariam commendare non cessas. Hæc ratio scribendi videtur multis eorum, qui te magni faciunt, Auctoris plus æquo sibi fidentis, nec ex Ecclesiasticæ modestiæ regulis disserentis. Et vero quis, quæso, irascatur illis, si huic loquendi modo opponant regulam scribendi, quam servandam nos docet Magister Canus, (hunc ego Auctorem tibi repræsentò, cujus regulas minime ignoras maximo in pretio haberi apud eos, quorum est judicium interponere circa propositiones Theologicas). Profecto Illustrissimus Canus lib. 12. de loc. Theol. cap. 10. ita definit prudentissime: *Dicitur rursus id temere asseri, quod insolenter, nimiumque audacter asseritur. Quomodo omnibus in rebus asseverandi temeritas, pronuntiandique audacia turpis est quidem; sed in his, quæ ad Ecclesiæ doctrinam attinent (et non loquitur de propositionibus ad Fidem spectantibus), est pe-*
ri.

viculosa vel maxime. Quis item succenseat iisdem, si tibi applicent, quod vitandum omnino in scribendo docet modestissime P. Franciscus Suarez disp. 1. de Fide sect. 2. n. 20. quod ego, quamvis pro re presenti scriptum esse videatur, lubens omitto, ut ad alia deveniam.

86. Tertia est amicorum expostulatio, et quidem ex animi dolore, qui alte infixus est, verissime profecta, quod plurimi prudentes ex omni ordine Viri non æquo ferent animo Dissertationem, in qua non videtur exhiberi reverentia illa, quæ tamen debetur maxima, propositionibus non receptis solum inter Auctores Classicos, verum etiam receptissimis in Ecclesia universa. Omitto verba, quæ scribis n. 38. *Non puo negarsi tuttavia, che le false idee (de amore benevolentiae) non imbrogliano la testa di molti, e massimamente dei Mistici, come ne posson fare buona fede i Quietisti; non puo negarsi, che queste false idee ritardano assai l'amor di Dio, e ne tolgono la soavità, e il fervore del cuore di quei Teologi, che sono imbebuti di queste idee*. Quietistas relinquamus, cl. Domine, qui si abusi foitasse sunt doctrina de amore benevolentiae, magis certe sunt allecti ex operandi radice unica, quam hominibus assignas tu quidem, delectatione scilicet, et amore proprio. Quod vero inquis de Theologis, qui amoris benevolentiae notionibus imbuti non persentiunt illam cordis suavitatem, et fervorem, res est dura nimis, et acerba, in qua etiam ipse falleris egregie, ut fidem faciunt amplissimam multi viri Sanctissimi, quos pro re nata laudavi, plurimos alios non commendans brevitatis causa, qui et insignes fuere Magistri Scholasticæ Theologiæ, et fervorem spiritus suavissimum in se experti multis a Deo delicijs, donis, privilegijs, et consolationibus cumulati sunt, quæ sane beatitudinem essentialem non faciunt, sed sunt, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 2. art. 6. *quoddam consequens ad ipsam, sicut per accidens*. Unde non tam propter se intenduntur, quam ex operationibus resultant.

87. Hæc, inquam, omitto, et venio ad n. 51. Dissertationis, in quo scribis hoc pacto: *Io ho trovate ben molte persone ingannate miseramente di queste false idee. E di qui può vedersi, quanto necessaria cosa sia il tentare di togliere affatto dal Cristianesimo queste false, e perniciosissime idee sopra l'amor di Dio*. Profecto dicere sententiam communem Theologorum, et ut verius esse videtur, omnium, et multo magis doctrinam in Ecclesia ubique terrarum receptissimam esse *ideas falsas, et perniciosissimas*, id ego conciliare non possum cum reverentia, ac submissione, quæ Sacris Ecclesiæ legibus debetur. Quam tu ipse verius, et modestius scribis in Dissertatione de Jurisdictione Ecclesiastica pag. 97. *Le massime, che in oggi seno sostenute da vari Scrittori noti, portano visibilissimamente in fronte il carattere di novità, ed artano apertamente la dottrina, e l'ingannamento comune: questo è un scoglio fatale. Per mostrar di evitar-*

lo si dice, che le massime nuove sono antichissime; ma che da alcuni secoli in qua hanno sofferto un grande oscuramento in grazia delle Scuole Peripatetiche, onde bisogna poi faticare assai per rimetterle nella pristina luce. Ita ibi. Qua vero consensione doctrinæ inter Dissertationem, et Dissertationem ipse videris, namque ego ad majora festino.

88. Quis enim non perfundetur horrore, aut quæ aures Christianorum non plane terreantur horrifico illo tonitru, cum sermonem inferens de doctrina morali, pro qua citas Auctores quinque Classicos ex omni Schola, S. Thomæ videlicet, Scoti, atque Suarij, et pro qua non dubitas laudari posse plurimos alios (namque intellecta, uti debet, et a me supra explicata est, poterat a te appellari communis Doctorum, qui amorem benevolentix docuerunt tanquam necessarium pro Charitate Theologica) in hæc verba sine deliberatione erumpis n. 69? *Che ascolto io mai! In queste palpabili contradizioni, in questi errori enormi conduce l'oscurità, e la confusione delle idee (hoc est epitheton, quo insignire frequenter soles notiones de amore benevolentix); e la licenza pur troppo familiare ad alcuni Scrittori di fabricar sistemi a lor capriccio, e di partirsi dall'insegnamento della Tradizione, per seguire le invenzioni della propria fantasia.*

89. Sed quid est, quod audio, dicam ego verius, Clarissime, et Observandissime Domine? An forte per errorem exarasti contra Doctores immerentes clausulam istam tuam, quam paraveras contra infœlices illos Sectarios, et Refractarios, quos in alijs Operibus fœliciter elucubratis gloriose impugnasti? Ego certe non crederem, fieri posse advertenter, ut cum tanto irrueres fragore contra Doctores Catholicos, et pios, non solum contra illos quinque, quos veris designas nominibus, nec solum contra alios multos rei Moralis Professores, quos non dubitas idem ipsum scribere, nec item tantum contra plurimos Theologos Scholasticos, quos alio in loco generatim indicasti; sed contra communiorem, immo fere omnium Theologorum sententiam, qui et arcte tenuerunt, et accurate defenderunt propositionem, quam vocas *Enorme errore, oscurità, licenza, capriccio, invenzione della propria fantasia*. Quæso, Charissime Bolgeni, omnem, ut par est, deferamus honorem viris doctissimis, nec sic agamus cum Ecclesiæ Filijs obedientibus, deque ea benemerentibus, ut interdum licet scribere contra Inobsequentes, Refractarios, et Hostes infensissimos.

90. Ego ipse, mi Domine, notavi multa in Dissertatione tua, quæ aures certe torquent meas; sed absit, ut ita inhumane, et incivilliter habeam aliquam è varijs propositionibus singularibus, quas mente volvo, et cogitatione voluto. Satis habeo, tibi ante oculos illas ponere, ut præoccupationis calore defervente, sedato corde, menteque tranquilla consideres, an illæ indigeant correctione aliqua, vel explicatione. In Operis decursu sæpissime repetis, hominem debere.

Deum amare ex utilitate, et proprio commodo, ex amore recto, quem habere debet ad delectationem, et fœlicitatem, quam unice in Deo videndo, eoque fruendo invenire potest. Recte quidem id dictum, neque est in eo quidquam, quod impugnari debeat, nedum reprehendi. Sed vero hæc propositiones, quæ in sensu positivo verissimæ sunt, et quas negare nemo potest, qui naturam intelligat Spei Theologicæ, a te ipso proponuntur in sensu negativo, et exclusivo, quasi nimirum nullus alius erga Deum amor esse, darive possit, qui non sit chimericus, et fictitius. Hoc igitur in sensu negativo, et exclusivo, in quo propositiones scribis, tibi propono secundis curis examinandas sequentes.

91. Prima sit ex n. 6. *Tanto è essenziale alla natura dell' amore il considerare la cosa amata sotto l' aspetto di cosa dilettevole, e gustosa all' uomo amante.*

92. Sit secunda ex n. 9. *Il cuor dell' uomo nell' amare siegue la bontà dell' oggetto amato, non già considerandola in se stessa semplicemente, ma considerandola in quanto è relativa al bene dell' uomo stesso, cioè in quanto è bene, e tesoro suo proprio.*

93. Sit tertia ex eod. num. *L' amor vien mosso dal proprio interesse, e cresce a proporzione di questo interesse medesimo.*

94. Sit quarta ex num. 33. *In tanto l' uomo gode, e desidera, che Dio sia quel Sommo Bene, che in fatti è, in quanto questo Sommo Bene è Bene godibile dell' uomo stesso.*

95. Sit quinta ex num. 40. *Gesu Cristo ci ha insegnato a desiderare la gloria di Dio, e la glorificazione del suo Nome . . . ma con questo noi non soddisfacciamo al primo, e massimo comandamento: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Per soddisfare a questo comandamento . . . ci amaestra Gesu Cristo con quella domanda: Adveniat Regnum tuum . . . cioè a desiderare Dio, per goderlo come nostro ultimo fine, e nostra felicità, e beatitudine eterna.*

96. Sit sexta ex num. 45. *Santo Agostino afferma non altro essere l' amare che il desiderare qualche cosa per goderne. Hanc propositionem, mi Domine, ad amorem refers Charitatis, et scribis verba Augustini rem appetere PROPTER SE IPSUM (nempe amantem) litteris grandioribus, ut tua opinandi ratio lectori magis innotescat. Nec tibi do vitio, quod illa ex Augustino transcriperis, cum in aliquibus Editionibus non emendatis inveniantur, sed laudare non possum, quod idem existimes esse rem appetere propter se ipsam atque rem appetere propter se ipsum cum sola litterarum transmutatione, unde idem erit, creaturam diligere Deum propter Deum, ac diligere Deum propter creaturam.*

97. Sit septima ex num. 49. *La Carità nostra verso Dio in questo secolo puo sempre crescere, perchè puo crescere in noi la cognizione degli attributi di Dio. cioè puo sempre crescere la cognizione di quel Sommo Bene, di quella beatitudine, di quella immensa felicità, che Dio tiene*

pre-

preparata a quelli che lo amano . (et hanc foelicitatem consistere ais n. 68. in delectatione : La felicità dell' uomo consiste nel piacere) .

98. Sit octava ex num. 69. *Quando noi sentiamo nominare l' Indipendenza (di Dio) , certo noi l' amiamo : ma l' amiamo , perche subito la concepiamo come una cosa , che ci cagionerebbe piacere l' averla , e sarebbe conducente alla nostra felicità . Del resto prescindete da questo piacere , e felicità . . . e direte proprio , non mene importa niente .*

99. Sit nona ex eod. num. *Rappresentatevi all' intelletto la giustizia di Dio dopo la nostra morte , giustizia che castiga inesorabilmente il peccato , ne più perdona : voi subito sentirete sorgere nel vostro cuore un affetto , un moto disgustoso , che in realta è un odio . Bisogna per respingere questo atto così cattivo ricorrer subito a pensar a la misericordia di Dio .*

100. Sit decima ex num. 85. *La benevolenza nasce dall' amore , volendo noi il bene ad altri (indeque Deo) appunto perche questo bene torna in nostro vantaggio . Omitto alias ejus generis propositiones , quas in Dissertatione passim lego , et quas colligis omnes in sequenti propositione in Declarationibus .*

101. Sit undecima ex num. 5. *Declarationum . L' unica molla di tutte le sue (hominis) operationi grandi , o piccole , esterne , o interne è l' amor del suo ben essere . . . in una parola l' amor di se stesso .*

102. Sit duodecima ex num. 74. *Declar. Ho detto apertamente , e torno à confermarlo anche adesso , che un tal amore , che prescinde dal considerare Dio , come bene proprio dell' amante (id est , ut bonum , in quo amans invenit suam delectationem , et gaudium) è impossibile , e chimerico .*

103. *Lege jam tandem , Bolgeni dilectissime , recole , considera propositiones has tuas semel , iterum , tertio scriptas vulgari lingua , atque adeo rudibus etiam intelligibili , unde fit etiam , ut vel in circulis imperitorum sint conversationis argumentum ; considera , inquam , an possint pias Fidelium aures offendere , huic rationi loquendi minime assuetas , et illud perpende , quod laudatus Magister Canus scribit de propositionibus male sonantibus : in quibus scilicet nullus quidem error adversus Fidem manifeste notari potest , sed absonum quid , atque absurdum , quod indignum esse pijs , et religiosis auribus videtur Et paulo post : Alter gradus propositionum male sonantium , quæ , licet bæresim non sapiant , sonum tamen quendam absurdum , et peregrinum referunt etc. Nec erit inutile , si hac super re legas Suaurium maxime circumspectum in argumento , quod versamus . Nam sect. 2. nuper laudata fortasse invenies aliqua , ex quibus pedem te referre non certe alienum a tua sapientia existimabis . Ego certe minime auderem , tuam hanc scribendi rationem innuere in exhortatione ad Monacas , aliasve personas perfectionis studiosas ; namque futurum esse certo crederem , ut illæ ipsæ ex intimo animi sensu , ex propria rerum experien-*

rientia, et ex inclinatione, quam bene persentiunt, Charitatis erga Deum, me ipsum reprehenderent, et vultu ipso tristi falsitatem obicerent.

104. Est etiam alia amicorum expostulatio, qui sibi videntur invenire propositiones alias, quas sola bona fides, et vehementia in scribendo ex fervente impetu profecta excusare forsitan poterit. Post insolitam admirationem, quam lectori communicas n. 38. quod scilicet plurimi Scholasticorum (omnes, ut fassus eras ab initio Dissertationis) amorem docuerint benevolentiae, id est, omnino imaginarium, chimæricum et cujus nullum est vestigium in Scriptura, nullum item in Traditione, ad motus transis commiserationis super eos, qui hac falsa doctrina infœliciter instructi sunt, et sic scribis: *Si tratta qui di una materia della massima importanza, nella quale le false idee possono essere di gran danno ai Cristiani. Si insegna ai fanciulli, e al popolo rozzo a fare atti di amor di benevolenza: vale a dire, si insegna loro una falsa dottrina circa l' amor di Dio.* Scis optime, Charissime Bolgeni, quam alte animis hominum inhæreant, mordicusque teneantur primæ notiones, et ideæ, quas a pueritia recipimus. Scis item, Populum rudem plerumque esse incapacem exuendi se primis illis notionibus, ideis, atque principijs, quæ in materia eorum transcendente capacitatem ab illis ipsis didicerunt, quos bene instructos in argumento supponunt, e quos jure credunt, neminem velle fallere, sed veritatem omnem ex officio docere. Igitur si pueri, si rudes instruuntur ad doctrinam falsam in re momenti maximi, fieri vix posse videtur, ut maximum inde non sequatur damnum, et detrimentum forsitan irreparabile. Neque id solum fiet, verum etiam fatendum est, id evenire ex Ministrorum causa, de quorum capacitate, doctrina, et bona in docendo voluntate minime dubitant. Atque hi quidem sunt Pastores, sunt Parochi, et alij Ecclesie Ministri ab eadem hunc in finem electi, et confirmati. Ergo res ista non est tantum, ut inquis, admiratione digna, sed res est, quæ horrorem ingenerat incredibilem in audiente. Id tamen est illud ipsum, quod in Dissertatione proponis omni hominum generi in lingua vulgari, plana, et pueris, vetulisque intelligenda; et quod sine dubio perveniet ad eorum aures, quibus doctrina, quam tantopere insectaris, non semel tradita est. O Populos infœlices, Nationes miseras, Provincias, et Regna sic male ad amorem a suis Pastoribus informata?

105. At audite te videor dicentem, huic te gravissimo damno occurrere satis. Ubi, precor, ubi? Nam id ego vehementer exopto, cum ut claro tuo consulas nomini, et ex cæteris operibus honori jure parto, tum ut a Fideli Populo maximum detrimentum arceatur è falsis Instructionibus obventuram. Numero 38. Dissertationis parlam scribo: *Lo Spirito Sancto co' suoi lumi, e movimenti impedisce l' effetto delle false Istruzioni . . . sicchè poco danno torna al Popolo Cris-*

siano delle false Istruzioni sopra l' amore di benevolenza. Quod in Declarationibus magis explico p. 112. Il Popolo per l' Istruzione pubblica nella Chiesa è avvezzo a riguardar Dio come fine suo ultimo . . . inoltre l' intimo sentimento, e la pratica gli fa conoscere, che amare non è altro, se non desiderare il bene per goderlo. Ex quo illam colligo propositionem: No, i Catechismi Cattolici non insegnano male, nè ci propongono una chimera. Mi bone, quam varie convolveris huc, et illuc! Quam parum vere, parumque constanter scribis! Multa jam dixi alio in loco de hoc inutili effugio tuo, et quidem talia, quibus solvendis nihil solide excogitari posse videatur. Nunc vero dico, Declarationes cum Dissertatione pugnare, et Dissertationem cum Declarationibus non convenire. In Dissertatione traditur pueris, et rusticis doctrina falsa, et chimerica; in Declarationibus Catechismi bene docent, et chimeram non tradunt. Ecce autem? Quia Populus, inquis, Christianus ex intimo animi sensu, et ex praxi cognoscit etc. Visne, Charissime Bolgeni, Ecclesiam docentem in præcipuo doctrinæ Christianæ puncto facere invisibilem sensu cujusque interno innixam? Eo sane tendit responsio tua, sicut et altera, quod nimirum Spiritus Sanctus lumine suo impedit effectum falsarum Instructionum. Et quidem illud negari a nemine potest, Pastores gregi suo proponentes amorem benevolentiae propter Deum infinite Bonum, et infinite dignum omni amore nostro, velle intimare Fidelibus, præter amorem æternæ Beatitudinis debere illos amare Deum ut in se Bonum. Unde Populus ex interno suo spiritu cognoscens amare Deum propter se, esse desiderare æternam suam sclicitatem, Pastores docentes corrigit, eorumque rejiciens doctrinam in proprio interno spiritu obfirmabitur.

106. Quæ tamen ipsa neque tibi visa sunt satis solida, unde num. 41. Dissertationis aliam indicas rationem, ex qua publico Fidelium damno occuri potest. *Raccogliasi il sentimento della Chiesa dai Catechismi . . . Benchè questi Catechismi per la massima parte siano stati composti da Persone prevenute, e inebute nella dottrina dell' amor di benevolenza, contuttociò si trovano in esse le traccie di quel amore di concupiscenza, che noi sosteniamo . . . In forza della verità, che gli Estensori de i Catechismi hanno sentita intimamente dentro de loro stessi, ed hanno confessata in diverse maniere senza avvedersene. Dobbiamo anche ammirare, e ringraziare in ciò l' amorosa Provvidenza di Dio . . . Lo Spirito Santo allora guida la penna dei Catechisti etc.* Hæc responsio, Bolgeni Cl., eas continet veritates, quæ accusationem instituunt ita claram, justam, et convincentem contra Dissertationem tuam, ut omnino tenearis nulla altera quæsita ratione, ad tranquillam recognitionem, vel etiam claram, et minime ambiguam revocationem systematis amorem negantis benevolentiae. Fateris ipse Ecclesiae praxim eruendam, cognoscendam, et demonstrandam è Catechismis in Ecclesia receptis, et hanc ejus esse doctrinam publicam. Jam

vero Instructio illa, quam pueris, rudibusque dicebas tradi num. 38., eadem ipsa intimatur illis in Catechismis, quos viva voce explicant, declarant, et extendunt Pastores, et Catechistæ. Palam et ipse pronuntias, Spiritum Sanctum pennas dirigere Catechistarum (quid intendas significare, satis intelligo, quamquam verba pressius sumpta majus aliquid significare videntur). Nec negas, maximam Catechismorum partem compositam esse a Doctoribus amore benevolentiae præventis. Hæc est sincera, plana, et scripta in Dissertatione confessio tua, pro cuius integritate id ego addo, quod fuscè prosecutus sum cap. 4. de celeberrimis totius Orbis Catechismis a Romano usque ad Catechismum Græcorum. Igitur si Spiritus Sanctus calamos dirigit Catechistarum, et hi maxima ex parte, ut tu fateris, et universim, ut ego invictè probavi, amorem docent benevolentiae, benevolentiae amor non est chimæricus, non fictitius, non continet doctrinam falsam, nec ideas cum veritate pugnantes, nisi velis, ut vel doctrina Ecclesiae publica non tradatur in Catechismis, vel ut Ecclesia in argumento gravissimo, præ cæteris propius ad Religionem nostram pertinente, doceat Populum Fidelem doctrinam falsam. Vide, te rogo, chare Bolgeni, in quas te salebras, atque difficiles anfractus conjeceris imprudens, è quibus te si velis (debes autem velle maxime) expedire; tu tecum rationem, et modum diligenter considerabis.

107. Docent profecto Catechistæ amore imbuti benevolentiae tuum illum amorem concupiscentiae, quem rectissime promotes tanquam necessarium moribus Christianorum reformandis, et perficiendis, illumque docent ex professo, ut qui animum erigit, et imbecillitatem nostram confortat spe cœlestis Beatitudinis. Unde ex hac parte nihil timendum de pueris, et rudibus, nec est opus recurrere ad magisterium internum, et invisibilem Spiritus Sancti, ut externum corrigat Catechistarum magisterium. At timendum, dices forsàn, de Instructio-
ne ad amorem benevolentiae. Sed vero hic ego ex te, Bolgeni, requiro. Hæc instructio ad actus benevolentiae non traditur a Pastoribus, et Catechistis eadem ipsa ratione publica, qua tradunt amorem concupiscentiae æternæ nostræ foelicitatis? Ita quidem est. Imo ut tu ipse innuis, atque supponis, cum majori traditur conatu, magisque ex professo, et cum majori publicitate; nam amorem concupiscentiae tradunt illi inadvertenter, *senza avvedersene*, amorem autem benevolentiae docent terminis clarioribus, et mentem ipsi suam omnimode declarantes. Visne, ut Auditores, pueri, foeminae, rudes id recte intelligant, quod latenter dicitur, et quod ex professo, *everbisque clarissimis insinuat*, minime capiant? Id te contendere, non præsumo. Reliquum est igitur ut a tuo desistas opinandi modo, et Ecclesiam docentem non certe falsa, sed omnino vera per Catechismos toto terrarum orbe dispersos reverearis. Nec enim quæ adducis in Dissertatione, et in Declarationibus addis, talia sunt, ut tuum

systema singulare, ejusque veritatem extra dubium omne ponant, ut gloriaris. Id quod cognoscere magis poteris ex tot impugnationibus tum verbo, tum scripto factis contra systema tuum ab illis ipsis, de quorum fide, amore, et benevolentia minime dubitas.

108. Scio, id tibi accidisse novum, quod ab iis impugnatus sis, de quibus ne minimum quidem videbatur esse timendum, et coram amico meo id palam edixisse: *Res profecto peregrina satis videtur: Tacent Magistri, silent Doctores, et alii Viri Docti non contradicunt, et illi soli, illi, . . .* Mi Bone, quod Viri Docti taceant omnes, non est certe verum. Cl. P. Gazaniga in suo Opere Theologico nuper edito, satis indicat, quod de tuo systemate judicium ferat, cum non leviter commendavit Cl. Muzzarellium contra te scribentem, cum meritis extulit laudibus Anti-Bolgenianam Dissertationem Sapientissimi Theologi Joachimi Cortes. Sed esto. Nullus eorum contra te stylum acuerit. Quid tandem? Probabunt ne ideo Dissertationem tuam? Dicam ego tibi, quid sentiam in re. Viri Sapientes ex omni cœtu, classe, atque ordine sic secum ipsi cogitant. Bolgenius, vir certe eruditione conspicuus, unus est; quamvis sapiens, est tamen homo privatus. Systema erexit singulare de amore Dei, sed unus cum sit, officere non potest causæ communi, consensioni Theologorum, et Ecclesiæ doctrinæ receptissimæ. Sibi tantum officit homo literatus, et quod ex cæteris operibus clarissimum nomen comparaverat, ex hac ejus doctrina singulari obscuravit. Ita profecto judicant apud se, nec tamen ita sensa interna silentio premunt, ut aliquorum cogitationes ad aures meas non pervenerint.

109. Illud ego asseverare ex certo judicio possum, audivisse me propriis auribus a Viro vere pio, vere docto, et in omni literatura Sacra versatissimo verba hæc suum de tuo systemate amoris judicium non certe favens significantia: *Devorator librorum ego sum, animum tamen obfirmare non potui, ut systema Bolgenii legerem continenter. Tribus, quatuorve vix lectis paginis liber e manibus decidebat, ut octo menses consumpserim in lectione operis, quam paucis diebus conficere potuissem, nisi animum avertisset meum et scribendi ratio, et modus opinandi singularis.* Et hi quidem tacent, te non impugnant certo scientes communi causæ officere non posse privatum hominis sensum quamvis sapientis, quamvis eruditi, quamvis omni exculsi doctrina.

110. At vero illi, illi . . . qui tecum habuere olim cognationem quandam, quibus tecum quondam fuere omnia communia, qui te verissimo prosequuntur amore benevolentiae, deque tuis lætantur bonis, quasi sua essent, et de malis dolent, perinde ac si eorum essent propria, hi certe, quoniam ad eos pertingit propius decus, honor, et gloria, quam ex cæteris libris peperisti, hi dolent, hi lugent, hi contristantur, quod a Theologis in opinando discesseris in re gravissima, in qua Ecclesiæ totius consensio contineri videtur. Nec unus amor
be.

benevolentiae de malis dolens amati est illis causa tristitiae, sed amor etiam concupiscentiae doloris partem exacuit. Namque ut ex reliquis tuis elucubrationibus cum admiratione susceptis nonnihil honoris, et gloriae in illos derivabatur; sic ex hoc tuo systemate singulari in se quoque judicant deduci nonnullam maculam obscuritatis. Atque haec quidem est verissima ratio, cur hi, de quibus minus timendum tibi esse videbatur, te impugnent voce, litteris, et scriptis, precantes, postulantes, et obtestantes pro vera erga te, quem ex corde diligunt, amicitia, ut opinionem, quam sine macula honoris tenere te non posse arbitrantur, tuae memor dignitatis sine cunctatione deponas.

111. Et saltem si in substantia (ut inquis) et in re cum reliquis perfecte conveniebas, quid erat, cur de nomine contra omnes disputares, et novum erigens systema, novo, et inaudito conatu Scholasticos omnes impetere solus non dubitares? Magis, puto, ex usu tuo fuisset, si primam impios refellendi viam constanter tenere voluisses. Perge porro: Deo favente, bonisque omnibus probantibus, Ecclesiam Sanctam, rectosque mores ne cesses unquam propugnare. Hoc amicorum est votum: hoc ejus desiderium, qui te amat ex corde, et quem ut amicum habeas, precatur enixe, sin minus *jucundum*, certe *genuinum*, ut Damascenus ajebat.

112. Haec habui, quae de Charitate Theologica, deque novo super Dei amore systemate Bolgeniano dicerem, nimium quidem multa, ut nonnulli litteris eruditi Viri, etiam plus aequo subtilia, ut vulgares plurimi, profundiora quam pro communi hominum intelligentia, ut plerique fortasse existimabunt. Qui si omnes in argumenti gravitatem, praestantiam, ac difficultatem animum velint advertere, consilium eos esse meum probaturos confido. Neque enim in id ego unice intentus fui, ut miris, et novis Auctoris Clarissimi placitis minutissime responderem; sed ulterius etiam ut rei per quam difficilis, et praecipuae veritatem ipsam hactenus semper suo loco per universos habitam, nunc vero in dubium, ac discrimen ab uno illo vocatam, ex omni Theologico loco, quam possem clarissime, confirmarem. Quae in re tria illa superiora, vel etiam eorum aliquid si tollas, non tu disputationem conficies mutilam, remissam, nec satis Viris Theologis dignam pro gravissimo Charitatis, caeterarumque virtutum infusarum argumento. Faxit Deus O. M. ut qui labor a me susceptus est ex intimo, et vero, ut arbirror, in Divini Nominis sanctificationem, et salutem animarum Charitatis affectu, in unius etiam DEI MAJOREM GLORIAM reipsa nunc, atque omni tempore vertatur.

APPENDIX

SUPER EXTREMA APOLOGIA BOLGENIANA.

1. **J**am ad finem properabat operis edito, cum avide legi, ac diligenter expendi tuam, Vir egregie, quæ nuper in lucem prodit, novissimam Apologiam 400. ferme constantem paginis, qua tuis ipse impugnantibus facere satis, superque non sine quadam animi sibi blandientis fidentia gloriaris. Quam ego eandem novissimam jure, et consulto dixerim: nam Declarationes illæ tuæ, quas Dissertationi addidisti, prima sunt tui systematis Apologia; Digressio autem querula, nec brevis illa quidem, inserta contra naturam, et genium Minervæ Libello de Jurisdictione Ecclesiastica, jure merito potest appellari secunda; indeque hæc altera, et tertia, ultra quam nihil hoc de genere deinceps esse tibi disputandum prudenter sanxisti, recte dici debet novissima. Sed ut vere dicam, quod sentio, quamvis Apologias aliam ex alia sine fine produceres; minime sane putarem, probaturum unquam esse te peritis hominibus singularem hac in re tuam opinandam rationem.

2. Non dubitabam equidem, nihil adducendum fore novi in hæc Auctoris ingenii, ac mentis contentione postrema, quod in hoc meo tractatu Theologico præoccupatum non fuisset; sed tamen, ut est hominis nonnihil solliciti, legebam primum studiose Bolgenij opus, deinde remisse, ac tandem tepidissime: adeo fere nihil erat, quod mihi probaretur. Nam quod amorem spectat benevolentiae chimæricum (ut ipse ait), ac plane fictitium, nullum in eo reperi auctoritatis, nullum rationis momentum, quod non fuerit in Opere, quod paraveram, omnino præcisum, dirutumque: contra vero non pauca quidem reperi, quæ mihi exosam illam lectionem reddidere. Nam displicuit vehementer Auctoris arrogantiae quædam species, fastus quidam, et contemptio erga alios aliter opinantes egregios Viros; displicuit etiam infallibilitatis, atque evidentiae nomen, certitudinis, ac demonstrationis quædam jactatio, quibus passim nominibus res ex arbitrio solo, gratisque positas decorare non veretur: ac tandem majorem in modum displicuit, quod, quasi unus ipse in Ecclesia, et Theologorum Scholis saperet, rectaque incederet via, sic reliquos omnes contra ipsum sentientes uti cæcos quosdam, et errantes tra-

da.

ducit, castigatque his, et similibus verbis: *Sono stati tratti fuori affatto di strada . . . da capo à fondo delle loro impugnazioni. Nec solum præteritos, et præsentis ita male excipit, sed futuros etiam, ac fere non omnes posibles. Hinc declamationes perpetuæ contra Clarissimos Muzzarellium, Cortesium, et Regond, et quod magis mirere, nulla, quæ cogitari possit, probabili causa. Quid enim peccavit mitissimus Comes Muzzarellius, ut sic in illum scribat illiberaliter p. 79. Come dunque ha avuto la inavvertenza, o il coraggio di dirmi . . . Non è ella cotesta una ostinazion portentosa nel proprio falso sentimento? Eccur ista? Quia dixerat Muzzarellius, et vere dixerat, Bolgenium scilicet explicare suo modo *ly propter ipsum*. Sic se habent cætera, quæ a p. 239. in illum sine probatione jacula passim contorquet: *Grandi, e quasi continue confusioni di idee . . . A forza di sottigliezze . . . Costretto da quella confusione di cose . . . Vedete disgrazia di un pover' uomo . . . Ad ogni tratto s' inciampa in una confusione . . . Sarebbe essa bene in bocca di un Quacquero. Facciamo sentir meglio al nostro avversario lo erroneo di quella proposizione. Unde semel, iterum, ac sæpius pronuntiat, proxime accedere Muzzarellium erroribus Quietistarum.**

3. Quid item peccavit vir vere sapiens, et doctus Antonius Josephus Regond? Omnino nihil. Audi tamen, quibus eum humanissimis excipiat verbis a p. 298. *Questo Dottor di Theologia, e Professore emerito di Filosofia nella Regia Università di Sassari non ha mai compreso il fondo, e lo stato della questione presente: che per conseguenza egli va fuori di strada continuamente battendo l' area, ed erra teologica, e filosoficamente da capo, a fondo. Nonne pulchra sunt ista, et humanitate plenissima? His accedunt similia, quæ prius de eodem dixerat: *Riscaldatosi un poco troppo il suo zelo . . . si sono inalzate delle folte nebbie al suo intelletto. Compatisco la sua disgrazia. Atque hæc in clarissimum, et doctissimum Virum, quæ nec in tirunculum stolidum a Sapientissimo Præceptore dici oporteret.**

4. In Cortesium quot effutiat Bolgenius, legat qui volet ejus modestiam demirari. A p. 267. usque ad 297. tot in Apologia lego dicta inurbana, et rustica, ne dicam, adversum vere urbanum, et ingeniosum hominem injuriosa, eaque lingua vulgari expressa, vetulis etiam, et tonsoribus communi, ut opus esset transcribere multa nimis, si dicenda essent omnia. Sit tamen in specimen §. IV. cap. 3. *Chi volesse tener dietro a tutti i grossi errori, e di ogni specie, che l' Abbate Gioachimo Cortes ha saputo accumulare nella sua Anti-Bolgeniana de Amore Dei Dissertatio, bisognerebbe, che facesse un Libro più grosso della Dissertazione medesima . . . il carattere . . . è di non batter mai il punto . . . è uscito di strada; corre a perdita . . . Et §. V. è tanto infatuato dell' idea . . . dico è tanto infatuato di questa idea . . . Non credo, che dalla penna, ne dalla bocca di verun Cristiano sia u-*
sci.

scito mai un errore si strano . . . Diciamo di tutto cuore anatema a si erronea proposizione . Et cum objecisset Auctori Theologus ille, quod in ejus Systemate non esset locus amori honesto per se amabili, et expetibili, quod perinde videtur esse, ac si faceret esse homines *sicut est equus, et mulus*; Bolgenius post responsionem non bonam, in qua unice detegit incohærentiam suorum principiorum, ita confirmat lepidissime responsionem: *Mi verrebbe ora la tentazione di sospettare che tra gli uomini veramente ci fosse qualche equus, et mulus, ò alcun' altra bestia somigliante, quibus non est intellectus.* Euge Vir, si quis unquam, modestissime! Omitto Corradi, Layman, Filliucium, Reinfestuel, et Antoine, quos iterum in arenam Auctor producit, et quasi non illos castigasset inclementer, et injuste in Dissertatione, hic etiam acrius objurgat æquitate non majori. Eos vero in pace relinquentes, ad viventes nos convertamus.

5. Ac primum nonne tres isti ingeniosi sane, et graves Theologi, tui olim fratres, Bolgeni, arcissimo tibi conjuncti fœdere ex amore veritatis scripserunt, de tuo magis honore solliciti, quam de proprio, quem pessimo loco apud plerosque versari sentiebant? Quid igitur erat cur illos tam parum tractares humaniter ratione utens scribendi non certe digna sapientia tua, et a modestia illa, quam a puero didicisti, non mediocriter abhorrenti! Nullum enim verbum ipsis exciderat vel aculeatum, vel minus urbanum, quo bilem cuiquam vel crudissimo aut stomachum commovere possent; nisi si forte quod aliter, ac ipse, senserint, vitio illis vertatur: quod vides, quam sit novum crimen, et usque in hanc diem inauditum. Nonne id ipsum plane prævideras, cum in tertia Dissertationis pagina scribebas: *Questa proposizione a molti Teologi Scolastici pare falsa, ed assurda?* Quid est igitur, cur modo sic feras ægre, ut illi te impugnent, et suis efficiant rationibus, quod satis est ad ponendum ante oculos Systematum periculo non vacans? Deinde si rem ipsam mecum diligenter considero, tria mihi video, et statuo pro rei susceptæ meritis esse præstanda. Primum enim ea omnia sequar, atque discutiam brevissime, quæ pro amore benevolentia chimærico denuo invenit Auctor Apologiae. Deinde judicium proferam de responsione, quam exhibet ad argumenta impugnatorum, ubi et attingam errores illos, in quos omnes, vel eorum certe aliquem, offensurum esse prædicat, quicumque illum impugnare tentaverit. Tandem propositiones aliquas Auctoris perstringam, quæ certe dignæ mihi visæ sunt nota aliqua, vel castigatione.

*Quid denuo afferat Apologiæ Auctor contra amorem
verissimum benevolentia?*

6. **T**ractat Auctor in primo Capite de Bono, de actibus voluntatis, de eorum motivo, de medio, de fine ultimo, de actibus implicitis, de elicitis, et imperatis, de amore in genere, de amore proprio, et quid sit Deum amare propter se etc. in quibus sunt plurima non e recta, et media Philosophia, quæ omnia prosequi modo non vacat. Omnia tamen ea, quæ tantilla probabilitatis specie hic a ratione producit philosophica, discussa nobis accurate sunt in Prolegomenis, ex quibus satis, ut arbitror, manifeste constat, non semper operari voluntatem propter delectationem tanquam motivum actus, sed operari interdum propter rectitudinem, et honestatem actionis. Legatur Prolegomenon secundum, tertium, et quintum, in quibus rem istam in bono lumine collocavimus. Nec est idem operari cum delectatione, ac agere propter delectationem, ut evici ex rationibus Philosophicis, et Theologicis cum S. Thoma in Prolegomeno VIII. Præterea delectationem esse finem actuum cæterorum voluntatis, utpote actum extremum, ad quem amor, et desiderium ordinantur, et in quo jam cessat motus voluntatis, ostendi ex eodem S. Doctore, et ex Suario in Prolegomeno I., et hanc esse causam, cur Epicurus, et Ambrosius passiones animi *voluptate* circumscriberent, et *dolore*.

7. Sed Auctor eo tendit Ontologia sua, ut motivum verissimum amoris sit *il che piace, perche piace*. Unde scribit pag. 40. *Si tolgæ dall' oggetto quel che piace: il senso comune dice subito, non m'ene curo niente. Dunque il che piace è il vero ed unico motivo dell' amore*. At hic latet æquivocatio ab Auctore non observata. Illam detegit Suarius in amore honesti. Bonum honestum placet homini dirigibili per rectam rationem, est enim illi conveniens, et illum per se decens; at amor boni honesti non fit propter delectationem amantis tanquam motivum amoris, sed decencia honestatis movet hominem ad amandum bonum honestum. Ratio est, quia delectatio ipsa est de bono conveniens; ergo hæc convenientia supponitur ad delectationem; sed idem est objectum delectationis, ac objectum amoris; ergo amor respicit idem bonum conveniens, quod respicit delectatio; ergo amor boni honesti non respicit pro objecto præcise delectationem, sed aliud, quod præsupponitur ad delectationem. Quid est igitur illud? Bonum conveniens. Et cur bonum honestum est homini conveniens? Quia nempe hominem per se decet. Hæc igitur decencia est motivum immediatum amoris. Aliter; nemo gaudet nisi de eo, quod amat, et quod desiderabat: sed gaudium et delectatio est de
bo-

bono honesto ut contradistincto a delectatione; ergo amor, et desiderium bonum honestum respiciunt ut a delectatione distinctum. Hæc Suarii metaphysica profunda et vera, quam legere potest Auctor disp. 10. Metaph. omnes ejus conatus evertit a ratione petitos, cum amor ad bonum honestum refertur. Etenim bonum honestum est per se homini conveniens, quia per se decens, quæ decencia est ratio primaria hujus convenientiæ, neque enim decencia repetenda est ex delectabilitate, cum multa sint delectabilia, quæ non decent hominem, ut nemo ignorat. Cum igitur homo delectatur in bono honesto, non delectatur in delectatione, sed in bono convenienti, et bono ipsum decenti; atqui eo delectatur, quod amat: amor igitur boni honesti non est ad delectationem, sed ad bonum conveniens, vel ad bonum decens animum hominis rationalem.

8. Hanc eandem Ontologiam S. Thomæ, et Philosophorum, qui a Sapientibus, et SS. Patribus celebrantur, ostendimus in Prolegomeno V. a n. 4. De Aristotele superfluum est indicare quidquam, nec opus est de ejus Magistro Platone multa texere, quæ tamen ad manum habeo, et libentissime darem, nisi molestiam me lectori creaturum esse timerem. Legatur tamen summus hic Philosophus in Dialogo *Lysis*, seu de *Amicitia*, ex quo constat amicitiam honestam *reciprocam* esse *benevolentiam*. In Dialogo 2. de *Repub.* vel de *Justo*, ubi Justitiam docet his rebus annumerari, quæ propter se sunt principaliter expetendæ multo scilicet magis, quam propter utilitates, et præmia etiam in altera vita, ut probat Dialogo 10., illamque sequendam monet, et expetendam, sive lateat, sive non lateat Deos, et homines. In Dialogo 8. de *Legibus*, vel *Legumlat*; in quo tres amicitias distinguit, *honestam*, *cupiditatis*, et *mixtam* ex duabus: τὴν τῆς φιλίας τὴν καὶ ἐπιθυμίας ἄμα καὶ τῶν λεγομένων ἐρώτων φύσιν ἰδεῖν ἀναγκαῖον εἰ μέλει τίς ταῦτα ὀρθῶς διανοηθῆσεσθαι. Primam esse dicit similis ad simile, quam ad solos contrahit bonos, atque honestos. Φίλον μεν που καλῶμεν ὁμοιον ὁμοίω κατ' ἀρετὴν καὶ ἴσον ἴσω. Ab hac autem amicitia honesta excludit in Dialogo *Lysis* emolumentum, et utilitatem. Οὔτιοῦν ὁμοιον ὁτώδου ὁμοίω τίνα ὠφέλειαν ἔχει ἢ τίνα βλάβην ἀν ποιῆσαι δυναίτο: Duo tamen præ oculis habenda sunt, nequis æquivocationem incurrat inter legendum Platonem. Primum, sæpe Philosophum Sophistas revincere, et impugnare ex eorum principijs (ad hominem, ut dicunt, vel ex concessis), quin tamen probet falsam eorum doctrinam. Unde probat contra eos, virtutem esse amandam, etiamsi nullum esset aliud bonum, quam *utile*, et *delectabile*. Et in Dialogo de *Amicitia* in multa deducit absurda Empedoclem, et Heraclitum, quibuscum disputat, ut bene notat ejus egregius Commentator Marsilius Ficinus, ita lectorem præmonens: *Hæc absurditas non ex Platonis mente sequi-*

tur, sed ex Empedoclis, et Heracliti dictis. Alterum est, Platonem frequenter exprimere amorem per hoc nomen nobis profecto clarius *Desiderium pulchri*. Quod et non semel præstitit Augustinus causam explicans, ut notavit Angelicus, per effectum notio-rem. Sed desiderium pulchri ex amore honesto procedens non eo tendit ex Platone, ut bonum sibi desideret, sed ut id amico desideret, et procuret. Proprium est igitur hujus desiderij, ut majorem bonitatem, et pulchritudinem desideret in amico. *Enitere, ut pulcherrimus fias*, ait Socrates apud Platonem in *Alcibiade primo* vel de *Natura hominis*. Et cum sermo est de bonitate, seu pulchritudine, quam jam habet amicus, illud Platonis desiderium exoptat, ut pulchritudo permaneat, et duret, pro omnique tempore conservetur: *Amor profecto hujusmodi* (desiderij) *illud respicit, quod nondum in promptu est, nec habetur, adesse videlicet, et servari illa in tempore quod sequatur*, ut advertit in *Convivio*, seu de *Amore* in *Oratione Socratis*. *Ὅτι βούλομαι τα νῦν παρὸντα, καὶ εἰς τῶν ἔπειτα χρόνον παρεῖναι.*

9. Ex dictis credo satis constare, miram esse consensionem circa naturam amoris inter Platonem, ejusque auditorem Aristotelem, qui *amare* clarius, ut videtur, explicuit semper per *bene velle*. Unde Tullius Platoni in primis addictus ita exprimit, ut vidimus Prolegomeno V. amoris honesti naturam, ut sensu Platonis retento, Aristotelem potius in eloquendo referat, et perfecte imitetur: *Nihil est aliud amare*, inquit lib. 2. de finib., *a quo amicitiae nomen dictum est, nisi velle bonis aliquem affici quam plurimis, etiamsi ad se ex ijs nihil redeat*. Quod si quis contendat, discrepantiam esse non modicam inter hos Principes Philosophorum etiam in ijs rebus, quæ ad animi cultum, moresque pertinent, legat August. lib. 3. contra Academ. cap. 19., unamque utriusque, et verissimam Philosophiæ Disciplinam commendantem his verbis: *Quod autem ad eruditionem, doctrinamque attinet, et mores, quibus consulitur animæ, quia non defuerunt acutissimi, et solertissimi viri, qui docerent disputationibus suis Aristotelem, et Platonem ita sibi concinere, ut imperitis, minusque attentis dissentire videantur, multis quidem sæculis, multisque contentionibus; sed tamen eliquata est, ut opinor, una verissima Philosophiæ Disciplina.*

10. At hujus immemor Ontologiæ verissimæ ait Auctor pag. 41. et 45. Ipse Cortesius, quantumvis delicatulus in delectatione admittenda, fatetur motivum esse amoris sui benevoli *perchè mi piace: Cantabiles mihi erant justificationes tuæ*, ait ille Theologus ex Psalm. Davidis. Quid ita? quia *gratissimæ, et jucundissimæ*, respondet; *bonum quippe Dei erat Davidi jucundum magis, et delectabile, quam res omnes creatæ*. En tibi, reponit Bolgenius, *quel benedetto perchè mi piace*. Video ego Auctorem non intelligere Cortesii probationem. Primum enim multum abest, ut Theologus ille assignet pro objecto motivo illius Cantici, seu jucunditatis

delectationem, seu jucunditatem ipsam, quin potius assignat bonum divinum, beneplacitum divinum, ut patet ex ejus verbis. Deinde ex eo quod quis gaudeat de Bono divino, ut Dei bonum est, recte consequitur, eundem amare bonum divinum in se, qui est verissimus amor benevolentiae. Probatio igitur Cortesii efficax est, eamque Bolgenius non satis intelligens parum impugnat opportune verbis illis: *Eccoci quel benedetto, perchè mi piace*. Minime vero: immo *mi piace, perchè siete Dio mio un sommo, et infinito Bene*. Quid verba illa significant propter ipsum, cum ad Dei amorem referuntur, latissime explicui in omni fere capite Tractatus mei Theologici, nec hic in Apologia lego quidquam, quod negotium facessere possit Lectori. De amore benevolentiae, qui apud me verus est amor in actu quodam individuo consistens, et de actu benevolentiae, qui est apud Bolgenium actus non Charitatis, sed virtutis Religionis, fuse tractavi in Prolegomeno VII., ubi ostendi inductione facta per omnes virtutes, benevolentiam non posse non esse actum Charitatis, et proposui doctrinam S. Thomae exprimentis eundem esse habitum Charitatis, et benevolentiae.

11. In capite II. proponit Auctor probationes ab Scriptura, Patribus, Ecclesiae praxi, S. Thoma, et Theologis. Ad Scripturam quod attinet, Patres, et praxim Ecclesiae, illa una proponit, quae a nobis discussa sunt capite II. III. et IV., nec aliquid lego denuo productum ab Auctore ex tribus illis Theologiae fontibus. Quin et Auctor etsi quatuor affert probationes ex S. Thoma à p. 119.; at ipse profiteretur p. 221. se nihil novi protulisse in hoc suo Opere quoad substantiam; illum tamen breviter sequamur. Prima est: *Benevolentia neque est amicitia, neque est amatio, sed est amicitiae principium etc.* Id autem quomodo sit intelligendum expensum est abunde Cap. III. §. X. a n. 138., ubi probavimus, verba illa S. Thomae desumpta esse ex Philosopho, cui ea propterea tribuit dicens, *secundum Philosophum*, id quod Bolgenius hic reticet, sicut et in Dissertatione reticuerat. Ut igitur Philosophus in loco laudato a S. Thoma sermonem facit de benevolentia levi, et inefficaci cum amore jam radicato comparata, sic etiam de illa ipsa distinctionem instituit S. Thomas.

12. Addit tamen Bolgenius hic ex eodem S. Doct. 2. 2. q. 27. art. 2. ad 3. difficultatem, quam in Dissert. omiserat. Illa tamen superari facile potest ex iis, quae dedimus illum articulum explicantes. Diximus primo: benevolentiam in genere praescindentem ab efficaci, et inefficaci nomine amoris non censi. Secundo: in actu dilectionis, et in actu Charitatis includi semper benevolentiam. Tertio: hunc articulum S. Thomae epitomem esse doctrinae Aristotelis circa benevolentiam, et amorem. Quarto: S. Thomam hinc amore Aristotelis proprias rationes rerum investigare, ac loqui ratione quam maxime Ontologica, et Metaphysica. Quo supposito, nec gra-

tis assumpto, siquidem id accurate probavimus, facilis est via ad intelligendum Angelicum, qui ait loco citato: *Ad 3. dicendum, quod in tantum illa, quæ Philosophus ibi posuit, ad amicitiam pertinent, in quantum proveniunt ex amore, quem quis habet ad se ipsum, ut ibidem dicitur; ut scilicet hæc omnia aliquis erga amicum agat, sicut ad se ipsum, quod pertinet ad prædictam unionem affectus.* Quibus in verbis duo docet S. Thomas, quæ tradiderat Aristoteles. Primum, amorem erga se ipsum esse formam amicitiae, ut enim volo mihi bonum ex amore mei, ita volo amico bonum ex amore amici. Alterum, *velle amico bonum, et velle amico esse, et vivere,* quæ sibi objecerat ex Philosopho ut ad benevolentiam pertinentia, supponere unionem affectus cum amico, quod sane verissimum est. Nam ut a primo Prolegomeno observavimus, tres sunt conjugationes affectuum ex Aristotele, S. Thoma, et Suariorum circa quodlibet bonum conveniens potentiae appetitivæ, scilicet amor, desiderium, et gaudium; id quod commune etiam est habitibus tum naturalibus, tum supernaturalibus. Hinc Charitas Theologica tres habet actus, ut optime explicat Suarez disp. 2. de Charit. sect. 1., amorem benevolentiae, desiderium benevolentiae, gaudium benevolentiae, sic tamen ut omnes respiciant idem objectum, diverso licet modo propositum, sicut amicitia honesta in naturalibus vult bonum amico, desiderat bonum amico, et de bono gaudet amici. Ex quo fit, ut benevolentia semper supponat unionem affectus cum amico.

13. De benevolentia desiderii, et gaudii nulla est difficultas, cum desiderium, et gaudium ex amore nascantur, ut sæpe observat S. Thomas; de benevolentia autem amoris propria facile etiam id intelliget, qui Ontologiam teneat; nam unio affectiva est indifferens ut contrahatur vel per benevolentiam, vel per concupiscentiam; ergo est prior in subsistendi consequentia, ut metaphysici dicunt. Non aliter ac animal indifferens, ut contrahatur per rationale, vel irrationale, dicitur ab iisdem prius illo genere prioritatis respectu rationalis, vel irrationalis. Sed quæ est ista prioritas consequentiae? Dicam aperte, neque enim res obscura est. Valet hæc consequentia: *est rationale: ergo est animal.* Non valet illa: *est animal: ergo est rationale.* Igitur animal est prius rationali in subsistendi consequentia. Hæc, quæ indoctis Scholarum osoribus videntur esse puerorum minutiae, et otiosorum hominum occupationes, præ oculis habenda erant inter legendum S. Thomam, qui doctrinam imbutus Aristotelis ejus loquendi modum semper imitatur, cum notiones terminorum, et proprias rationes rerum subtiliter, attente, et profunde speculatur.

14. Non placent ista Bolgenio: sed quid facias homini, cui nec Philosophi placent, nec Theologi? Nos provocat tamen ad S. Thomam; at quid dicat ipse verissime in locis, quæ nobis opponit, intelligere non curat. Audeo fidenter asserere, qui legerit S. Thomam

non bene imbutus Ontologica Disciplina, eum sæpissime offensurum in mente assequenda Doctoris Angelici. Audiatur saltem Auctor P. Franciscum Suarez, ad cuius sentiendi modum nos provocat, ut videbimus, et in Digressionem, et in Apologiam. Profecto Suarius disp. 2. de Charit. sect. 1. recensens actus immediate elicitos ab habitu Charitatis, tres illos enumerat, amorem, desiderium, et gaudium. Primus, qui cæterorum est radix, et causa, est conjunctio affectiva efficax cum Deo infinite bono secundum se considerato, unde nec mente quidem concipi potest, quin ita se conjungens affective cum Deo velit Deum esse infinite bonum, seu talem, qualis de facto est. Secundus actus est desiderium, nam qui efficaciter affective conjungitur cum Deo infinite digno, ut ametur, cognoscatur, et glorificetur ab omnibus, in desiderium accenditur, ut objectum amatum his bonis extrinsecis afficiatur. Qua in re notanda sunt duo ex eodem Doctore, scilicet quod desiderium hujus extrinseci boni supponit carentiam illius, et idcirco illud Deo exoptamus; et quod hoc desiderium habet idem objectum motivum, atque amor, nempe Deum ipsum secundum se, cui ut amico propter se ipsum desideramus bonum. Et id est, quod exprimitur per petitionem illam Charitatis propriam *Sanctificetur Nomen tuum*. Nam hoc desiderium existere non potest sine amore, cujus effectus est. Tertius actus immediate elicitus ab habitu Charitatis est gaudium de Bono Dei tum intrinseco, tum etiam extrinseco. Nec enim Caritas gaudet solum de eo, quod Deus sit infinite bonus, sed etiam de eo, quod sit glorificatus, vel bonis quam plurimis extrinsecis affectus. Hoc item gaudium esse non potest sine amore; ut enim scribebat Augustinus, nemo gaudet nisi de eo, quod amat; et similiter respicit idem objectum motivum, ex quo movetur amor, nempe divinam Bonitatem, propter quam de bonis ejus quis gaudet. Hæc est in summa doctrina Suariorum, quam si teneat Auctor, extra controversiam erimus, si vero rejiciat, dicat aperte a Suario se recedere, et rationes bonas producat, efficaces, et Theologicas, quibus illum impugnet.

15. Secunda probatio S. Thomæ ita proponitur ab Auctore. *Proprium objectum amoris est, ex S. Thoma 2. 2. q. 23. art. 4 bonum, ut supra habitum est. Et ideo ubi est specialis ratio boni ibi specialis est ratio amoris. Bonum autem divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor Charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor. Unde et Caritas est specialis virtus. Quæ verba sic italice vertit Bolgenius. L' oggetto dell' amore è il bene IN GENERALE: un bene speciale sarà oggetto di un amore speciale: DIO IN SE STESSO È UN BENE UNIVERSALE: Dio in quanto determinatamente è oggetto della nostra beatitudine, è un bene speciale. Or la Carità ha per suo oggetto Dio, in quanto determinatamente è LA BEATITUDINE NOSTRA:*

dunque la Carità è un amore, una virtù speciale. Compara verba S. Thomæ cum verbis Auctoris, et plane videbis, ea, quæ litteris grandioribus exarata sunt, adjuncta ab illo esse pro more, et verbis S. Thomæ minime respondere. Cur ponit Auctor *BEATITUDINE NOSTRA*, quod non posuit Angelicus? Ut nempe Lector iudicet beatitudinem esse objectum motivum amoris. Cur inserit *DIO IN SE STESSO E' UN BENE UNIVERSALE*? Ut nempe insinuet, S. Thomam non reputare actum Charitatis, qui terminatur ad Deum in se bonum. Cur addit *IN GENERALE*? Quia usui esse debet pro re sua talis expressio.

16. Sed sincere rem agamus. Mens S. Thomæ eo tendit, ut ostendat, primo, nullum esse amorem, qui ad bonum non terminetur, ut statuerat 1. 2. q. 27. art. 1.; secundo, ut declaret Charitatem specialem esse virtutem, quia terminatur ad bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum, nempe altioris ordinis, et unice intelligibile per fidem, quod idem est omnino ac Bonum divinum supernaturale in se consideratum, idque secundum quod habet ex se, et a se, ut evicimus cap. III. §. X. a. n. 148. Et ne cui placeat verbis ludere, scire oportet, bonum hoc divinum dici etiam bonum universale, quatenus in eo continentur omnia bona, cum tamen sit individua Bonitas, ex qua virtus specialis Charitatis specificatur; vel ut Schola loquitur, esse bonum universale, non quidem universalitate logica, et prædicabilitatis, sed continentix cujusdam eminentialis aliorum omnium bonorum.

17. Tertia probatio desumitur ab Auctore ex 1. 2. q. 65. art. 5. ubi S. Doctor dicit, *quod Charitas non est qualiscumque amor, sed amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem, et spem.* Sed vero id satis explicatum est nobis loco citato, quin et ea ipsa verba S. Thomæ satis ostendunt *to ut beatitudinis objectum* adhiberi a S. Doctore, ut statuatur objectum Charitatis considerari debere in altiori statu, quam objectum amoris pure naturalis. Sed vel hinc Auctor insurgit: *Dio bene sommo in se stesso non ricerca la rivelazione per essere conosciuto. Ma la Carità essenzialmente ricerca un oggetto rivelato . . . Or l' oggetto unico (prescindendo dal mistero della Trinità) che in Dio non si possa conoscere se non per sua rivelazione, è appunto che Dio voglia essere l' eterna beatitudine dell' uomo . . .* Præclare scilicet! *L' unico oggetto?* Ergo quod Deus velit esse in Sacramento Altaris, aliaque multa possunt aliter cognosci, quam per revelationem. Deleatur ergo de Hymno consueto *Præster Fides supplementum.* Veniamus ad rem. Pagani per beneficia naturalia Creationis etc. cognoscere possunt Bonitatem illam naturalem Dei ex communicatione donorum naturalium, unde et illam in se amare possunt non amore generico, qui non datur in rerum natura, sed amore specifico pure naturali; at qui fide præditus est, cognoscere po-

potest ex beneficiis supernaturalibus gratiæ, et gloriæ Bonitatem divinam supernaturalem, et in eminentiori gradu, quacum natura nullam dicit connexionem. Et hæc Bonitas divina in hoc eminentissimo gradu considerata est objectum specificativum Charitatis Theologicæ, ut ajebat Suarius. Quo circa *tò ut beatitudinis objectum* non significat ex hoc Doctore, cæterisque Interpretibus S. Thomæ *rationem motivam*, sed eminentiorem statum Bonitatis divinæ, ad quam in se terminatur Caritas supernaturalis, et in qua sistit sine regressione ad amantem. Quis dubitat, inquit citatus Doctor, quin divina Bonitas major in se appareat ex beneficio Incarnationis *v. g.*, quam ex collatione beneficiorum naturalium? Quare propositio Bolgeniana sic in Schola excipitur: Deus ut in se summe bonus potest cognosci sine revelatione intra terminos, et ordinem naturæ, concedo: ut summe bonus ultra ordinem naturæ, et terminos, nego. Similiter et alia, cui nimium fudit Bolgenius, nempe Deus *ut, vel in quantum est objectum beatitudinis*, est Charitatis objectum, ita distinguitur: *ly ut, vel in quantum dicente rationem motivam*, nego: dicente statum, vel conditionem requisitam ad illud prædicatum, concedo. Videat Bolgenius, quam vim habeat talis particula in his aliis veris locutionibus: Christus *ut, vel in quantum* homo passus est: ignis *ut, vel in quantum* applicatus comburit.

18. Quarta, sed indirecta probatio ex S. Thoma est earum solutio difficultatum, quæ contra Bolgenium ex eodem proponuntur, eo quod S. Thomas aperte distinguat inter amorem perfectum, et imperfectum, inter amorem Charitatis, et amorem Spei. Quod scilicet primus ille sistit in Deo, nec ex eo quidquam sibi provenire intendit; secundus autem non in Deo sistit, sed aliquid ex eo obtinere intendit; quod primus vult bonum alicui, et amicum amat secundum se, secundus vero sibi ipsi vult bonum. Ubi post multa ab Auctore arbitrarie, et incongruenter dicta, quæ a nobis discussa sunt fuse, et impugnata tum Cap. I., tum potissimum Cap. III. §. XI. a n. 163. in quo demonstravimus, Spem Theologicam quærere *beatitudinem obtinendam divino auxilio, et adeptionem perfectæ bonitatis*, atque inhærere Deo *ut principio perfectæ Bonitatis*; ita concludit probationem, vel potius importunam responsionem suam: *SE IL VELLE ALCUI BONUM costituisce la natura, ed essenza della Carità, S. Tommaso avrebbe detto uno sproposito, e una contraddizione formale; quando in Tesi espresse afferma, che la benevolenza NEQUE EST AMATIO, NEQUE AMICITIA, NEQUE DILECTIO, QUÆ EST CHARITATIS ACTUS.* Non est contradictio, mi Bolgeni, in doctrina S. Thomæ, non verba a proposito aliena, sed omnia recte sibi coherent, si recte intelligantur. Qui vero S. Thomam legit jam obfirmatus opinione, vel Ontologiæ immemor, aut nescius varijs articulis penetrandis non eam adhibet, is sane sibi videtur contradictiones

invenire, ubi verissime procedunt omnia.

19. Veniamus ad probationes Theologorum, quibuscum Auctor sæpissime profitetur se se omnino consentire. Cum Theologis, inquit, primæ Classis, et cæterorum Magistris, non cum Theologis *infimi subrellij*, qui Magistros suos non intellexerunt. Quam ista bene concordant cum verbis illis, quæ habentur pag. 3. Dissertat. *Omnes conveniunt . . . Ego vero dico!* A pag. 185. Apologiæ se refert ad Theologos in Dissertatione citatos, et hic in §. 8. in Suarj nos sisti jubet tribunal, quod et in Digressionem laudatam clarius edixerat p. 110. illis verbis: *mi restringo all' autorità di uno solo Scolastico di primo ordine, che per la singular sua dottrina ha meritato il titolo di DOTTORE EXIMIO*. Hic autem eminentissimus Theologus duo nos docet disp. 1. de Charit. Sect. 2. n. 6., nempe *amorem non esse actum, qui non concipit objectum ut unum cum amante, et objectum benevolentiam propter se amatum ita demum amari, ut appetatur conjunctio cum amato*. Ita Bolgenius in Digressionem præfatam, et id est ipsum, quod repetit in Apologia p. 187. pro eo acriter pugnans, quod bonum amatum debet esse unum cum amante, et quod debet appeti conjunctio cum objecto.

20. Bene quidem habet: Suarium appellasti, libentissime Suarium adeamus; hac tamen conditione, ut quoniam ad hoc unum Tribunal appellare videris: *mi restringo all' autorità di uno Scolastico di primo ordine etc.*, omnis omnino posthac appellatio interdicatur, siquidem hoc in judicio, vel litis æstimatione multatus abieris. Acta igitur discutiamus, ut de jure constet solius veritatis habita ratione. Primum quidem propositio illa parum sane Philosophica: *non est amor secundum Suarium ille actus, qui non concipit objectum ut unum cum amante*, tota tua est, non Doctoris Eximij, qui verius, et castigatius res proponere solet sine ulla obscuritatis specie. Tua vero propositio confundit actum intellectus cum actu voluntatis, cujus non est *concupere objectum ut unum cum amante*. Præit intellectus, sequitur voluntas, ostendit ille convenientiam, et unitatem objecti, et voluntas fertur in id, quod sibi proponitur conveniens. Quam est limatior, et ab omni confusione remotior Suarj propositio: *hic amor*, inquit, *non esset, nisi illos (patrem, aut amicum) apprehenderem ut unum mecum, et mihi conjunctos*. Ubi vides duos illos actus rite distinctos, et recto ordine distributos, in quibus intellectus unitatem, conjunctionem, convenientiam apprehendit, concipit, atque ostendit; et voluntas fertur in bonum conveniens, unum, aut conjunctum cum amante: leve est hoc quidem, et ex Philosophiæ contemptu, aut ignorance profectum; ad graviora veniamus.

21. Quid est, quod Suarium intelligit, quid est, quod intendit nobis significare, dum ait, voluntatem amare non posse nisi bonum suum particulare proprium, et unum cum amante? En tibi ex Meta-
phi-

phiscis præter loca plurima ex disp. 16., quod scribit disp. 23. sect. 5. *Quia id, quod est in se bonum, potest esse vel conveniens, vel disconveniens homini, ideo non quæcumque bonitas, sed secundum aliquam convenientiam ad appetentem est sufficiens causa finalizandi. Propter quod dixit Aristoteles 8. Ethic. cap. 5. Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium. Quod quomodo intelligendum sit, longam, et Theologicam postulat disputationem tum propter amorem amicitiae, tum maxime propter amorem Dei super omnia. Nunc breviter tantum notetur, bonum proprium non debere intelligi solum illud, quod cadit in proprium commodum, sed simpliciter, quod per se decet, aut est consentaneum naturæ appetentis. Quo sensu comprehenditur omnis finis, etiamsi ad perfectissimum amorem amicitiae pertineat.*

22. In Opere sex dierum lib. 5. de Anima cap. 2. n. 7. tractat expresse quæstionem de unitate, et convenientia objecti amati cum amante, et resolvit, Deum esse bonum proprium amantis, quatenus est universale bonum rerum omnium, ac proinde maxime decens, et maxime conveniens amanti, et ut Bolgenij præcidat æquivocationem, addit: *neque hoc destruit communem divisionem amoris in amicitiam, seu benevolentiam, et concupiscentiam, ut alibi tractatur.* Id autem tractat in disputationibus Theologicis de Spe, et Charitate: ubi disp. 1. de Spe sect. 3. n. 4. sic scribit: *Præter amorem, quo amatur Deus ex Charitate, est alius distinctus, quo amatur Deus ut summum bonum amantis in commodum ipsius amantis.* Docet deinde n. 5. hos amores esse actus distinctos, quia uno amore ita amatur res per se, et propter se, ut quidquid amatur, illi rei ametur, ut ipsa sit perfecta, ibi sistendo, qui modus est proprius amoris amicitiae: alio vero actu amatur eadem res non sibi, sed amanti in commodum, et perfectionem ejus, quæ modus est concupiscentiæ: et hos actus esse distinctos docet Anselmus de Casu Diab. cap. 4., et de concordia cap. 9. Nam alter, inquit, **ORITUR EX SUPREMA QUADAM AFFECTIONE JUSTITIÆ, ET HONESTATIS, ALTER EX AFFECTIONE PROPRIJ COMMODI:** unde ille magis videtur oriri ex excellentia rationis, et libertatis, hic magis quodammodo ex inclinatione naturæ. Hoc igitur statuto principio de convenientia amati cum amante, vel ex decentia, quam respicit amans in objecto, vel ex commodo, quod ex eo sibi ipsi intendit, incipit tractare de diversitate amoris Spei, et amoris Theologicæ Charitatis.

23. Idem omnino servat in libris de divina Gratia, præsertim in 1. a cap. 29. ex quo per alia multa tractat de amore Dei tum naturali, tum supernaturali, tum amicitiae, seu benevolentiae, tum concupiscentiæ, in id semper intentus, nequis incurrat in æquivocationem de identitate duorum amorum, assignans unicuique objectum quidem conveniens, sic tamen ut convenientia in objecto amoris benevoli desumatur ex proportione, et decentia cum amante; convenientia vero in objecto amoris concupiscentiæ desumatur ex commodo in-

tento, aut utilitate. Quare lib. 1. de Gratia cap. 30. n. 16. sic explicat verba illa *UNICUIQUE PROPRIUM*: cum dicitur *amabile bonum, unicuique autem proprium, dupliciter id potest intelligi, 1. quod semper ratio amandi aliquod bonum sit, quia est proprium, ita ut necesse sit, naturalem amorem semper reflecti, et terminari ad ipsum amantem, et hic sensus est falsus, et alienus a mente Aristotelis. . . 2. intelligi potest, neminem amare bonum alicui, nisi illum cui bonum amat tanquam quid proprium, et sibi conjunctum, et quasi unum secum reputet, et sic verum est unumquemque amare bonum proprium; sic enim mater amat filium, et unusquisque amat sibi conjunctos vel sanguine, vel consuetudine, vel similes, et sic etiam amor naturalis tendit ad Deum, qui ita est commune bonum, ut uniuscujusque sit magis, quam proprium propter dependentiam, quàm ab ipso habemus.*

24. Tandem ut alia omittam infinita loca, quæ possem ex Suariorum producere ex sex, aut octo supra viginti tomis ingentibus, in quibus hoc quasi principium frequenter inculcat, placet unice proponere locum ex 1. 2. disp. 2. de honestate objectiva sect. 2. ubi cum statuisset n. 10. *honestatem objectivam consistere in quadam convenientia objecti honesti per se ipsum ad naturam rationalem, ut talis est, hoc sibi proponit argumentum n. 13. Ergo bonum honestum ut sic tantum est amabile illo amore concupiscentiæ, qui dicitur esse proprii commodi, quia tantum amatur ut propriæ naturæ rationali conveniens. Nonne hoc argumentum est tota basis, et fundamentum Dissertationis, et triplicis Apologiæ Bolgenianæ? Neminem credo id esse negaturum, qui Auctoris opera legerit. Audiamus igitur, quomodo pergat in discursu Doctor Eximius stringens argumentum: consequens autem, inquit, est falsum, nam amor commodi, et amor justitiæ, qui est amor honesti ut sic, condistingui solent, ut patet ex Anselmo lib. de casu Diaboli. Hoc est Suariorum argumentum, cui si respondeat, faciet sine dubio satis Bolgenij novis conatibus. Respondetur, inquit, æquivocationem esse in vocabulo *CONVENIENTIÆ*: interdum sumitur conveniens pro eo, quod est alicui commodum, ut ei aliquam perfectionem, et quasi utilitatem afferat, et hoc modo sumitur in objectione. Alio modo dicitur conveniens, quod per se decet aliquomodo, et est consentaneum naturæ, et inclinationi ejus; sic dicitur Incarnatio conveniens Deo, et Bonitati ejus; et similiter misereri, et liberaliter se communicare, et similia sunt objecta maxime convenientia Deo, quia sunt proportionata Perfectioni, et Magnitudini ejus. Hujusmodi ergo convenientiam, vel proportionem requirit, per se loquendo, honestum ut honestum respectu rationalis naturæ, quia potest objectum esse tale, ut, considerata dignitate naturæ rationalis, illam deceat, seu illi sit consentaneum amare, seu prosequi tale objectum; unde multa sunt hujusmodi objecta, quæ vel nullam commoditatem afferunt, vel non propterea intenduntur. Applicet doctrinam Bolgenius decentiæ, proportioni, et convenientiæ inter Bonitatem Dei*

supernaturalem, et dignitatem hominis Theologicè considerati, et luce clarius videbit, quod docet Eximius Doctor de convenientia amoris benevoli erga Deum, et quod Dissertatio tota de amore suo nititur æquivocatione palmari, ut præmonui in Prolegomeno III. Intelletiget etiam, quomodo tendat amor amicitie ad conjunctionem, seu unionem perfectissimam cum amato ex motivo ipso *boni convenientis*. Qua de re multa dedimus tum cap. I. §. III. n. 18. tum C. III. §. 8. a n. 106.

25. Jam vero si huic convenientie, unitati, vel conjunctioni inter amantem, et amatum, quam *unionem* vocat S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 1., accedat morum similitudo, vel conjunctio sanguinis etc. unde unio arctior evadat, certior esse solet amor benevolentie tendens in patrem, vel amicum *apprehensum ut unum cum amante*, quia ideo affectio illa volens amato bonum, id ipsum bonum ad se retorqueat, seu velit sibi, ut multis in locis notat S. Thomas, et potissimum in 3. sent. dist. 29. art. 3. ad 2. *Quamvis unicuique sit amabile, quod sibi est bonum; non tamen oportet, quod propter hoc ametur, quia est sibi bonum, cum amicitia non retorqueat ad se ipsum bonum, quod ad alterum optat.* Et 1. p. q. 60. art. 5. *cum dicitur, quod Deus diligitur (naturaliter super omnia) ab Angelo, in quantum est ei bonus, si ly in quantum dicat finem, sic falsum est. Non enim diligit naturaliter Deum propter bonum suum, sed propter ipsum Deum.* Quod item notavit P. Suarius disp. 1. de Charit. sect. 5. qui cum sibi objiciat n. 2. propositionem illam: *quidquid natura amat, amat ut sibi unitum, ut sumitur ex Aristotele: Amabile bonum, unicuique proprium, et amabilia ad alterum sumuntur ex amicabilibus ad se;* ita respondet n. 4. (adverte animum cl. Bolgeni, nam omnis tibi interclusus est appellandi, et evadendi locus.) *Ad primum argumentum in contrarium respondetur: si particula illa UT in antecedenti dicat rationem diligendi, falsum est antecedens; alias tolleretur ratio vere amicitie, si homo omnia ad se referret, quod etiam in amicitia naturali, et honesta falsum est. . . . Si vero particula UT tantum importet conditionem, sine qua non, verum est antecedens; nullus enim diligit alium, qui non aliquo modo ad se pertineat.* Audistin Colendissime Domine? Nonne vides, quam male habitus, quam sis indecore ab illo ipso Suario dimissus, quem unum tue causæ Patronum, ac Judicem renuntiasti? Atqui tibi velim persuadeas, non commodiore esse te fortuna apud reliquos Theologos usarum. Nisi vero obscurum est, quantum inter primæ, mediæ, atque omnis classis Scriptores hac in re valeat Eximij illius Judicis auctoritas: ut mirum sit omnino, si posthac *Omnes Theologos tecum in re ipsa convenire contendas, ac non potius pronunties illud alterum Omnes Theologi conveniunt. . . . Ego vero dico.*

*De communibus Impugnatorum Bolgenii (ut ipse vocat) erroribus ,
in quos invidat , necesse est , qui illum impugnaverit , et de
aliis erroribus periculosis .*

26. **P**roponam verbis Auctoris , quos ipse dicit errores quatuor communes omnium Impugnatorum . Primo : si è confuso l' amor di Dio colla carità Teologica : ma l' amor di Dio non è sempre carità Teologica . Questa è una spezie : quello è un genere . Dio si può amare con amore puramente naturale . Secondo : si è confusa questa virtù colle altre virtù . Avendo tutte una connessione , e dipendenza dalla Carità come atti imperati da essa prodotti . (non est idem imperare , ac producere , vel elicere) . Terzo : non si è intesa , o non si è voluta intendere , la distinzione tante volte da me replicata , e spiegata fra li Atti di benevolenza , e l' amor di benevolenza . La benevolenza non è amor di sua natura , ed essenza . L' amor essenzialmente è una unione d' affetto dell' amante coll' amato Per altro l' amore produce naturalmente la benevolenza . . . Se io amo un amico , voglio essere chiamato di lui . . . Cerco di dargli gusto . . . mi compiaccio del bene , che ha . . . per attirarmi l' amor suo , nel quale si stringe viepiù l' unione del mio affetto con lui , ed io trovo la mia contentezza , e felicità . Quartum errorem non video hic ab Auctore expresse notatum ; sed is videtur esse posse : La benevolenza così considerata come un effetto dell' amore si può certo chiamare amor di benevolenza . . . Io impugno quella strana precisione , colla quale i miei Adversarij pretendono , che si ami Dio , senza considerarlo scopertamente come oggetto , e fonte della nostra beatitudine soprannaturale . . . Il zelo dei miei Oppositori riscaldatosi per la perfezione della Carità è giunto a sublimarla cotanto , che si è perduta all' aria in sottilissimi vapori . . . Ho già fatta preventivamente la risposta anche agli oppositori futuri . Sono fermamente persuaso , che equivocando anche essi tra l' amor in genere , e la Carità in spezie ; tra la Carità , e le altre virtù : trà l' atto , e l' amor di benevolenza , resteranno pienamente confutati colla sola presente mia Operetta .

27. Hæc ad summam , sed etiam ad verbum Bolgenius cap. 3. a p. 233. , ubi (pace dicam tanti Viri) suam ostendit inopiam theologica responsionis . Quis enim tria illa confundat minime obscura , quæ in Dissertatione , ac Declarationibus emicant ? Nec ego sane video ab Adversariis esse confusa , nec vero ab ullo alio non stipite confundi posse . Omnes enim supponunt , Deum amari posse amore naturali tum benevolentia , tum concupiscentia , et Charitatem virtutem esse specialem , et supernaturalem , quæque suum habet objectum peculiare sublimius , et altius , et unice cognoscibile per Fidem . Unde amor latius patet , quam Caritas , qui non est quicumque amor . Alia etiam duo sup-

ponunt illi, nec ea vocant in controversiam. Sed cum pronuntiat verissimus vates, futuros impugnatores in tria hæc incururos errata, in quæ gratis cæteros incidisse supponit, jam illos judicans, et damnans ante prævisa demerita, quæ certe reprobatio rigidissima est, aliquid de me dicam, veras Auctoris æquivocationes insinuans.

28. Amor in genere non datur in rerum natura, ut notum est Bolgenio ex Ontologia; sed omnis amor est actus individuus suum respiciens objectum, quod bonum esse necessario debet; si bonum respiciat honestatis obedientiæ, ad virtutem pertinet obedientiæ; si bonum honestatis fortitudinis, justitiæ, religionis, ad eas item virtutes expectabit. Rursus: si amor sit naturalis erga personam aliquam, respiciet bonum naturale; si supernaturalis, in bonum tendet supernaturale. Unde si quis amicum honeste amet amore naturali, hic erit amor boni naturalis. Itaque Pagani unice cognoscentes Deum ex naturæ lumine, solum possunt amare bonum naturale, quia solum proponitur eis Deus sub ratione principij, et finis naturalis. Fideles autem illuminati per Fidem Deum illis proponentem sub ratione Authoris gratiæ, et gloriæ, amare possunt ex Charitate bonum supernaturale. Unde ejus generis amor ad virtutem pertinet specialem, toto distantem Cœlo a quocumque amore naturali, quo potissimum intendit S. Thomas locis ab Auctore citatis. Sed quorsum ista, ut pronunciet Auctor patronos benevolentiæ confundere actum Charitatis cum amore in genere? Supponunt illi quidem actum Charitatis esse amorem; at etiam supponunt esse amorem honestum, et *honestissimum*, ut inquit S. Thomas, et probant invicte cum eodem S. Doctore, hunc amorem honestum erga Deum habere debere illa essentialia prædicata, seu attributa, quæ omni omnino conveniunt amori honesto erga personam aliquam.

29. Notum est enim a ratione superiori ad inferiorem legitimam esse consequentiam, dum sermo est de attributo reali, vel prædicato, quod vocant *primæ intentionis*. Unde quidquid affirmatur de superiori, negari non potest de inferiori. Si enim animal est principium sentiendi, homo quoque sub animali contentus principium sentiendi esse debet. Id scilicet significat principium illud Dialectices, quæ sola recte hoc loco adhibetur: *Dici de omni*; sicut etiam illud aliud: *Dici de nullo* intimat Logicis, atque adeo omnibus, prædicatum reale, rei superiori non conveniens, inferiori convenire non posse: Animal non est lapis: igitur homo lapis esse non potest. Hæc autem ipsa, et non alia mea est argumentandi ratio contra Bolgenium: Amare personam aliquam ex amore honesto, est velle illi bonum: ergo amare Deum amore amicitæ, qui honestissimus est, est Deo velle bonum. Amor amicitæ ita terminatur ad personam ob ejus bonitatem, ut ad amantem non regrediatur: ergo amor amicitæ erga Deum sic ad Deum terminatur ob ejus Bonitatem, ut non redeat ad amantem.

Ami-

Amicitia honesta in genere distingui debet a delectabili; ergo amicitia honestissima erga Deum hanc etiam distinctionem participare debet.

30. Hac de causa protulimus multas Patrum definitiones amoris honesti in genere erga personam aliquam, ut inde tutissime colligamus, quænam prædicata amoris Dei, vel Charitati actuali competere possint, et quænam sint illi neganda. Eodem tendunt probationes ex rationibus theologicis, et philosophicis deductæ, ut quisque potest per se se facile videre. Quid plura? Nonne argumentaris et ipse ex eodem loco dicens: amoris benevolentia non convenit definitioni amoris in genere: ergo non est amor? Nonne ais: *Amare* ex Augustino *nihil est aliud quam rem aliquam propter ipsum* in Dissertatione, *propter ipsam* in Declarationibus *appetere*? Quid est igitur, cur mihi quasi novum quid objicias: *Charitas est amor; sed amor non est Charitas*, cum parvuli ipsi jam a primo Dialectices vestibulo rectissime statuunt, quod homo est animal; animal autem non est homo?

31. Veniamus ad alterum. Equidem Charitatem alias omnes virtutes imperare primario, et ex proprio munere vel a Prolegomenis ipsis accurate exposui, et confirmavi; multaque tribui Charitati, quæ tamen ab ipsa non eliciuntur immediate, sed unice imperantur, consulto præmonui, eo nimirum intentus, ut Patrum intelligentiam jam tum lectori ante oculos ponerem, cum de Charitate loquuntur tanquam de virtute universali. Quo tandem a te jam admissio, in fumum abit Dissertatio tua de amore Dei, cujus robur in eo fere situm est totum, quod Patres asserant, desiderium videndi Deum esse actum Charitatis. Si dicam esse imperatum, non elicatum, esse actum Charitatis ut connexæ cum cæteris virtutibus, vel ut virtutis universalis, quid jam fiet de tuo systemate? Qua me ratione constanti impugnavis?

32. At meæ probationes ex Scriptura, Patribus, praxi Ecclesiæ, et rationibus theologicis, et philosophicis non ita facile enervari possunt. Nam ex illis constat satis perspicue, quod, si benevolentiam tollas, amor erga Deum summum Bonum consistere minime potest. Constat ex illis, quod si ames ob delectationem tuam, non Deum propter ipsum solum amabis. Constat, objectum motivum, et specificativum Charitatis specialis esse divinam ipsam Bonitatem per Fidem cognitam, non meam fœlicitatem formalem, quæ objectum est specificativum Spei Theologicæ. Tædet ea iterum tractare, quæ fuse disputata sunt; itaque ad tertium veniamus. Nonne vidimus superius, et ad nauseam usque examinavimus, tuos illos actus benevolentia, quos a Charitate distinguis? Nonne opus illud assumpsimus discutiendi naturam, actus, et objectum Religionis, nequis scilicet error in obscura materia delitesceret, sed potius in aperto veritas poneretur? Nonne probavimus ex natura ipsa Religionis, et inductione longissima per virtutes omnes, et tandem ex S. Thoma, actum benevolentia ad per-

sonam immediate terminatum ad Charitatem elicientem pertinere, eundemque esse habitum Charitatis, atque habitum benevolentiae? Quid tu urges occasionem istam, ut omissis rerum futurarum, aut non futurarum sublestis praedictionibus, ad praesentes difficultates, quae tuo systemati obijciuntur, scitè, urbane, ac Theologice respondeas?

33. Dices: amor Dei ut infinite Boni in se, et ut est Bonum universale omnium non potest esse objectum peculiare, et specificativum virtutis specialis, qualis est Charitas, virtus nimirum specialis, et Theologica. Audio vero, et nunc tandem intelligo, cur verbis S. Thomae supra relatis in probatione secunda inserueris in versione italiana verba illa non Thomae, sed tua: *IL BENE IN GENERALE: DIO IN SE STESSO E' UN BENE UNIVERSALE*. Sed haec misera mihi videtur aëquivocatio. Deus est diligendus super omnia ex Charitate theologica, et quidem super nos ipsos, quia est bonum universale, in quo bonum nostrum particulare continetur, ut demonstravi ex S. Thoma, Bonaventura, et Suario tum Prolegom. III. tum cap. III.: at illa verba, *bonum universale*, vel *commune omnium bonum*, ut inquit S. Thomas, non significant bonum *in genere*, sed bonum ita sublime, altum, atque perfectum, ut in eo tanquam in fonte, principio, et fine omnes bonitates creatæ contineantur. Hoc igitur bonum commune omnium, universale, perfectum, et infinitum est Bonum in se determinatum, individuum, et peculiare, quod per Fidem cognitum in se ipso, et secundum eminentiam propriam Authoris gratiæ, et gloriæ est objectum proprium, peculiare, et specificativum virtutis specialis Charitatis. Nec est ulla alia virtus sive moralis, sive theologica, quæ ex illo objecto ita considerato immediate moveatur, aut in illo sistat perfectissime. Non est igitur Deus, ut ais, *bene in generale*, sive universalitate logica, et prædicabilitatis; sed *bene generale, ed universale* ex virtute, et eminentiali continentia omnis bonitatis creatæ: subjective quidem, et in se bonum singulare, ac determinatum; terminative autem, et causaliter bonum universale, principium, et fons omnium omnino rerum.

34. Ab erratis communibus veniendum est modo ad particularia, quæ gratis affingit adversarijs Dissertator. A p. 239. incipit declamare contra Muzzarellium. *Vi è*, inquit, *in essi* (opusculis Muzzarellij) *una grande, e continua confusione di idee etc.* Sed quia longum esset omnes persequi, quas illi imputat, errationes, eam unice placet examinare, quam totis nervis Bolgenius exagitat, eoquod nolit Muzzarellius beatitudinem formalem ingredi *scopertamente* in objectum immediate motivum, et specificativum Charitatis. Id enim esse principium Quietismo proximum asserit Auctor fidentissime: nam præcisio, ait, et exclusio perinde sunt, vel certe sunt valde proxima. Miror ego vehementer, Bolgenium non intelligere satis, quænam præcisio, vel exclusio damnata sit in propositionibus Fenelonis, quas ipse obji-

cit Muzzarellio . Certe humanissimus Comes unice affirmat , quod mihi certissimum est , beatitudinem formalem non ingredi , nec necessariam esse ad rationem motivi specifici Charitatis , sed motivum unicum amandi esse solum Deum , et quidquid est aliud a Deo , uti certe est formalis beatitudo , et actus creatus intellectus , et voluntatis , nec esse , nec constituere motivum amandi Deum ex Charitate . Hæc autem præcisio , vel exclusio a ratione motivi actus illius amoris fluentis , et transeuntis tam abest longe a damnatione propositionum Episcopi Cameracensis , ut nemo illas attente legens apertissime non videat .

35. Quid enim assererat ille Præsul ? Posse videlicet animam ad talem statum permanentem , et habitualement Charitatis puræ pervenire , ut nihil jam ageret nisi ex amore puro , sic ut locum non daret Spei , timori etc. *Datur* , inquit , *habitualis status amoris Dei . . . Neque timor pœnarum , neque desiderium remunerationis habent amplius in eo partem . . . In statu vitæ contemplativæ , seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris , et Spei . Amittitur* , inquam , non *omittitur* , ut in Apologia lego p. 94. , quæ tamen sunt longe diversa , nec tamen judico mala fide ab Auctore mutatum verbum , sed incuria potius Editorum evenisse . Consule Bullar. Roman. tomo 9. p. 500. ubi leges verba illa *amittitur omne motivum interessatum timoris , et Spei* . Jam vero si sermo est in damnatis Fenelonis propositionibus de statu habituali Charitatis puræ excludente motivum cæterarum virtutum ab exercitiis suorum actuum , eisque nullum locum relincente ; quo jure extendit Auctor damnationem ad actum fluentem , et transitorium Charitatis , ad quem actus Spei Theologicæ mire disponit , et ex quo certior evadit futuræ beatitudinis expectatio , quam secum amicissime consociat ? Tum suum cuique actui respondet motivum , quin unum cum altero confundatur , nec beatitudo formalis ingreditur in motivum immediatum actus Charitatis , nec actus ipse Charitatis excludit , quod motivum Spei influat etiam pro eodem instanti in actum sperandi .

36. Consule Theologos de hoc tractantes argumento , quod per se se manifestum est satis ex pura lectione propositionum damnatarum . En quomodo inter alios loquitur nitidissimus Honoratus Tournely quæst. 4. de Pœnit. art. 2. *Duplex autem hic caute declinandus erroris scopulus . Primus Quietistarum , qui specificum Charitatis motivum ita constituunt in consideratione divinæ Bonitatis in se absolute , sine ullo ad nos respectu , ut motivum propriæ felicitatis æternæ excludant non tantum ab actu fluente , et transitorio , sed etiam ab ejus habitu fixo , et permanente . Quo præmisso , probat , et firmat communem sententiam de specifico motivo Charitatis in bonitate divina in se considerata .*

37. En item quomodo scribat Sapientissimus Martinus Steyaert
Opusc.

Opusc. 9. Theolog. Emend. ad propositiones 23. ab Innoc. XII. damnatas. *A prima propositione usque ad 6. inclusive traditur perpetuo hæc doctrina: dari non solum aliquem actum transeuntem amoris Dei, qui sit Charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse, sine timore poenarum, et desiderio remunerationis etc. sed etiam dari habitualement, ac permanentem statum talis amoris, in quo statu anima omnibus alijs motibus, et actibus exuta sit, saltem dum toti gratiæ suæ fideliter cooperatur. Et ratio videtur evidens, nam status ille habitualis admissus a Fenelone excludebat v. g. motivum timoris, motivum obedientiæ, motivum Spei ab influxu in actus unicuique virtuti respondentem. An ideo dices, motivum Spei, timoris, et obedientiæ debere ingredi in motivum actus Charitatis fluentis, et transeuntis? Similiter dicitur in proposit. XVII.: *Animæ contemplatiivæ privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi etc.* An ideo negabis contemplationem per actus fluentes, et transeuntes Divinæ Majestatis, vel primæ Veritatis, ut docebant Augustinus, Bernardus, Thomas, et Bonaventura? Condemnatio igitur prædicti status longe est, ut officiat amoris benevolentiam patronis, apud quos Deus amator ex Theologica Spe propter *foelicitatem in eo habendam*, et quo perfectior, et ardentior fuerit amor benevolentiam erga Deum, eo erit perfectior, et ardentior amor æternæ beatitudinis, et cupiditas æternæ foelicitatis cum certiori expectatione conjuncta. Imo et ipse actus Spei Theologicæ, et amor æternæ beatitudinis in Deo habendæ scala est, et dispositio ad amorem illum perfectissimum habendum.*

38. Quapropter recte notat P. Claudius La-Croix lib. 2. de Charit. n. 152. quod *modus ille eliciendi amorem: NON AMO TE O DEUS QUIA ME CREAMISTI, QUIA VIS MIHI CÆLUM DARE, SED PURE IDEO, QUIA ES PROPTER TE INFINITE DIGNUS AMARI; ordinariè non est suadendus, sed potius sic elici debet: AMO TE, O DEUS, QUIA ME CREAMISTI, QUIA VIS CÆLUM DARE; SED MAGIS IDEO, QUIA IPSE PROPTER TE ES OMNI AMORE DIGNISSIMUS, ITA UT LICET NON BENEFACERES, NEC CÆLUM DARES, TAMEN AMAREM TE, ET AMO, QUIA PROPTER INFINITAM TUAM BONITATEM ES AMABILISSIMUS.* Hic est modus suavis, et practicus eliciendi actum Charitatis propter infinitam Dei amabilitatem, ascendendo scilicet per gradus virtutis gratitudinis, et Spei ad summum apicem Charitatis.

39. Quodsi dubitas adhuc de re certa per se, et perspicua, relege Benedictum XIV. de Beat. et Canoniz. cap. 31. (non 21. ut scribitur in Dissert. p. 88.) n. 7. et 8. ubi post discussionem casus ejusdem Servi Dei protestantis, *se tanto Dei amore imbutum esse, ut ei libenter placere, et servire vellet sine ullo præmio etiam æternæ vitæ, qui tamen actus vix non ad speciem innuere videtur statum; sic video a Sacra Congregatione responsum in Synopsi Operum Benedicti: Sa-*

era Congregatio censuit, ejus doctrinam a reprobata Cameracensi discrepare, præcipue cum in suo Opere Spei Theologicæ, et cupiditatis fruendi Deo meminerit. . . . Duo hic advertit præfatus Pontifex, quæ observet, oportet, Bolgenius: Cameracensem admisisse *statum* (qui non significat præcise actum amoris) *ab omni lucro semotum*; et exclusisse ab hoc statu Spem Theologicam, licet admisisset *affectum quendam naturalem mercedis*.

40. Hæc cum ita sint, jam liquido constat, quantum discedat a veritate Bolgenius hoc ex capite judicans premendum esse Muzzarellium agentem: *interesse proprium non ingredi all' scoperta* in objectum motivum amoris. Sane ratio loquendi Bolgeniana unicum amoris motivum collocans in beatitudine formali, seu interesse proprio, quodque non solum primario, sed expresse, et unice moveat ad amorem, in condemnationem conjicere videtur vel ipsum Bossuetum, qui cæteroque in justo vehementior fuit, ut arbitrator, in Fenelonis impugnatione. Nam Bossuetus *Schola in tuto* q. 1. a. 1. sic scribit: *primarium, et præcipuum Charitatis objectum esse Deum ut in se perfectum; ut benevolum, et beatificum esse minus præcipuum, ac secundarium*. Adde etiam: *ita sane hæc motiva ordinata sunt, ut Deus in se optimus, ac beatissimus, possit quidem cogitari cogitatione abstractiva, absque eo quod actu, et expresse cogitetur de Deo benevolo, ac benefico*. Similiter ait: *Deum ut benevolum, ac beneficum motivum esse secundarium, et in primario saltem virtute comprehensum*. Ex quibus P. Rubeis Bossueti commentator duos ponit Charitatis actus, alterum perfectiorem *ex Deo secundum se perfectum* immediate conceptum; et alterum minus perfectum *Deum benevolum* respicientem. Quamvis Illustrissimus Meldensis, ut mihi quidem videtur, non duos actus ponat (saltem semper) inter se distinctos, sed duas in uno actu tendentias, alteram primariam, et expressam ad Deum in se perfectum, et alteram secundariam, implicitam, seu virtualement ad Deum beneficum.

41. Ut ut ea sint, hoc est certum, longum, latumque discrimen esse inter Bossuetum, et nostrum Auctorem. Bossuetus statuit, objectum specificum Charitatis esse Deum ut in se perfectum; negat id acriter Auctor Dissertationis. Bossuetus, ut vidimus cap. IV. §. II. n. 29. proponit formulam Contritionis his verbis: *Pœnitet nos offendisse te, et detestamur peccata ex corde, quia displicent tibi (Deo) qui es infinite bonus*. Eam reprobat Auctor amorem in illa non videns. Bossuetus asserit, *quod servire Deo propter retributionem non constituit hominem in statu veri amici*. Bolgenius hunc unum amorem agnoscit, non alium. Bossuetus docet, *quod amor, qui hominem constituit in hoc statu (veri amici) est ille, per quem movetur homo a merito, et bonitate amati, tanquam ab objecto primario, et principali*. Bolgenius hunc amorem chimæricum reputat, ac fictitium. Ut vel hinc manifeste videas, quam vere scripserim in ipso Proemio Tractatus mei,

nul-

nullum omnino vidari Theologum allegari posse pro Bolgenij Systemate. Quod ipse fassus in tertia Dissertationis pagina nunc frustra pernegare conatur. Sed nec crimen diluet admissum in Dissertatione, nec a se stare Theologum aliquem, primæ saltem Classis, nedum omnes utcumque probabit, etiamsi Declarationes Declarationibus addat, et Apologias repetat identidem. Hæc pro Clarissimo Comite Muzza-
rellio, venio ad Oppugnatorem alterum.

42. Declamatio contra Cortesium incipit a § 4. cap. 3. a pag. 267. et quidem sic acris, et contentiosa, ut Carlinianam legere videre. Non est animus in Appendice omnia persequi, quæ illi sine ratione Bolgenius imputat; duos tantum errores discutiam, quos vocat periculosos. Ex primo illum traducit vi nempe argumenti ut Jansenistam, et ex secundo ut Bajanum, et Quesnelianum. Prius autem, quam primum enarret, exordium præfigit, quod, si tollas verbum illud *Cristiano*, accommodari optime posset contra hostem Ecclesiæ infensissimum. Sed quinam est error Cortesij sic enormis, et dignus ut tanta cum exaggeratione publice proponatur? En tibi verba ejus pag. 165. *Præceptum (diligendi Deum super omnia) est necessarium, et indispensabile in quacumque hypotesi possibili; adeo ut Damnati ipsi teneantur etiam Deum diligere. Et miror, Bolgenium vocare necessarium, et insuperabile sine ullo addito odium Damnatorum erga Deum.* Post quæ verba a Bolgenio relata, quasi fulmine tactus exclamat: *Diciamo di tutto cuore anatema a si erronea proposizione. Gianenio farà plauso a questa mostruosa usserzione. . . obbligo colla impossibilita.*

43. Dicam ego, Observandissime Domine, quod mihi venit in mentem tuum hunc speciosum Apologiæ tractum legenti. Theologus ille Vallisoleranus modestus simul, et sapiens post acerbissima verba, quibus illum exagitas, pro sua pietate tibi condonata, ut item est prudens, et ingeniosus mirabitur, Auctorem te novi systematis theologici ad scribendum accessisse ita anguste viaticatum, ac tenuiter instructum Theologica suppellectili. Non legit (dicit apud se) Dissertator minime modestus Theologos bene multos asserentes, posse Dæmones, seu Damnatos aliquos actus efficere omni ex parte bonos moraliter tam ex parte objecti, quam ex circumstantijs, cum in Dæmone maneat voluntas naturalis integra, quia non est læsus in naturalibus juxta axioma Theologicum? Quid enim aliud docet Scotus in 2. d. 7. q. unic. ejusque Schola universa? Quid Tartaret. q. 1. dub. 2.? Quid Bassolis quæst. 1. art. 3. Durandus q. 2. Angles in florib. 2. Sent. d. 7. q. 2. concl. 8. dub. 6. Pelbartus in Glossar. 2. parte verbo *Dæmones*? Omitto Valentiam, Platelium, et alios, qui pro hac sententia laudari similiter possent. Cur saltem non legit Vivam ad prop. 1. damnatam ab Alexandro VIII., et ad 3. propositionem Jansenij, quæ erat è re ipsa Bolgenij? Cur non consuluit Pla-

Platellium de Angelis cap. 16. §. 3. Nam ex his duobus discere potuisset, quo pacto, supposita etiam impotentia morali in Damnatis exercendi actus moraliter bonos, perstet integra potentia physica non peccandi, adeoque non sint absolute necessitati ad peccandum, ut primum voluit Calvinus, et deinde Jansenius, inde perperam probantes, necessitatem non officere libertati ad peccandum requisitæ. Saltem adire poterat Bolgenius P. Franciscum Suarez lib. 8. de pœnis Angelorum a cap. 8. ubi invenisset, quidquid antiqui retulerunt de obstinatione Damnatorum, et quod scriptum est a recentioribus, et tanti Doctoris iudicium revereri deberet. Statuit ibi in damnatis libertatem quoad exercitium, licet eam neget quoad specificationem: atque adeo peccare, sic ait, ut actualem libertatem exercent in actu peccandi. Recte igitur dictum est in Anti Bolgeniana Dissertatione, odium damnatorum dici non posse *necessarium, et insuperabile* sine addito. Hæc meo iudicio Cortesius.

44. Nec ego ipse video, quomodo Bolgenius extricare se possit a Jansenismo, si sic in eum insurgat (ut sine dubio insurget) Theologus Vallisoletanus. Si odium Dei est in damnatis *necessarium, et insuperabile*; stat igitur peccatum cum sola libertate a coactione. Quod si consequentiam neget Bolgenius, dicens, odium, et alios actus damnatorum esse puram pœnam, et non vera peccata, ad incitas illum facillime rediget quivis Jansenii sectator ex Bellarmino, Suarezio, Scriptura, et Patribus. In *hujusmodi actibus*, ait Bellarminus lib. 5. de Grat. et liber. arb. cap. 14. *Dæmones vere peccant, quia faciunt, quæ possent non facere, nec ideo pœna essentialis crescit, cum sint in termino.* Suarez loco citato n. 4. *Dæmon nunquam cessat ab omni actuali peccato, sed aliquod semper committit, quamvis libere saltem quoad exercitium.* Et hanc appellat *communem, et veram Theologorum sententiam*, quam cap. 10. n. 15. probat ex verbis Joan. 1. cap. 3. *Ab initio Diabolus peccat, quæ sic exponit Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 3. Ab initio sui peccati, seu ex quo peccare incepit semper peccat juxta illud Psalm. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Simili modo exponunt hunc locum Beda, Lyranus, et alii. Quod etiam tradit S. Thomas multis in locis, præsertim 1. p. q. 46. art. 2. ad 5., q. 16. de malo art. 5., quæst. 24. de verit. &c. *Actus Dæmonis* (scribit 1. p. q. 64. art. 2. ad 5.) *ex voluntate deliberata procedens semper est malus etc.*

45. Ex hoc discursu recte colligitur, in foveam incidisse Bolgenium, quam paraverat Adversario, quique proinde recte notavit, odium Dæmonum non debere a Bolgenio in sua Dissertatione proponi verbis illis modificationem non continentibus, *necessarium, insuperabile.* Nec erat causa Bolgenio, cur insisteret paritati Beatorum necessario amantium Deum. Nam paritatem esse nullam ostendit Suarius cap. 11. n. 15. dicens; *necessitas amoris in Beatis provenit ab objecto, quod*

est infinitum bonum, et ipsa bonitas per se essentiam clare visa. At vero ad odium in damnatis non præcedit infinita malitia in objecto, imo nec vera ratio mali universalis, sed tantum ratio punientis, quæ licet in ordine ad proprium commodum sub ratione mali apprehendi possit, tamen simpliciter non potest judicari malum, cum punitio sit justa; et ideo non invenitur in illo objecto sufficiens ratio ad inferendam voluntati necessitatem quoad exercitium.

45. At unde provenit, inquiet Bolgenius, obstinatio damnatorum? Longum postulat tractatum interrogatio isthæc. Breviter dico cum Suario hic cap. II. n. 2. illam oriri ex misera conditione status, juncta naturali conditione, et fragilitate voluntatis creatæ suis tantum viribus relictæ... cum sola generali influentia quasi physica Dei ad operandum. Et præter alia, quæ adducit de statu illo miserrimo, illud notandum (ab Auctore non consideratum) quod damnatus nullo modo ad amandum Deum moveatur, quia nec bonitatem ejus secundum se, et absolute considerat, sed semper cum respectu ad se ipsum, et ita non apprehendit illum ut benefactorem, sed absolute ut inflictoem malorum. Quod idem docet S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 98. art. 5. ad 2. dicens: ratio illa procederet (scilicet nullus potest odio habere bonitatem) si damnati Deum in se conspicerent, in quantum est per se essentiam bonus. Si hanc S. Thomæ, atque Suarii doctrinam tenuisset mente Bolgenius, nequaquam ille nobis toties tanquam rem omnino demonstratam objecisset, quod Dæmones clarius, quam nos, Dei bonitatem in se cognoscentes amare Deum deberent, si amoris Dei objectum est bonitas divina secundum se considerata. Quod enim supponit fidenter, falsum est. Prius autem quam ab hujus erroris discussione recedo, juvat adversus Auctorem hunc in modum pro Cortesio agumentari. Dæmones tenentur Deum odio non habere; peccant enim actualiter, quoties Deum odio habent, ut constat ex Scriptura, Augustino, Thoma, cæterisque Interpretibus, id quod tenet communis, et vera sententia apud Suarium: at hoc odium ex Bolgenio est necessarium, et insuperabile: ergo Auctore Bolgenio conjungi potest obbligo colla impossibilità. Ergo Jansenio potiori jure farà plauso huic doctrinæ Bolgenianæ. Igitur nisi Cortesius præsto sit Bolgenio, eique ferat suppetias illo suo addito, vel temperamento, exitum ille invenire nunquam poterit e Jansenii inextricabili labyrintho. Video ego aliquid boni educi posse pro abluenda macula Bolgeniana ex putida Cortesii doctrina: cattivo fondo, ut Auctor scribit, di dottrina, che regna in tutta quella Dissertatione del Cortes.

47. Alter est error, quem Cortesio opponit Bolgenius, quod scilicet principium admiserit ad Bajanismum, et Quesnelismum recta perducens. Quodnam illud? Scholastici edocent, actum Charitatis, quæ est una ex tribus Theologicis virtutibus, dilectionem esse Dei super omnia, qua nempe Deum rebus omnibus anteponimus. Unde et ait
quod

quod Charitas, quæ dictum gradum non attingit, est chimerica apud omnes. Atqui, reponit Bolgenius, Novatorum errores in materia Charitatis ex hoc eodem principio apud eos inconcusso nascuntur, quod nomine Charitatis ipsi semper intelligant aut gratiam sanctificantem, aut actum Charitatis Deum diligentem super omnia, ut in 4. Dissert. parte se demonstrasse testatur. Admittit igitur Cortesius illud principium, et Scholasticos admittere illud commentatur. Non judico, Cortesium negare, dari posse actus quosdam debiles, et imperfectos amoris supernaturalis, qui vel fieri possint a peccatoribus ex auxilio gratiæ, vel etiam a justis remisse operantibus, quos et nos admisimus cum Suario Cap. 1., sed unice credo, illum contendere, nomine Charitatis absolute dictæ intelligendum esse vel habitum Charitatis, vel actum, quo quis Deum diligit super omnia. Quæ in re non minus distat ab erroribus Baii, et Quesnelii, quam distet Ecclesiæ perpetuus sensus, ut fuse probavi Cap. X. §. 2. a n. 57., et quidem sic efficaciter ex Catechismis, Concilio Tridentino, Augustino, Thoma, et Suario, ut mihi sit res omnino certa.

48. Ibidem ostendi, quomodo sit ex eodem Eximio Doctore intelligendus Augustinus, qui non Charitatem absolute dictam, sed quandam inchoationem Charitatis, scilicet per Spiritus Sancti motionem agnoscit in peccatoribus. Hæc autem inchoatio quædam Charitatis per motionem Spiritus Sancti non est illa Charitas etiam inchoata, de qua Scholastici. Ut enim inquit ipse Suarius lib. 8. de Grat. cap. 20. n. 4. *Charitas perfecta secundum essentiam, et super omnia solet dici inchoata, et incipientium respectu Charitatis proficientium, et perfectorum.* Et hic est etiam perpetuus Scripturæ loquendi modus: *Qui diligit me, diligitur a Patre meo. Siquis diligit me, sermonem meum servabit. Qui timetis Dominum, diligite illum. Omnis, qui diligit, ex Deo natus est etc.* Alius est ergo error Baii ab Ecclesia merito proscriptus. Cum enim doceret, nullam in statu naturæ lapsæ dari virtutem in homine præter Charitatem infusam, nullumque esse virtutis actum, qui non esset elicitus a Charitate, retento nomine Charitatis, ut in Ecclesia usurpatur, et sicut de illa loquuntur Scholastici, volebat omne opus ab illa non elicitum esse peccatum. Unde Viva ad propos. X. ab Alexandro VIII. damnatam vel ab ipsa advertit Synopsi: *Quod culpa non vacat operari propter caelestem gloriam obtinendam, fuit pariter error Baii cognoscentis culpam in quovis actu, qui non esset perfectæ Charitatis supernaturalis.* Jam vero actus debilis, et imperfectus amoris in homine peccatore v. g. non vere participat essentiam Charitatis, ut vere notavit Suarius, et videtur esse certum, sive Animasticæ principia considerentur, sive res ad intentionem expendatur Theologiæ.

49. Tractant Psychologi de actuum specificatione, et de fontibus, unde illa desumenda sit, et in eo consentiunt, quod actus non

solum speciem sumit ab objecto, sed etiam (et quidem præcipue) a modo tendendi. Hinc apprehensio, et iudicium, cognitio intuitiva, et abstractiva, iudicium absolutum, et conditionale, disjunctivum, et determinatum specie inter se differunt quoad naturam, et essentiam, licet idem objectum formale respiciant. Multo magis specie differunt essentialiter actus efficax, et inefficax voluntatis circa idem objectum, unde simplex, et inefficax affectus temperantiæ specie differt, et essentialiter ab efficaci, et absoluto affectu ejusdem virtutis. Id quod commune est cæteris virtutibus moralibus tum infusis, tum acquisitis. Nec Philosophi antiqui inefficacem affectum temperantiæ, justitiæ, vel fortitudinis *temperantiam, justitiam aut fortitudinem* appellarunt. De Spe Theologica eodem modo Theologi loquuntur, nec enim Spem simpliciter appellant actum inefficacem æternæ Beatitudinis, sed vel habitum ipsum Spei Theologicæ, vel actum efficaciter prosecutivum æternæ fœlicitatis vel ex habitis meritis, vel ex habendis cum divina gratia, ut loquitur S. Thomas hac distinctione satis ostendens, peccatores sperare posse beatitudinem.

50. Jam vero hæc doctrina, quæ certa est in recensitis virtutibus, certior esse videtur in Charitate, præsertim si habeatur ante oculos principium illud Theologicum, quod dilectio, et Charitas non ex intensione, sed ex appretiatione desumenda est. Primum itaque amor efficax, et inefficax Dei specie, natura, et essentia differunt. Nam primus conjungit efficaciter affective amantem cum amato; secus vero alter: atqui amor non attingens, ut Auctor ait, *gradum diligendi Deum super omnia* est amor inefficax, et qui gradum attingit, est efficax sine dubio: ergo amores illi specie, natura, et essentia differunt. Ratio horum est, quia conjunctio affectiva efficax cum objecto infinite Bono ex meritis ipsis objecti habet, quod sit super omnia, cum bonum efficaciter volitum sit super omnia bona. Simili modo argumentatur Suarius disp. 3. de Pœnit. sect. 9. de malo culpæ opposito divinæ Bonitati. Nimirum qui efficaciter detestatur peccatum ut malum culpæ oppositum divinæ bonitati, non potest non peccatum detestari super omnia mala, unde detestatio illa, si semel sit efficax, habet ex intrinseco objecti merito detestari peccatum super omnia mala.

51. Atque hæc est etiam ratio, cur Theologi Charitatem considerent non præcise ex intensione, et remissione, sed ex appretiatione actus. Erit enim *Charitas* absolute dicta, quæ Deum appretiat super omnia, et erit ad summum, ut ex Augustino inquit Suarius, *inchoatio quedam Charitatis per Spiritus Sancti motionem* actus ille amoris, qui Deum diligit ineffaciter. Errat igitur Bolgenius contra principia Psychologiæ, et contra communem sententiam Theologorum, cum in Dissertatione per tres ipsas partes supponit, actum inefficacem amoris ejusdem esse naturæ, essentiæ, et speciei cum actu effi-

taci, nam actus efficax, et appetitativus in diversa est specie, natura, et essentia Phsycológica, et Theologica constitutus. Et multo magis ille errare mihi videtur, cum, ut Bajanum, et Quesnelianum traducere tentat Cortesium, eo quod *Charitatis* nomine absolute dictæ solus veniat apud ipsum habitus Charitatis, vel dilectio Dei super omnia.

52. Et hac occasione, quoniam in Apologia video Auctorem bene affectum erga Suarium, illum precor ut legat modestissimum, et prudentissimum Doctorem pro cautione servanda in ferendo censuras contra opiniones Adversariorum. *Unde existimo, et moneo, scribit disp. 19. de Fide sect. 6. n. 6. posse facile peccari graviter in hac materia, exaggerando proprias opiniones, et contrarias convitiis, vel censuris sine delectu afficiendo, quia illud facile esse potest perniciosum mendacium sedens in aliorum infamiam, vel injuriam, et aliquando in gravem pœnam, et nocumentum; et ideo in hoc negotio magna moderatio, et prudentia servanda est.* Ubi etiam observat, propositionem, quæ simpliciter prolata vera est, fieri posse *temerariam ratione modi, vel censura adjunctæ*. Si hanc Auctor cautionem, et prudentiam in Apologia tenuisset, non tanto impetu, et fragore in Muzzarellium, et Cortesium irruisset, illum lectori repræsentans ut Quietismo proximum, hunc ut Jansenistam, Bajanum, et Quesnelianum levissimis rationibus probare contendens: qua re satis indicat, se in hac Theologica doctrinæ parte parum esse versatum. Quod addit Bolgenius contra Cortesium a p. 297. circa Dionysium, et Prosperum, levissimum est. Nam sub iudice lis est, utrumne S. Dionysius sit Auctor *de Divinis Nominibus*. Imo vero mihi probabilius esse videtur, quidquid afferant fidentissime Recentiores, non alium esse Auctorem, ut jam alias significavi. Prospero tributa est ab antiquis sententia, quam Cortesius adducit, et in ejus Operibus passim legitur. Sed esto: Prosperi non sit, erit illa Juliani Pomerii, quem tanti facit Auctor in Dissert. p. 41. Cur igitur Bolgenius hujus generis eruditionis studiosus, et amans S. Thomam laudat in Apolog. Opusc. 61. quod tamen inter incerta computatur? Nec ego sum ausus, venia non petita, S. Doctorem pro illo Opusculo citare. At quid inquit Auctor de Cl. Scriptore P. Gazzaniga sic eam commendante Anti-Bolgenianam Dissertationem? Honori ut consulat celeberrimi tot Operum Auctoris, respondet, vel non legisse illum Dissertationem Cortesij, vel certe parum attente evolvisse. Quod videtur esse perinde ac scribere sapientem hominem iudicium protulisse suam et certum, et publicum, et honorificum causa non cognita. Egregia sane defensio! Nollet certe Bolgenius talem invenire Apologistam, qui sic suæ famæ litterariæ prospiceret. Consilium fuisset optimum, ut sicut Cortesii validissima argumenta, quibus expediendis debuisset incumbere, prætermisit, sic etiam P. Gazzanigæ defensionem omisisset.

53. Venio ad responsonem, quam exhibet Cl. Auctor Erudito-
Vi.

Viro, et gravi Theologo Antonio Josepho Regonò. Ad hæresim sane illum non trahit, quamvis illum castiget de more verbis inurbanis. Summa responsionis in eo continetur, quod ipse libenter subscribat formulæ actus perfecti amoris Dei, quam subscribendam volebat ille Theologus. Si: ametto, inquit Bolgenius p. 299. *E non è quello un vero atto di amore con benevolenza, e vale a dire d' amor di amicizia? Non ho io sempre detto, che noi siamo strettamente obbligati ad amar Dio con amor di amicizia? . . . Non si sdegni il Signor Regonò con me: bisogna, che io dica quello, che sento, con libertà. Egli non ha intesa la mia dottrina. Riscaldatosi un poco troppo il suo zelo contro il preteso scandalo dato da me, si sono inalzate delle folte nebbie al suo intelletto &c.* Res sane videtur mihi valde mirabilis: Muzza-velli fuor di strada, quia non intelligit. Cortes smarrito, quia non penetrat: Regonò battendo l'aria, ed errando da capo a fondo teologicamente, e filosoficamente, quia Bolgenii mentem non assequitur. Idemque ab eo dicendum esse judico contra omnes, qui illum impugnare tentaverint; namque duo habet ad manum communia loca, quibus se protegat: et quod non satis intelligitur, et quod subtilitas in impugnatione adhibetur ab adversariis. Pro cuiusnam igitur utilitate, et commodo scripsisti, Vir egregie? An pro illis Bertis sublevandis, quæ non potentes exercere amorem benevolentix, videntur sibi versari in perditionis statu? At enim hæc minus te intelligit, quam Eruditi Viri ab omni exculsi doctrina.

54. Responsio Bolgenij, ut quæ verbis solis tegere, et elevare nititur soliditatem argumenti, cautis hominibus minime probanda est. Nec subscriptioni rei a Auctore ad sensum fidelium non intellectæ acquiescet Impugnator, qui firmum assensum, et constantem, nequam fucatum requirebat: *perchè ne diate Voi in seguito il vostro parere; ma esso ragionato, che sia degno di voi. . . trattandosi di una materia di una estrema importanza.* Proponit ille *Atto secondo di più perfetto Amor di Dio.* Subscribit Bolgenius respondens: *Non è più perfetto in genere di amore, giacchè la benevolenza non è amore.* Proponit ille motivum amoris: *perchè voi siete in voi stesso il sommo, e l'unico vero Bene. . . per la Amabilità, che voi siete. . .* idque magis declarans addit: *se dar mai si potesse, che fosse di Gloria, e di piacer vostro, che per amarvi, e in amarvi dover se a voi sacrificare ogni mia speranza, ed ogni proprio mio gusto, sento coll' ajuto vostro, che io vorrei più amarvi.* (Scilicet non intelligit doctrinam Auctoris, qui sic illum stringit.)

55. Nihil tamen moratur Bolgenius: etiam libenti animo subscribit: non præcinditur, inquit, in illo actu a beatitudine. In eo dicitur mio Dio . . . oggetto di Beatitudine . . . scopertamente si ha l'idea della comunicazione . . . si risolve in ultima analisi l' amor di concupiscenza, perchè mi piace: cuius in actu dicatur: *Vi amo. . . rapito dal*

piacere sommo . . . di aver voi per mio Dio, mio Signore . . . Si: voi mi piacete, Dio mio. Sed hæc frivola videntur, nec digna Viro sapiente. Primo, quia in formula actus amoris perfecti erga Deum, præsertim si longa sit, qualis est illa, quæ subscribenda proponitur Auctori, indicari solent motiva aliorum actuum ad amorem perfectum disponentium; sed statuitur item distincte motivum immediatum hujus amoris: *quia es, qui es, quia es summum Bonum, quia es Amabilitas infinita etc.* Deinde verba illa *rapito dal piacer sommo di aver voi per mio Dio, mi piacete Dio mio*, non significant propriam delectationem esse objectum immediate motivum amoris, sed affectum amoris esse talem, ut cum eo sit conjunctum gaudium de bonis Dei, quod scilicet Deus sit talis, qualis est, quod sit Dominus, Deus, Rex animæ se illi immediate tradentis. Hoc igitur animæ placet, quia bonum est Dei. Unde scribebat S. Thomas, quod *sequela Charitatis est gaudium*, scilicet benevolentiam de bonis Dei. Cætera, quæ adjungit Auctor, debilia sunt, et unice intenta, ut formulam corrigant actuum amoris Dei juxta propriam intelligentiam, sicut de fidelibus alias dicebat, quod suggerente Parocho amorem Dei ut summe Boni, ipsi intelligerent desiderium æternæ propriæ felicitatis.

56. Tandem non potest Bolgenius ex animo subscribere actui amoris perfecto ab Adversario proposito, quin incidat in errorem Quietismi, qualem nobis describit contra Muzzarellium, quod ita demonstrat. Accus amoris exhibitus a Regonò talis est naturæ, et excellentiæ, ut si separari posset felicitas propria a beneplacito divino (*ce dar mai si potesse*) in Deum raperetur propter ejus amabilitatem infinitam, propria non curans, sed unice intendens divinum Bonum. Atqui actus ejusmodi (non sane actus Religionis qui Deum immediate non respicit, ut demonstravimus) respicit pro objecto motivo solum Dei Bonitatem, quin propria felicitas ingrediatur nec aperte, nec implicite in actualem rationem movendi. Ergo Bolgenius subscribit actui amoris Dei habentis pro unico motivo immediato id, in quod ne implicite quidem ingreditur propria cujusque Beatitudo. Hic autem, nec alius est apud Bolgenium Quietistarum error. Si ergo se vult servare ab errore immunem, subscribere non debet. At si subscribere renuat, est et altera difficultas non minus gravis, quod nimirum a sensu communi fidelium, et Ecclesiæ praxi receptissima discedet. Quid igitur inter angustias agendum illi est? Admittat amorem verissimum benevolentiam, actum nimirum simplicem, et individuum, cujus possessio frustra deturbatur, nec jam errores confingat in receptissima doctrina. Quod subjungit Auctor contra Cl. Regonò. *Riscaldatosi un poco troppo il suo zelo . . . innalzate delle folte nebbie al suo intelletto. Compatisco la sua disgrazia . . . vâ fuori di strada continuamente batendo l'aria etc.*, ejusque generis alia Bolgenij causam non bene confirmant, sed unice demonstrant, immemorem esse illum illius regulæ quin-

quintæ (jam me intelligit) præscribentis, ut existimationi (contrarium docentium) modeste, ac benevole consulatur... in nominandis, aut confutandis auctoribus modeste se gerat... nemo in rebus alicujus momenti novas introducat quæstiones... nec aliquid contra Doctorum axiomata, communemque etc.

57. Nec dissimulare volo tractum nobilem Apologiæ Bolgenianæ, qui mihi vere placuit, quibusdam tamen limitationibus, quæ inter legendum menti occurrebant, adhibitis. Equidem videbam hoc loco Bolgenium pro sua Sapientia scribentem. Incipit ille a p. 80., ex qua probare contendit, amorem concupiscentiæ æternæ beatitudinis secundum se consideratum non posse non esse amorem Dei super omnia, et super ipsum amantem. Quo certe stabilito, viam sternit minus improbabilem pro illis superandis difficultatibus, quæ contra illum ex eo proposui, quod actus concupiscentiæ, ex quo non diligimus Deum super omnia, possit fieri major, et super omnia per adjunctionem actus benevolentiae elicitus a virtute Religionis, ut ipse judicat. Placet omnino tacita retractatio isthæc, nec tamen hinc causa illius de amore chimerico benevolentiae proficere tantillum potest, ut jam explico..

58. Doctor Eximius tum lib. 2. de Grat. cap. 13. tum potissimum lib. 1. cap. 31. tractat difficultatem istam, et respondet a n. 25., amorem concupiscentiæ esse posse in suo genere super omnia, quia Bonum divinum est etiam majus hominis bonum, cum ipsum esse hominis non posset esse ejusdem bonum, nisi Deus ipse bonum esset hominis. Præterea homo ex hoc amore amat sibi Deum tanquam ultimum finem, quo frui appetit; non sic autem appetit vel seipsum; nam ex amore recto magis vult frui Deo, quam se. Postremo quia homo Deum sibi amans ex amore concupiscentiæ, licet in uno genere referre videatur Deum ad se, non tamen ut ad finem proprie talem, sed ut ad subjectum perficiendum tali bono; et ex altera parte eodem amore virtute refert homo se ipsum ad Deum tanquam ultimum finem, quo frui appetit, quæ habitu extremam multo perfectior est, quam prima. Hæc P. Suarez, quæ si Auctori placent, placere quoque debent duæ limitationes Doctoris ejusdem. Prima, quod licet hic amor dici possit super omnia, et includat voluntatem servandi præcepta, et cavendi peccata, id habet ex inferiori motivo, si comparatur cum amore amicitiae, et benevolentiae, quia hic amor concipitur propter ipsum Deum, ille autem propter bonum appetentis. Altera est limitatio, quod amor concupiscentiæ Dei non est super omnia in genere amoris amicitiae, nam se amat homo amore amicitiae, Deum vero amore solo concupiscentiæ, quo sensu explicat S. Thomam agentem 1. 2. q. 66. art. 6.: quo quidem amore (concupiscentiæ) magis se amat, qui concupiscit bonum, quam aliquid aliud. Idque, ait, non esse inconveniens, quia satis est, quod alio actu perfectiori possit homo diligere Deum amore amicitiae, et quod id faciat, quando oportuerit,

neque enim tenetur semper perfectissimum amorem exercere. Vides hic, cl. Domine, a Suario solutas, quas hoc ex capite difficultates in Apologia proponis. Utinam esset factum, ut sicut tantum Doctorem imitatus es in congruis rationibus inveniendis pro amore concupiscentiæ super omnia, eundem etiam secutus fuisses in duabus, quas ex eodem subjunxi, limitationibus adhibendis.

59. Ex his constat, quam sit dispar, ac dissimilis particulæ *super omnia* vis, et potestas, si concupiscentia, atque amicitia vicissim comparentur. Illa prior est quidem amor Dei *super omnia* alia amabilia, quæ esse possint objectum, et finis *qui* per amorem quæritur: nullum enim reliquorum omnium pari, et æqua ratione, ac ipse Deus amatur. Sed si motivum (ut ajunt) aut causam, et rationem hujus amoris spectes, et finem, *cui* bonum illud intenditur, nequaquam est profecto *super omnia*; cum sit ipse diligens, non Deus, *cui* per illum amorem commodum, et utilitas tota procuratur. Contra vero in amicitia Deus ipse et est amatus supra omnia, finisque supra omnia propter se intentus, et est *cui* supra omnia, et supra nos ipsos fœlicitatem optamus, ita videlicet ut per concupiscentiam nobis ipsis, nostraque causa; per amicitiam autem Deo soli propter se, et sui causa solius bonum supra omnia bona velimus. Eadem nimirum fœlicitas, et Bonitas divina, quæ plane super omnia est, appetitur ex concupiscentia nobis; ex amicitia; et benevolentia Deo. Sic cognitio Dei abstractiva, et intuitiva ex parte termini, et objecti per illam attracti super omnes est cognitiones passivas aliarum rerum; sed ex tendentia sua, item ex principio utriusque proximo non quidem illa prior, imo hæc sola posterior super alias est rerum cognitiones. Deo igitur velle bonum suum, quod est super omnia, tamen ut a nobis possidendum, concupiscentia est: Deo velle bonum suum, quod est super omnia, ut ab ipso, et in sui gratiam habendum, amicitia est. Tu tuo amore bonum illud super omnia bona desideras, sed tibi: ergo concupiscis. Nos nostro amore bonum idem super omnia bona, et præ omnibus alijs cupimus, sed Deo: ergo diligimus. Ad diligendum autem movemur, et allicimur, tu tuo commodo, nos Dei perfectione. Tu igitur te amas ex concupiscentia; nos Deum amamus ex Charitate. Pressius Schola more, et jure suo: amor Bolgenianus diligit super omnia Deum ut objectum fruendum, et finem *qui*, transeat (nam revera non Deum ipsum, sed ejus possessionem (*godimento*) propter suam utilitatem vult Bolgenius): ut subjectum, vel finem *cui*, nego. Id enim unice peragi potest per amorem amicitia.

Propositiones quædam in Apologia notandæ.

60. **P**aucas e multis, quas notavi, propositiones subjiciam. In Præfat. pag. 6. sotto la seducente apparenza della perfezione dell' amor di Dio... in quel senso, nel quale si sostiene da' miei Avversarj, si nasconde un errore assai pernicioso... troppo vicino alle illusioni condannate del Quietismo. Non hic apparet magna illa moderatio, et prudentia, quam præscribit Auctori suus ille Doctor Eximius, monens, posse facile peccari graviter etc. de qua re supra nos egimus.

61. Pag. 8. Præfat. Per gli spiriti fortemente preoccupati non bastano neppur le dimostrazioni più evidenti per convincerli. Verissima propositio, quam scripture sua apprime confirmat Auctor in se ipsum recidere.

62. Pag. 12. cap. 1. Quello, che comunemente si chiama oggetto materiale, io lo chiamo oggetto semplicemente: l' oggetto formale poi lo chiamero motivo. Eccur? Quia objectum materiale, et formale, ut in Scholis usurpatur, non tollit primo aspectu confusionem idearum. Immo potius Auctoris divisio ejus nimirum, quod objicitur potentiaæ intentionali in objectum, et motivum, est aperte contra præcepta Dialectices præscribentis, ne fiat divisio in membra se includentia. Id enim, quod movet ad amandum, verum est objectum, quod potentiaæ repræsentatur. Cesset innovandi libido, præsertim cum id ipsum incurritur, quod vitare intenditur, constanterque termini retineantur antiqui, cum hæc sit cuivis Arti etiam mechanicæ communis, et justa possessio.

63. Pag. 14. Amare la nostra beatitudine, e amare Dio sono spresioni spesso usate da S. Tommaso come del tutto sinonime... Imperitamente si vuole da miei Avversarj introdurre una divisione, una separazione per mezzo di precisioni dell' intelletto. Synonymia falsa est evidenter. Deus, et Beatitudo non sunt ex S. Thoma nisi unus integer finis. At beatitudo solum est finis per modum adeptionis, Deus autem per modum rei obtentæ: beatitudo finis quo, Deus autem finis qui, ut docebat Albertus Magnus. Mirum certe, quod imperitia eo usque procedat, ut nolit, intellectum præscindere, et separare ea, quæ non solum in re distinguuntur, sed etiam realiter separari possunt non mutuo.

64. Pag. 15. L' amor di concupiscenza riconosce, e onora Dio qual sommo bene, ed essere perfettissimo in se stesso. Propositio obscura. Si per eam significetur, amorem concupiscentiaæ esse actum elicitem a Religione cujus est potius, quam Charitatis il riconoscere, et præcipue il onorare, falsa est; si vero affirmetur esse posse actum ab eadem imperatum, vera quidem est, sed male tornata; nam ad a-

CIUM:

ctum voluntatis non pertinet illud *riconosce*. Huc accedit, quod additur obscurissime pag. seq. *vero è per altro, che il riconoscimento di Dio, quale è in se stesso, non è sviluppato, ed esplicito nell' amor di concupiscenza.*

65. Pag. 24. *Non si deve mai neppure col nostro intelletto separare una cosa dall' altra. Cioè Dio, e il godimento. Et quomodo id probat? ex S. Thoma agente 1. 2. q. 3. art. 1. Finis dicitur dupliciter etc. Igitur si dicitur finis dupliciter; ergo intellectus saltem separationem facere potest. Potest sine dubio illam facere, et quidem talem, et tantam, qualis, et quanta est ex S. Thoma inter bonum in creatum, et creatum aliquid.*

66. Pag. 30. *La gloria di Dio è il fine ultimo, che ha avuto Dio stesso nel crear l' uomo, e tutte le altre cose.*

67. Pag. 31. *Gia intendiamo l' accidentale che sola può risultare a Dio delle sue creature... nell' essere gli attributi, e le perfezioni di lui conosciute, ammirate etc. optima loquendi ratio! Quod nempe Deus sit cognitus, celebratus, amatus a creaturis est Dei hominem creantis ultimus finis. Atqui Deus non potest habere ultimum finem a se distinctum. Illa igitur agnitio, celebritas, et amor Deus erit ipse. Tene igitur Scripturæ loquendi modum: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, nec dicas unquam, scribas, aut fingas, gloriam Dei extrinsecam esse finem ultimum ejus, qui extra se finem habere non potest ultimum.*

68. Pag. 41. *S. Agostino parlando della Carità, o amor di Dio dice, che è un moto dell' anima verso Dio per goder di lui. Sed ubi est *io propter ipsum* a S. Doctore additum? ad fruendum Deo propter ipsum. Siccome in versionibus Doctorum procedendum est? Deinde quid sibi vult, quod additur ex S. Doctore: *amare non è altro, che appetire qualche cosa per se stessa, cioè come fine, non come mezzo?* Si enim propter ipsam significat finem, et non medium; ergo rem non amo præcisè ob delectationem meam, non amo, perchè piace, sed quia res talis est in se, ex qua delectationem capere possum, quam tamen non requiro, licet amorem sequatur.*

69. Pag. 48. *Cum objecisset Cortesius: diligere ex S. Bonaventura, est velle bonum, respondet Auctor: Stupenda Logica di questo uomo... Le citate parole non determinano a chi si voglia il bene... In appresso poi S. Bonaventura spiega, che il bene si può voler a se, a Dio, al prossimo: e che a chiunque si voglia il bene, questo atto si chiama amare, diligere. Ego sane conciliare non possum in Auctore mire pugnantia. Ait ironice, Logicam Cortesij stupendam esse, et ipse verbis suis efficaciter probat ratiocinationi Cortesij responderi non posse, cum palam fateatur, hominem velle, et optare Deo bonum, et hoc esse Deum diligere. Nonne id ait Bonaventura? *Diligere idem est quod velle bonum. Cum ergo Charitas diligit aliquem, bonum optat**

ei, quem diligit... Istud autem Summum Bonum aliquando homo per Cbaritatem optat Deo? Quid est ergo, quod Auctor magis, et magis se implicet incohærentijs in eodem ipso numero, ne dicam linea?

70. Pag. 61. incipit agere de nobilitate amoris concupiscentiæ, et sermonem adornat opportunissimum pro die festo Dominicæ Transfigurationis, nisi quod pag. 66. admittit aperte amorem benevolentiam, vel eum sub amore includit concupiscentiæ, dicens: *Ci replichi, che così l' amante ama se stesso o più, o ugualmente che Dio etc. Che inezia! che stravaganza! Quasi chè la Sposa nell' unione, e fruizione del suo Sposo se fermasse col suo affetto in se medesima, e non tendesse alla persona stessa dello Sposo, che è il principio, e la fonte della sua felicità.* Bene equidem narras: at hic ipse, et non alius est amor benevolentiam, actus nimirum simplex, et individuus a tuis descriptus Impugnatoribus, amor, qui non regreditur ad amantem, amor, qui sistit in Deo, amor, qui non movetur præcise ex fœlicitate propria, amor, qui totus movetur ab eo, in quo quiescit, amor, qui non fit præcise ob motivum, *perchè piace, perchè piace*, sed propter bonitatem ipsam Sponsi, qui est origo, causa, et finis omnis delectationis.

71. Pag. 75. *I miei Avversarij sono fecondissimi in sottigliezze.* Ecce autem? Quia nempe distinguunt Deum a Beatitudine formali, rem increatam a re creata, contenduntque Beatitudinem referri ad Deum debere, non Deum ad Beatitudinem. Mira scilicet subtilitas ingeniorum! quam quis unquam capere possit, si contendat itidem, divitias, honores, sanitatem ad personam, non personam ad res illas referri oportere! Quodque mirandum est magis, Auctor ipse rem hanc, et subtilitatem confirmat ex D. Thoma Opusculo 61. dicente: *Bonitatem Dei non referimus ad nostram delectationem, sed e converso: Hoc igitur si ita se habet, ubi est illud motivum, perchè piace? Quin potius illud piace est propter motivum aliud, quod est causa del piacere, sive delectationis.*

72. Pag. 89. *Suppongasi essere volontà assoluta di Dio, che io vada lontano per sempre da lui all' Inferno. Se io amo Dio con tutto il cuore, sarò obbligato ad unirmi con lui in questa volontà.* Casus per me impossibilis sit. At motivum illius actus tendentis sub hypothesi impossibili in unionem cum Deo esse minime potest propria fœlicitas, sed Dei Bonitas, et Dignitas, cui pro omni hypothesi obsequendum esset. Id enim est motivum actus, quod movet ad actum; atqui mea fœlicitas non movet ad actum cum mea fœlicitate pro illa impossibili hypothesi incomponibilem, sed unice movet dignitas ejus, cui esset obsequendum.

73. Pag. 93. *L' amor di Dio ci viene proposto nelle Sacre Scritture, e nella Tradizione aver per suo oggetto DIO BEATIFICANTE, e conosciuto sotto l' idea scopertamente di NOSTRA ETERNA BEATITUDINE.* Questo punto è chiarissimo, ed innegabile. Ita quidem.

Fide certum est. Bolgenius testatur. Nemini licet refragari. At quænam probationes? Eas jam vidimus cap. 2. et 3. *Aspiciebat in remanerationem etc. Summo Bono conjungi propter ipsum Summum Bonum exoptantes, non autem propter honores etc.* Scilicet Auctoris enuntiata integra, rotunda, sonora sunt, probationes mancæ, exiles, et invalidæ.

74. Ibid. *La volontà, il piacere, il gusto di Dio è, che noi speriamo, e giungiamo al sommo bene nostro nel possesso, e godimento di lui.* Observo primum illud verbum *speriamo*, et agnosco actum sperandi indistinctum ab actu Charitatis Bolgeniano. Deinde *il gusto, il piacere di Dio* est, quod in eum credamus, speremus, quod ei cultum præbeamus, quod simus patientes, justi, temperantes etc. Ergo actus harum virtutum a Charitate eliciuntur. Postremo (attendat Auctor, nec ita inconsiderate res non certe obscuras confundat) aliud est id agere, in quo Deus sibi placet, et aliud longe diversum id agere, ut Divinæ Bonitati propter ipsam placeamus. Quisquis est ille, qui recte operatur, quod Deo est placitum, agit; non tamen necessario quia Deo est placitum, cujus interdum, imo sæpe cognitio non succurrit.

75. Pag. 97. *Al fanatismo non vi è cosa, che basti per farlo tacere.* Quinam est autem hic phanatismus? Quod vocatur Auctor in iudicium, eo quod Theologos Scholasticos contemnat, cum in 3. Dissertationis pagina verbis ipse suis accusationem instituat, quam minime purgavit.

76. Pag. 110. *Quarta riflessione: Aggiungo ora, che questo frutto (atto di benevolenza) nasce naturalmente, e necessariamente dall'amore, poichè è impossibile amare un oggetto come buono a noi senza compiacersi del bene, che ha in se stesso, e senza che questa compiacenza ci porti a desiderare l'accrescimento di questo bene.* Compara propositionem hanc cum ea, quam scribit Auctor in Declarationibus pag. 77. *L'amore non nasce già dalla benevolenza; ma anzi al contrario la benevolenza nasce dall'amore: in oltre questi due atti non sempre si accoppiano insieme, potendosi fare atti di amore, senza fare atti di benevolenza.* Nunc autem ego quæro, an inter has propositiones: *omnis homo currit; aliquis homo non currit: major emicet contradictio, quam inter propositiones Auctoris: nasce necessariamente . . . perchè è impossibile . . . non sempre si accoppiano . . . potendosi fare atti di amor senza . . .* Ea est interdum Auctoris inconsideratio, ut pro diversitate difficultum rerum, quas vitare intendit, diversas sui immemor admittat incohærentias. In Apologia hanc statuit propositionem, ut ostendat, quæstionem esse de solo nomine, et benevolentiam posse comprehendere sub amore in genere. In Declarationibus contradictoriam statuit, ut lectori persuadeat, ablegandam ab Scholis esse formulam illam confusam *amor benevolentie*.

77. Pag. 134. Or abbiamo già stabilito, ed è cosa certissima in Psicologia, che il complesso dell' oggetto materiale, e dell' idea, sotto la quale questo oggetto si concepisce, forma l' oggetto formale, o sia il motivo degli atti umani. Nec id statutum est probabiliter, nec est certissimum, sed potius in Psychologia falsum. Motivum, seu objectum formale est bonitas ipsa, quæ movet, non cognitio repræsentans bonitatem, nam hæc est tantum applicatio motivi. Unde Philosophi rationem finalizandi, seu movendi non collocant in cognitione, sed in bono proposito per cognitionem. Quod ita certum existimat P. Suarez, ut pronuntiet disp. 23. Metaph. sect. 7. vix in hoc esse posse dissentiendi rationem, nisi in vocibus æquivocatio misceatur. Quare S. Thomas q. 5. de Charit. art. 5. ad 4. id ipsum supponit dicens: *Non ea ratione aliquid diligitur, quia cognoscitur, sed quia est bonum.*

78. Pag. 135. In un luogo dice (Muzzarelli) che Dio per la bontà sua è formalmente buono; e ripete ciò... la quale espressione è pericolosa, ed erronea... Nel motivo formale ha procurato di rettificare questa espressione spiegandola. Quam est Auctor liberalis in ferendis sine causa censuris! Propositio illa: Dio per la sua bontà è formalmente buono: quid mali continet? Nihil sane aliud, quam quod est in illa altera S. Thomæ: Neque etiam informatur aliquo alio ad hoc, quod sit bonus, sed ejus substantia est ejus bonitas. Corrige sodes expressionem Apostoli dicentis de Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. An ignoras Scholarum idioma de formis physicis, et metaphysicis, et de concretis, et abstractis ejusdem ordinis? Deus per suam bonitatem est formaliter bonus, et Deus naturaliter, et essentialiter est talis, idem prorsus valent apud eos, qui Scholasticam tenent: ut homo per rationalitatem formaliter discursivus est, et est per se ipsum discursivus, quia ipse est sua rationalitas.

79. Pag. 148. La speranza contiene un amor di Dio, che desidera da lui i mezzi per arrivare a goderlo. Sed etiam desiderat essentialem beatitudinem, et ab hac specificatur ex S. Thoma: a beatitudine nempe obtinenda divino auxilio, ab adeptione perfectæ Bonitatis. Imo quidquid expectat, desideratve ut medium, propter beatitudinem desiderat; ergo sistit in Deo non minus, quam Charitas Bolgeniana, quæ proinde ab illa non distinguitur.

80. Pag. 168. Se il complesso dell' atto di amore, e dell' atto di benevolenza... voi lo volete chiamare amor di benevolenza, mi accordo subito anche in questo. Così lo chiama S. Tommaso qualche volta, benchè più spesso, e più esattamente lo chiami amor con benevolenza. Tale è anche il senso dell' amor di benevolenza inteso dagli Scolastici Classici. Quid dicam de homine ita leviter scribente? Legi ego S. Thomam accuratissime,

ubi agit de Charitate in Summa, Disputatis, Sententiaris, Opusculis, et Lectionibus, et cum sæpissime in eo legerim *amor benevolentie*, non credo me invenisse *amor cum benevolentia* præter quam 2. 2. q. 23. art. 1. ubi declarat aperte, quid intelligat per verba illa *amor cum benevolentia*, cum sumat ibidem *mutuam benevolentiam* pro *mutua amatione*. Quod affert Auctor de Theologis Classicis, non admittitur, cum litis æstimatione multatus, et appellandi potestate privatus exierit e tribunali Suarii. Age vero; profer nobis tandem Auctorem aliquem Classicum, qui tecum in hac re consentiat.

81. Pag. 202. *Dunque è falso di una evidente falsità, che l' insegnamento della Chiesa proponga l' amor di benevolenza verso Dio, come lo propongono, e lo spiegano i miei Avversarij.* Si nihil nos egimus in toto Cap. IV., si nihil valet communis sensus Fidelium contra rem falsam evidenti falsitate, legantur saltem, quæ scripsit Auctor in Dissertatione part 1. Cap. 4. n. 41. *Questi Catechismi per la massima parte sono stati composti da persone prevenute . . . Lo Spirito Santo allora guida la penna dei Catechisti: et Cap. 3. n. 38. si insegna ai fanciulli, e al popolo rozzo . . . una falsa dottrina circa l' amor di Dio etc.* ubi ad damnum animarum arcendum recurrit ad illustrationem, et impulsionem S. Spiritus illa damna impediens.

92. Pag. 216. *Tutti (i Martiri) esprimevano questo motivo (l' acquisto della vita eterna) ed esprimevano questo unicamente.* Omnes omnino? Et id unicum motivum? O dictum præclare! Legantur, quæ dedimus Cap. III. a §. VI et Cap. IV. §. III. a n. 54. Legatur saltem Cap. VI. lib. 2. Machab., et an Eleazarus aliud motivum verbis expresserit, inspiciatur?

83. Pag. 239. *Sono fermamente persuaso, che (l' Oppositori futuri) equivocando ancor essi tra l' amor in genere, e la Carità in specie, tra la Carità, e l' altre virtù; tra l' atto, e l' amor di benevolenza, resteranno pienamente confutati colla sola presente mia Operetta.* Ita fiet scilicet! Sed interim applica, quæso, inania hæc verba impugnationibus meis, et æquivocationes tuas, turpes illas quidem, et indignas vel Logices candidatis, experire, utrum veras possis demonstrare. Si enim rem animo tenes firmiter, responde ad singulas, sicut et ego singulis tuis reflexionibus respondi.

84. Pag. 263. *Che se quella proposizione è contraria, come è realmente, alla parola di Dio, agli insegnamenti della Tradizione, alla dottrina della Chiesa. . . l' amor di benevolenza . . . è un amor falso, è una illusione, è un errore in somma pernicioso alla Santa Religione.* Consequentia certe legitima est. At de consequenti quid dicemus? Id ipsum quod de antecedenti: omni scilicet probabilitate destitutum esse. Moneo iterum Auctorem, ut legat Suarium ajentem peccari facile posse graviter etc.

85. Pag. 314. *La dottrina finora da me esposta è notissima al po-
po.*

populo Cristiano. Ecclesiæ doctrinam populus intelligit, nec tua opus erat Dissertatione, ut illam intelligeret. At explicationem hanc tuam, et singularem opinandi modum fateris ipse a Sapientibus non intelligi. Quid fiet de populo Christiano?

86. Pag. 316. *Questo (non ingredi scopertamente beatitudinem in rationem motivam amoris) è un errore, grande, e dannoso alle anime. Nihil agitur stentoreo clamore, sed probationibus validis.*

87. Pag. 339. *Dio nella sua essenza, e la beatitudine nostra in Dio, quantunque siano due cose realmente distinte, tuttavia sono un oggetto unico in ordine alla Carità: perciò non si possono mai separare neppure coll' intelletto, quando si tratta di Carità.* Primum video manifestam petitionem principij: hæc enim conclusio, quæ erat ipsa probanda, assumitur ad sui probationem per terminos nihil veræ claritatis afferentes. Deinde quem Auctor locum relinquit distinctioni inter suum actum Charitatis, et inter actum prosecutivum æternæ beatitudinis, sine quo Spes consistere minime potest? Tandem beatitudo nostra non est in Deo, sed in nobis, res item est a Deo vere distincta: qui ergo Deum amat propter ipsum, et non propter aliud, quod Deus non sit, Deum non amat propter beatitudinem. Verba igitur difficultatem tegere quidem possunt, at non solvere.

88. Sed quid ego propositiones commemoro obscuras, ambiguas, parum Logicas, Theologiæ oppositas, doctis hominibus indecoras, ne dicam injurias, arbitrarias, et cum certa quadam infallibilitatis specie ab Auctore conscriptas? Temporis angustiis premor, instat editio operis, eaque re longior esse non possum. Fiet autem fortasse, ut tempus nactus magis commodum postremam hanc Apologiam pro merito discutiam. Interim tamen affirmo, ac plane profiteor, nullis me terrendum verbis inofficiosi, nulla me demonstrationis, certitudinis, et infallibilitatis speciosa dictione avertendum esse, quominus pro Ecclesiæ consensione in doctrina vulgo recepta depugnem. Dicet fortasse quispiam, Quietistam esse me, Bajanum, aut Quesnellianum, et gloriosis illis titulis me decorabit, quibus præcedentes excepti sunt Impugnatores; de loco tamen non movebor, et in arena persistam, donec probatis ingenuis armis, non sane inconditis clamoribus, pedem cogar referre. Expecto ego Tractatum Romani Theologi, quem tu, Vir Clarissime, inter tua reconditum servas; et in quo ut *infimi subsellii* Theologi celebrantur, qui tecum non sentiunt in argumento de amore. Siquid igitur novi afferat opportunum pro communi tecum Theologorum primæ classis consensione, et libenter excipiam, et quoad possim, respondebo. Quod si ego defecerim, non deerunt Theologi, quibuscum versor, qui certe non sunt omnes *infimi subsellii*, qui me vindicent rationibus solidis, et argumentis validissimis. Hæc enim arma norunt illi tractare, nec alia unquam telorum genera cognoverunt. Eorum ego consilio acceptum refero, quod non ediderim Opus-

culum ante octo menses confectum, ex quo non minus efficaciter evertitur Systema tuum. Timebant enim, ne ex illo questus in me occasionem sumeres, quam tamen ego minime darem latina constrictus lingua, nec ratiocinationis fines egressus. Illud tamen apud me habeo sepositum, et cum erit necesse, nova prodibit auctum accessione rerum, quas mihi suppeditat Apologia tua, in qua fidem obligans non esse posthac a te ulli respondendum, ita concludis: *Ma risponderà per me una eccelente Opera Classica sull' amor di Dio trattato magistralmente da un dotto Teologo, la quale si stampa già presentemente, e tratta a fondo la materia metafisicamente, eticamente, e Teologicamente.* Agnosco Virum, Socium, Amicum, et Contubernalem tuum. Non ei quidquam, de singulari merito, quod jam pridem notum est mihi, detraho, hominem observo, cujus doctrinam, et eruditionem suspexi; sed tamen mihi nuntiatum est, ægre illum inductum quippe prudentem, sibi que minus fidentem in lucem opus suum proferre, et te auctore, suasoreque factum esse, ut tandem ederetur. Ut ut sint ea; video illum curare Theologos, et Philosophos, qui in argumento de amore audiendi certe sunt; quo quid potest esse aut mihi gratius, aut cuivis Scriptori Theologo aptius, et accommodatius? Aveo igitur illius præclarum opus perlegere, quod jam jam in lucem publicam emittendum testaris. Tu vero, quod tuum est, perge porro constanter veros Ecclesiæ, ac pietatis hostes, quo te natura vocat, ingenium, et eruditio, relictis in Schola Theologis, frangere, et superare.




	<i>Errata .</i>	<i>Corrige .</i>
Pag.	lin.	
5	4 <i>reprendere</i>	<i>reprehendere</i>
19	36 <i>Epiminondæ</i>	<i>Epaminondæ</i>
24	2 <i>formule</i>	<i>formale</i>
29	32 <i>imire</i>	<i>inire</i>
31	15 <i>Quidsi</i>	<i>Quodsi</i>
37	40 <i>judicio</i>	<i>judico</i>
42	22 <i>Decum</i>	<i>Deum</i>
56	1 <i>quaso</i>	<i>quæso</i>
67	32 <i>sunt</i>	<i>sint</i>
70	6 <i>Mediolanensis</i>	<i>Mediolanensi</i>
Ibid.	36 <i>erga</i>	<i>ergo</i>
83	16 <i>conformæ</i>	<i>conformis</i>
85	42 <i>atque</i>	<i>atqui</i>
91	32 <i>possam</i>	<i>possem</i>
95	8 <i>haberet</i>	<i>habere</i>
104	29 <i>sua</i>	<i>suæ</i>
Ibid.	40 <i>videbatur</i>	<i>videbantur</i>
115	27 <i>seclulo</i>	<i>secluso</i>
Ibid.	28 <i>benefica</i>	<i>beneficia</i>
130	43 <i>cura</i>	<i>curam</i>
144	25 <i>separare</i>	<i>separari</i>
146	2 <i>Si</i>	<i>Sic</i>
178	3 <i>Christi</i>	<i>Christo</i>
187	ult. <i>extrahare</i>	<i>extrahere</i>
198	14 <i>dignum</i>	<i>dignam</i>
204	14 <i>novendi</i>	<i>movendi</i>
Ibid.	24 <i>quemquam</i>	<i>quamquam</i>
211	1 <i>totum</i>	<i>notum</i>
Ibid.	8 <i>sed</i>	<i>seu</i>
264	18 <i>infiniæ</i>	<i>infinite</i>
282	23 <i>ut</i>	<i>et</i>
287	4 <i>Superius</i>	<i>Superis</i>
298	36 <i>amorem</i>	<i>amorum</i>
303	14 <i>Divina</i>	<i>Divina</i>
383	25 <i>contraria</i>	<i>contrariæ</i>
199	1 <i>edito</i>	<i>editio</i>
445	1 <i>pronuntiat</i>	<i>pronuntiet</i>


V I D I T


*D. Josephus De Bonis Cleric. Regul. S. Pauli, & in
Eccl. Metrop. Bonon. Pœnit. pro Eminentiss. ac Reverendiss.
Domino D. Andrea Cardinali Joannetto, Ord. S. Benedicti,
Congregat. Camaldul. Archiep. Bonon. & S. R. I. Principe.*

I M P R I M A T U R.

Fr. Aloysius Maria Ceruti Vic. Gen. S. Officii Bonon.







CHANTRE

DE

CHARITABLE

G-E 866